~~136~~ 127

26.a.6
-3-

FinePrint and PhotoGrade is a trademark of Apple Computer, Inc. NetWare is a registered trademark of No.

Nº 3
95-187

2 400 40 Safta MADE IN SPAIN

del Colegio de la Compª de Jesus de Granada. Bª R. 3590

COMMENTARII
OMNIVM A CREATO ORBE HISTORIARVM.

CHRISTOPHORO ROFFIN. IN
Senatu Burdegal. Præside, auctore.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Βασιλῆ τ' ἀγαθῷ, κρατερῷ τ' αἰχμητῇ.

LVTETIAE, M. D. LXXI.

Apud Ioannem Benenatum.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

AD CLARISSIMVM VIRVM
ALBERTVM DE GONDI, COMITEM
à Rets, Conſiliarium, Regísque cubicularium primarium, & Regalis ordinis, Diui Michaëlis torquatum Equitem,
Auctoris præfatio.

VT RECTE quidem ſenſit Plato, duas nimirùm eſſe alas, quibus itur ad aſtra, hoc eſt, ad cæli, ſtellarúmque cognitionem: alteram ſcilicet, geometriam, in qua, lineamenta, formæ, interualla, dimenſiones, magnitudinésque rerum deſcribuntur: alteram porrò arithmeticen, quę ſcientiam tradit numerorum, ſubducendæq; in cælis totius rationis calculi. Quod qui ab vtraque remotus aſtrologiam tentarit, eum ſanè luſurum operam: Ita quoque exiſtimauere veteres, ad ciuilem ſcientiam perdiſcendam, duo in primis ſtudioſiſsimo cuiq; iuris adferre magnum operæpretium (quæ illa quidem à cæteris liberalibus artibus, & diſciplinis commodiſſimè mutuetur) quibus ritè ſuffultus iuris candidatus, feliciſſimis poſtea auſpiciis, in arcem Themidis ſcandet: Diſputatricem videlicet dialecticam, quam veri, & falſi diſceptatricem, & indicem appellat Tullius: tum & eam philoſophiæ partem, quæ ad mores pertinet, nempe Ethicen, quam etiam moralem, idem Cicero dixit, artem nimirùm ad naturam, & ad mores, & ad omnem vitæ, iurísq; tum equi & boni cõſeruationẽ, accommodatã: huc referẽdam quoq; hiſtoricã facultatem, ceu potiſſimam illius appendicem, meritiſſimò cenſuere veteres. Nec enim præceptis tantùm, ſed multo magis etiam exemplis virorum illuſtrium, ad diſciplinam, cultúmque iuſtitiæ accendi, informaríque hominum ingenia, cùm commemoratio antiquitatis, rerúmque geſtarum prolatio, neſcio quid plus fidei, & auctoritatis ſumma etiam

eum incitatione, inflammationéque animi adferat, quàm quæuis vlla alia benè arguta præceptionum traditio. Itaque bene monitum esse olim à viris eruditis memini, vt in ætatibus, senectutem habere auctoritatem summam, sic in rebus gerendis, exemplorum vetustatem, quæ apud homines valet quidem, valuítque semper plurimum. Et eam idcirco Antonius, dum apud Ciceronem præclarè differit de historia, testem rectè appellat temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitę, & nuntiam omnis vetustatis, omnísq; iuris legitimi, & morum antiquorum, sine cuius luce, certum esse, mancam debilémque futuram scientiæ iuris artem, & agitationem, in eáque veluti in obductis multarum rerum caligine tenebris oberratum iri, ne politica quidem (quæ sunt iuris pars præcipua) sine illius ope, benè, & accuratè tractatum iri: mitto delectationem maximam, quàm vnicuique adfert, si qua res alia, historiarum lectio, & cognitio. Itaque subseciuis diebus illis, & horis, quæ per indictos festos dies, Senatui, & publicis negotiis eripiũtur, cùm syntagma quoddam historicũ, mihi priuatim ex bonis auctoribus, hinc inde excerptum, conscripsissem, vt scilicet de quacunque re, vel in Senatu, vel in tractanda re alia publica, vel etiam in accuranda re familiari, & domestica occurreret negotium, & agitatio, ad manum tum mihi suppeteret exemplum antiquæ historiæ, ad cuius veluti effigiem quandam, mihi passim oblatam in conspectu, & quæ cauenda sunt, cauerem, & quæ itidem imitanda, ea quoque exemplo bono prosequerer: cúmque dehinc hoc quoque in aduersariis exaratum syntagma, legendis quotidie antiquarum historiarum voluminibus subinde augerem: cùm nullum denique isthæc antiqua euoluendi, legendi, excerpendi, transferendíque in hasce meas notas, & tabulæ finem facerem: ecce tandem instar magni alicuius voluminis exercuit hæc mea lucubratio. Quare constitui demum, hoc qualecunque tandem esset, communicare in publicum, tuóque felicissimo, & clarissimo nomini, totum id, cuiusquemodi existeret, dicatum volui, vt nimirùm tam honorati laudatíque nominis tui claritas, ornamentum adferat & auctori, & operi. Atque etiam, vt in eo nonnullum extet meæ & perpetuæ erga te obseruantiæ monumentum, si non amplum quidem illud, & magnificum, nec fortasse in longam victurum, ob exiguitatem operis, posteritatem: profectum tamen ab amantissimo, tibíque deditissimo in omne tempus animo. Etenim tu is es, cui ego plurima debeam, plurimáque etiam libentissimè debere velim, cùm etiam qui te adeunt, quibúsque tecum aliqua est res, affabilitatem illam tuam, & comitatem in excipiendis hominibus, tum prędicent omnes: tum (quod maius est) excellentem illam tuam, & minimè fucatam erga eos, quos tibi amicos, & clientes deligis, veri, integríque, atque simplicis animi fidem, promissorúmque obseruationem, ad cælum extollant. Macte igitur esto. Multa huc adferre possem egregiæ tuæ laudis ornamenta, nisi hæc ipsa omnibus paterent in oculis, essentque per sese clarissima, & ego quoque demens essem, si hæc tanta, támq; ingentia, & quæ egisti, & quæ agis quotidie existimarem vnius epistolæ, aut præfationis humilitate & angustia capi posse. Vale, & me, vt cœpisti, ama, Data Lutetiæ quinto Calendas mensis Sebtembris, 1571.

Tibi addictissimus Christoph. Roffi.

IOANNES ALESMIVS
CONSILIARIVS REGIVS IN SENATV BVRDEGALENSI CANDIDO LECTORI SALVTEM.

IAM tertius supra trigesimum annus agitur, Lector candide, cùm in ordinem Senatorum Burdegalensium lectus fui, quo tempore erant in Senatu Burdegalensi plerique miscellanea rerum omnium eruditione, & vario rerum vsu præstantes, quos solebam ac doctissimi quique mecum, lumina Senatus vocitare: qui tametsi in iure dicendo egregiam nauassent operam Reipub. per omnem vitam, essentque multis nominibus plebi Aquitanicæ suo in munere commendabiles, nihil tamen scriptum reliquerunt, quo posteritati suæ eruditionis variæ quidem & reconditæ significationem aliquam præberent: id quod eos feciſſe credibile est, quòd noluerint immensis cogitationum suarum lucubrationibus suos ciues & prouinciales onerare, vel quòd calumniatorum linguam suffugere maluerint, quàm virulentis inuidorum premi calumniis, vel quòd inanem populi laudem fortiter contempserint, qua maximè illici vulgò perhibentur, qui scripta sua solent in vulgus emittere: vel fortasse, quod probabilius existimo, quòd priuatim, & in vmbraculis domesticis maluerint delitescere, & sibi intus perpetuò canere, quàm grauari indefessis laboribus, qui deuorandi sunt ei, qui literariis monumentis velit clarus apud doctos haberi. Probè memini non aliũ ex eo ordine maiorum, quàm BOERIVM PRAESIDEM suarum vigiliarum reliquisse testimonium posteritati: quo nomine & de Repub. studiosorũ optimè est meritus, & luculentã dedit doctissimis quibusq; suæ in Rempub. voluntatis significationem. Atque quamuis non deessent tum in eo ordine plerique, qui solidæ eruditionis titulo essent nobilissimi non in Senatu solùm Burdegalensi, sed & in vniuersa Gallia, & essent etiam tunc permulti, quibus non deesset facultas iuuandæ posteritatis & ornandi ordinis: tamen putarunt illi non esse mandandas literis suas cogitationes, adducti publico bono, rerum domesticarum cura ac solicitudine, vel priuatis quibusdam aliis rationibus, quas malim suspicari quàm pronuntiare. At verò ne quispiam me putet hæc me comminisci, affingere, aut scribere in gratiam eorum, quibuscum vixi suauiter, quatuor ex eo ordine maiorum semper in pretio habitos esse memini, quos honoris causa nominabo hoc loco. Tantum enim eorum hominum eruditioni debeo, vt eorum memoriam, quam nunc viuam teneo, nunquam sim taciturus: IOANNES DIBAROLA tam erat tenaci & exprompta memoria, vt de recondissimis in iure quæstionibus responderet, & sententiã diceret ex tempore diligenter & copiosè: BERTRANDVS MONCAVTIVS tam sæpe Iureconsultorum libros versarat, vt Iureconsultorum succum & sanguinẽ suxisse videretur. Cùm enim in Senatu sententiam diceret de re controuersa, nodosa, & difficili, tam subtiliter & diligenter rem ipsam explicabat, vt Papinianum, Vlpianum, aut quempiam alium ex veteribus Iuris prudentibus referre videretur: SALVATVS POMERANVS Constitutionum Pontificiarũ vim, sensum, & capita sic tenebat memoria, vt quicquid in Pontificum libris scriptum legitur, haberet in numerato: CALDENETIVS verborum pondere, sententiarum grauitate, & argumentorum vi erat insignis. Hi quatuor senio, eruditione, abstinentia, & æquitate commendabiles, si fortè animum intendere voluissent ad scribendum aliquid ex iure, facilè credam eorum vigilias non minore plausu potuisse & debuisse excipi ab eruditissimis, quàm leguntur hodie scripta veterum interpretum. Illi in sententiis dicendis nihil solebant adferre triuiale: non disceptabant de nugis grammaticorum, cùm de re seria & difficili Iuris quæstione quæreretur, quòd scirent litium definitiones à grammaticis accersendas non esse. Illi ipsi si quid proponebatur quod obscurum esset, ex locupleti Iureconsultorum penu tanquam diligentes promi & condi depromebant: non aliunde petentes aut emendicantes causarum

definitionem, quàm ex puriſſimis Iureconſultorum libris. Subit in mentem cùm aliquando expoſtularem cum Moncautio, quocum mihi intercedebat familiaris neceſſitudo: is enim, qua erat humanitate, me in familiaritatem vlteriorem admiſerat: aiebam illum dormitantiorem mihi videri, propterea quòd cùm in Senatu diutiſſimè verſatus, & innumeræ prope dubitationes ei occurriſſent, quas ſuis ſcriptis (ſi quis alius) illuſtrare & ornare potuiſſet in gratiam & vtilitatem ſtudioſorum, nihil tamen ſcriptum reliquiſſet. is ad hæc non aliud reſpondit, quàm quòd eſſet parum firma valetudine ad perferendos labores, & præter occupationes publicas, quibus diſtringebatur, excuſabat numeroſam ſobolem, excuſabat item curanda eſſe, quæ ad rem priuatam pertinerent, & quamquam longè diuerſum ab eo ſentirem, non potui tamen ab homine impetrare, vt ad ſcribendum ſe accingeret. Ille mihi aliquando communicauit obſeruationes aliquot ſuas in difficiles iuris locos, quæ hæredum culpa perierunt ſtudioſis. De his autem quatuor, nomine & memoria digniſſimis, cùm ſum locutus, nolim quiſpiam exiſtimet non alios fuiſſe permultos tùm in eo ordine eruditione, & dicendi facultate commendabiles. Poſt iſtos autem veteres, excitarunt quidam recentiores ſui nominis famam, in quibus ſemper connumerabo ARNOLDVM Ferronium, qui ad famã nominis ſui parandã & excitandam operam omnem poſuit. Is patrias conſuetudines commentariis ornauit, quos ſub incudem ſæpe reuocatos ſic locupletauit, vt nunc ad iuſtum volumen aucti terantur manibus doctorum. Quid? quod ſectatus veſtigia Pauli Aemilij in ſcribendis rebus geſtis Gallorum magnam apud doctiſſimos quoſque laudem conſecutus eſt. Ille ſibi vixit ſimul & Reipublicæ, ſed longè breuius, quàm ſtudioſi deſideraſſent. Ereptum enim nobis illum ante ſenium & affectam ætatem dolent neceſſarij amici ac ſtudioſi omnes. Et intelligas, lector candide, felicem & feracem eſſe ordinem noſtrum doctorum virorum numero: è multis tibi proponam CHRISTOPHORVM ROFINIACVM Præſidem, mihi iamdudum ſtudiorum nomine coniunctiſſimum. Is ne non vixiſſe Reipublicæ ſtudioſorum videretur, magna ingenij dexteritate, labore aſſiduo, & tenaci ſupra quàm facile credas memoria conſecutus eſt, vt inter bene doctos primo loco habeatur. Eſt enim ingenio tam præſenti, & excellenti, quod antè dixi, memoria, vt ad manum eſſe ei omnia nemo non videat, neque credam aliquid ab eo aliquando lectum, quod non ſtatim in parato habeat, & ita, vt nunquam videatur effluere, quod ſemel eſt infuſum animo. In rem Beneficiariam conſcripſit ROFINIACVS libros tres, quos parturiit primùm Lutetiæ Pariſiorum, & poſtea peperit Burdegalæ, nõ mediocri ſui nominis fama. De re Beneficiaria ſcripſerãt ante eum plerique, ſed tam inconcinnè quidam, tam confuſè alij, tam ieiunè & frigidè plerique, vt nihil magis ſpurcatum, nihil magis implicitum, nihilve indoctius legeretur. Cæterùm ROFINIACVS noſter in re Beneficiaria tractanda adiunxit methodum, lautitias verborum, & locupletem ſententiarum cumulum: quo nomine permultum ei debent qui iuri Pontificio dant operam: quoniam cùm antea eorum profeſſores meram barbariem olerent, nunc ROFINIACO interprete, auctore, & duce Latinè loquuntur. De pleriſque audio ei eſſe in manibus tractatum de Iure patronatus pari verborum caſtimonia nitentem, qua priores illos de re Beneficiaria libros florulẽtos nobis reliquit. Et eſt ſanè quod mirer tantum eſſe homini otij ab occupationibus forenſibus, vt concinnandis commentariis non fatigetur. Is non ſolùm de iure ſcripſit pleraque, quod antè nobis dictum eſt, ſed & hiſtoriarum libros magno ſtudio vtilitatis publicæ, & ſtudioſorum fructu contexuit: in quibus complexus eſt paucis quicquid ex omni memoria ætatum, temporum, populorum, & regnorum, in veterum annalium monumentis cõquiri potuit. Eos libros aliquando ROFINIACVS videndos mihi dedit, quos perlegi illis ipſis diebus, quibus à foro laxamenti aliquid impetrare mihi licuit, ſed id tanta animi voluptate, vt nihil vnquã meminerim me legiſſe auidiùs, aut quod me vehemẽtiùs oblectarit. Nã in illis libris videbar mihi ob oculos habere quicquid extat in ſacris libris, ſimul & in profanorum hiſtoricorum monumentis. Si quis

fortè Romanorum res bello & pace geſtas, Perſarum, Aſſyriorum, Macedonum, Græcorum, aut aliarum nationum ſeparatim libro quopiam deſignarit ac comprehenderit, eſt id quidem præclarum & laude dignum: at verò ſi quis ab orbe condito, hiſtoriarum omnium longam & diffuſam ſeriem & rerum decurſum fuerit complexus, & temporum rationem omnem obſeruarit, quemadmodum ROFINIACVS, nemo nõ iudicabit rem eſſe operoſam & maximè difficilem, & quæ non queat ab alio expediri quàm ab eo, qui omne genus auctorum tractarit, cuíve ſit ad manum penus reconditarum & abſtruſiorum hiſtoriarum: rurſus cui ſit verborum purior & electior ſupellex, cui ſit' ingenij acumen in numerato, cuíve ſuppeditet abundè otium. Credam autem ROFINIACVM adductum fuiſſe ad cogitandos & colligendos libros hiſtoriarum, quòd ſcilicet hiſtoriarũ cognitio admodum neceſſaria ſit Magiſtratibus, quos noſce oportet (ſi tamen velint Reipublicæ conſultum eſſe) veterum mores, ingenia, virtutes, vitia, lapſus, diſciplinam, fortunæ commutationes, varios rerum euentus, cædes, vaſtationes, deditiones vrbium, triumphos, trophæa, portenta varia, vaticinia, auguria, monſtra rerum futurarum, & alia id genus permulta: quæ ſi velimus ſigillatim recenſere, abitura ſit oratio in infinitum, & fit ſanè, vt ducamur tacita quadam propenſione, & appetitu ingenito, vt ea intelligamus & cognoſcamus quę à pręſtantibus viris dicta, pronuntiata, aut facta fuerint, & earum recordatione mirè oblectemur. Eſt enim hiſtoria, auctore Tullio, teſtis temporum, nuntia vetuſtatis, & magiſtra vitæ. Quamobrem nemo dubitarit, neceſſariam eſſe Magiſtratibus rerum memorabilium, quæ à veteribus & geſtæ & factæ ſint, memoriam. Nam ignorare quid acciderit priuſquàm naſceremur, id eſt, vt quidam inquit, ſemper puerum eſſe. Ornabantur olim, qui erant de Republica bene meriti, ſtatuis, & prædicabantur publica omnium bonorum laude, quæ tametſi à maioribus ore tantùm accepta, veluti per manus hæreditarias ad poſteros deducebatur. at verò, cùm primùm literarum vſus eſſe cœpit, viſum eſt vtilius & tenacius veterum res geſtas ſcriptis veluti immortalitati conſecratas mandare: adde quòd multa ſæpe occurrunt conſtituenda in Republica, quæ ſi à veterum hiſtoriis petantur, & reuocentur in vſum, maximè pertinere videbuntur ad Rempublicam ſeruandam & ornandam. efficit enim hiſtoriarum cognitio, vt quæ ante nos natos multis antè ſæculis contigere, nunc demum naſci videantur. Itaque neceſſarium eſt vt ad veterum conſilia, ſententias, & inſtituta accommodemus, quicquid eſt quod cogitamus, deliberamus aut conſtituimus de ſtatu Reipublicæ. Memini cùm BRIANDVS VALEVS noſter olim collega, & è numero eorum, qui in Senatu fuerant primi nominis, ſi quid à grauiſſimo & humaniſſimo Præſide BELCIERIO proponeretur de ſtatu Reipublicæ, ſtatim ex veterum hiſtoriarum libris afferret permulta, quæ ad rem, de qua quærebatur, maximè pertinerent: quo nomine ſuis collegis, abſit verbo inuidia, fuit mea opinione ſemper ſuperior. & vt ROFINIACVM repetam, gratulor noſtro ordini, doctiſſimum, & in forenſi rerum vſu exercitatiſſimum. & quamuis ſciam quoſdam inſimulaturos, quòd hominem etiamdum viuum multis verbis prædicem & attollam, nihil eſt tamẽ quod mouear horũ blateronum cauillis, quòd norim eos propenſiores eſſe ad ſtudia aliena reprehendenda, quàm laudanda, ſimul & felicitati ingeniorum ſeſe iam paſſim exerentium non tam fauere quàm inuidere: & ſunt ſanè plerique tam malè nati & facti, vt non aliud virtutis præmium exiſtiment, quàm vt ille inquit, odioſè omnia. Vt autem ingenuè dicam id quod ſentio, cum doctiſſimis quibuſque contendam, digniſſimum eſſe ROFINIACVM, quem ſtudioſi omnes ament, ſuſpiciant, & obſeruent. Quòd ſi qui fortè erunt, qui non diſſimili conſilio, labore, opera, induſtria, & voluntate amplectentur Reipub. rationes, de illis ſum pronuntiaturus non ſecus, quàm de ROFINIACO nunc affirmo & aſſero. Explorata habeo feliciſſima ingenia quorumdam aliorum collegarum meorum, qui ſi quid fortè moliri velint in re literaria, ſcio emitti ab eis poſſe permulta quæ ſint præclara, & doctorum oculis & lectione digna. ſiue enim dicendi facultatem & copiam ſpectes, ſiue ſolidam & germanam ciuilis

disciplinæ cognitionem, siue facilem & expeditum ad difficillimas quasque res protinus intelligendas ingenij captum, nõ desunt qui id abundè præstare queant. Cæterùm ne mihi conflem inuidiam, si quosdam nominatim prædicarim, alios verò silentio præteream, prætermittam nunc nomina quorumdam, quos tamen soleo mecum ipse multis nominibus admirari & suspicere, non taciturus aliquando cùm se dabit occasio commodior. Postremum est, Lector candide, te horter vt vigilias ROFINIACI, dignas sane (quod antè dixi) quæ ab integris & æquioribus iudicibus probentur, sumas in manus, & attentiùs legas. Quod si feceris, speramus fore, earum lectionem, voluptatis & vtilitatis plurimum ad promouenda tua studia allaturam.

G. GILBERTI TORTRONEI LIBELLORVM supplicum Reginæ Magistri, & in supremo Parisiensi Senatu Aduocati,

In Christophori Rufinacij Præsidis ampliſſimi laudem,

HEXAMETRI VERSVS.

DVM veneranda patrum profert oracula Præses,
Iura viris reddens, tanquam Iouis ante tribunal,
Et canit vt Vates regum simul arma, triumphos,
Ortus, interitus, progressus ordine rerum,
Diuinæ mentis pandens vtrinque recessus,
Hunc orbem gemino nexu tenet ille reuinctum
Iustitiæ, historiæ, redimitus tempora lauro.

IN CHRISTOPHORI RVFINACII IN SENATU Burdeg. Præsidis Historiam, Franciscus Haius Aquensis.

ORdine deduxit docto Rufinacius ore
Quæ senium mundi, quæque iuuenta tulit.
Hunc decuit rerum series, hominúmque referre
Facta: diu rebus præfuit, atque viris.

DE EODEM AD LECTOREM.

ET hunc forensis vrget occupatio,
Suum cuique reddat vt Iudex bonus,
Totis laborat dum diebus sedulus:
Et hunc regendæ detinet prouinciæ
Onus, quod æquus vix Aristides ferat:
Et illa præter siquid oti vendicant
Domus & amici. Quo tibi ergo vir modo
Tanti negoti possit hoc opus dare,
Amice lector forsitan mirabere.
Hic profuisse sat suo dum sæculo
Non esse censet, ni futuro consulat,
Nec se remisit, nec pepercit tempori:
Diuina sic mens est quietis nescia.
Et labor & virtus.

DE OPERE D. PRAES. COSAG. Fran. Monc. Burdeg.

QVi potuit Præses vexatus mille libellis,
Districtúsque foro tantum scripsisse volumen?
Hæc est sedulitas, inuicti & pectoris ardor,
Vt nullum pereat momentum temporis illi,
Quin studio incumbat, prisca, atque recentia voluens
Scripta: grauis labor hic multis, huic summa voluptas.
At non barbarie fœda, aut farragine crassa
Vult tersas spurcare manus, per inania currens
Scripta, & futilibus nugis conferta plicandis
Apta magis scombris: viuo sed fonte nitentem
Delibans laticem, riuos, putrésque lacunas
Spernens, selectis è libris ista recluſit.

Vt que apis impuros flores, graueolentia linquit
Pabula, odoriferos tantùm populata liquores:
Sic Gothicas chartas, & Barbara somnia vitans,
Limatos libros lima meliore repurgat.
Vtile opus patriæ: Quicquid memorabile gestum
A prima genesi, regum cunabula, mores,
Prælia, & interitus, mutatáque sceptra, tyrannos
Pulsos: congessit miro quæ singula Præses
Ordine Consagius, decorant quem stemmata auorum:
Sed mage nobilitat virtus, doctrináque præstans.
At vos affixi lucro, rebúsque parandis,
Discite diuitiis claram præponere famam,
Ad sera & pulchrum transmittere sæcula nomen.

PÈTRI ESTIVALAEI REGIS CONSILIARII in Engoleo tribunali, ad Christoph. Ruffignacum, virũ ornatissimum, Consagi dominum, & Præsidem in amplissimo ordine, & prima classe supremi Senatus Burdegalensis, carmen ἐγκωμιαστικόν.

AVsa leui calamo sublimi digna cothurno,
Musa canit sortis lumina clara tuæ.
Illustri stirpe, & celsis natalibus ortus,
Indole signasti, quod tener vngue Leo.
Dextra tela manu, læua porrexit oliuam
Pallas, prompta aderat mens vtriusque capax.
Frondis honos à te lectus, feliciter artes
Callere ingenuas, altáque iura dedit.
Prima frequens vidit turba plaudente Senatus
Exempla, emicuit cultus in ore lepos.
Hinc tu coccinea splendens in veste Senator
Burdegalæ, decoras integritate gradum.
At pòst consilij rapuit te curia magni,
Curia solliciti sæpe clientis onus.
Euocat inde nouo fœcunda Lutetia cultu,
Præsidis in tetrica munia classe geris.
Egregium postquàm tibi functio publica nomen
Attulit, & meritis fama benigna fauet:
In purum patriæ iucunda recurrit imago
Pectus, & haud dubiè vincit honestus amor.
Burdegala raro redis insignitus honore,
Consortem primæ Curia sedis habet.
A nullis cùm sint tot munera gesta togatis,
Amplius vt niteas æmulus esto tibi.

AD PRVDENTISSIMVM PRAESIDEM ROFfigniacum Ioannes Denisetus Theologus.

IVris & æquarum (Præses doctissime) legum,
Cuius in hunc orbem spargitur altus honor
Inter Christicolas, quos actio vexit ad astra,
Pars tibi pro meritis Roffigniace patet.
Vitam sic ducis terrenis hospes in oris,
Vt cælos patriam feceris esse tuam.
Scripta docent quæ tu diuino numine plenus
Promis, & ignauum non sinis ire diem.
Durum iter ad laudes, grauior via ducit in altum:
Quo labor est potior, gloria maior erit.
Lata voluptatum via, quæ submergit auerno,
Dulcia carnis alens, mortis amara parat.
Hoc nunquam sacros flexisti tramite gressus,
Nec potuere tuos praua tenere pedes.
Cuncta nec enumero, tua me præconia vincunt:
Et si non potui, velle fuisse satis.
Quòd pietate grauis, doctrina mirus haberis,
Vota tuo nostra hæc numine quæso iuues.

SVMMAE RERVM, QVAE IN his commentariis tractantur.

De *his quæ à creato orbe vsque ad aquarum inundationem mundo aduenerunt.* pag 1.

De *Assyriorum monarchia & imperij exordio & fine.* pag. 16.

De *Chaldæorum regni origine, & excidio.* pag 42.

De *Hebræorum administratoribus, iudicibus, sacerdotibus, regibus, & Pontificibus, déque eorum origine & exitio.* pag 53.

De *Lydorum regni origine & exitio.* pag 117.

De *Medorum regni origine & excidio.* pag 115.

De *regni Persarum origine & excidio.* pag 1.5.

De *Macedonici regni origine & excidio.* pag 179.

De *regnorum Græciæ origine & excidio.* pag. 227.

De *Gallogræcis, illiúsque gentis regni origine & excidio.* pag. 243.

De *Latini regni origine & excidio.* pag. 248.

De *regum Romanorum origine & excidio, déque consulum, decemuirorum, tribunorum militum consulari potestate origine & excidio, & de imperij origine, & continuatione.* pag. 253.

De *regnorum Galliæ & Franciæ origine, incremento, & continuatione.* pag. 414.

De *Hispaniæ regni origine, incremento, & continuatione.* pag. 475.

DE HIS

DE HIS QVAE A CREATO ORBE VSQVE AD AQVARVM INVNDATIONEM mundo aduenerunt.

SEXTO die ab orbe condito, alij, mense Martio, alij, mense Septembri conditum malunt, vt prosequitur Cælius Rhodiginus libro primo capite octauo, Dominus Seruator noster, primum hominem satorem nostrum creauit, eíq; nomen materiei, ex qua illum conflauit, simile indidit: siquidem Adam Hebraicè rufum significat, & recens terra colorẽ illum adhuc retinuerat. Hominíq; illi Euam comitem addidit, quæ ex eius latere ineffabili virtute deprompta est: & quia futurũ erat, vt illa communis omnium nostrũm parens esset, Euam appellauit, vt capite tertio Geneseos continetur, quæ Hebraica vox, vt Bibliorum libri & Iosephus tradiderunt, omnium parentem, vel vt Zonaras censet, mulierem significat.

Ex hoc seminario generis humani procreati sunt Cain, & Abel.: pietatis hic cultor, ille contemptor: hic pastor, ille agricola. Cain Abelem incautum excipit, exceptum subita vi perimit. Abel Hebraica lingua, luctum nobis, vt Pater Hieronymus, & Philo Iudæus tradiderũt, significat. Incepit

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

hîc persecutio iustorum ab impiis hominibus, éstque exemplum planè horrendum : nam contigit ea cædes non alia ex causa, quàm ob Dei cultum, & indicat, quàm vehemẽs ira, & quantus sit furor Satanæ. Cain perpetrato huiusmodi scelere, non potuit conscientia criminis ferre patris conspectum, & eum Dominus extorrem patrio solo deiecit, primúsq; vrbẽ ædificauit, cui nomen Henoch, ex filij sui nomine conscripsit. Ab eo procreati sunt, qui proximè recensebuntur, liberi, inuentores plurimarum artium, quæ à nobis nunc studiosè excoluntur. Omnia ex ordine excutientur.

Tertius natorum Adæ fuit Seth, pietate insignis, diuini numinis studiosus. Pietatem omnibus artibus excoluit, numero liberorum felix, plurimarum artium inuentione orbem illustrauit, quæ nouarum artium inuentiones à prophanis scriptoribus, prophanis hominibus ascribuntur. Hic vt Marianus Scotus tradidit, natus est anno ab orbe creato centesimo trigesimo primo. Moritur Adã anno suæ ætatis nongentesimo tricesimo, sepultúsque est Chariatharbæ, quæ, vt Marianus Scotus annotauit, distat ab Hierusalem duobus & viginti millibus passuum.

Ab his Adamo, & Seth, Iosephus libro Antiquitatum primo, & Zonaras libro item primo, testantur duas fuisse constructas columnas, quarum altera ænea erat, altera coctilibus laterculis constructa: vt lateritia, igni, altera aquis resisteret. His columnis metatæ erant superæ plagæ, & axiũ summi rotatus, omnísque Astrologiæ ars cancellis summa eruditione conscriptis aperiebatur. Constructe quidem hæ columnæ summa ingenij arte, ne iniuria aquarum collaberentur: futurum enim præsentiebat Adam, Mundum aquæ & igne collapsurum. Hinc sat supérque aperitur, quàm in-

firmo loco stet prophanorum scriptorum sententia, qui huius Astrologiæ artis exordium, Atlanti Libyæ filio acceptum ferunt, vt Plinius libro septimo, capite quinquagesimo sexto. Diodorus hanc Astrologiam, qua cæli conuersio, ortus, occasus, motúsque siderum, arte quadam concludũtur, Aegyptiis ascribit. Seruius, sexta Virgilij Ecloga, Prometheo exordiũ huius sideralis sciẽtiæ tribuit. Marianus Scotus, columnas, quarũ supra meminimus, non ab Adamo, sed ab Abrahamo constructas author est. vtcumque sit, libri Geneseos, item & Iosephus, libro Antiquitatum primo docẽt, Abrahamum primum Aegyptiis Astrologiæ artem aperuisse, simúlq; à Chaldæis, qui huius quoque disciplinæ authores fuerunt, ob perpetuam operam, quam obseruandis sideribus impendebant, ad Græcos fluxisse. Hac de re videndus est Cicero in libris Diuinationum. Insignis ille heros Seth, postquam rebus humanis, noningentis & duodecim annis superstes fuit, & orbem omnibus piis doctrinis, & exemplis adornauit, fatis concessit, vt libro Geneseos, quarto capite docetur. Piissimo, optimóque patri successit Enos piissimus, & optimus filius. Huic primùm diuini numinis adoratio à Bibliis capite quarto Geneseos ascribitur, quã adorationẽ interpretantur viri docti, de ea, quæ passim & publicè fit, vt Vatablius Commentario Geneseos latiùs prosequitur. Vixit hic annos quinq; & noningentos. Huic Cainã primogenitus superstes fuit, qui suæ ætatis anno decimo, & noningentesimo egit animam, superstite filio Malaleel, qui octingentis nonaginta & quinque annis res humanas rexit: cui successit Iared, qui anno suæ ætatis cẽtesimo & sexagesimo secũdo genuit Henoch, & ætatis suæ noningentesimo sexagesimo nono ab hac luce substrahitur. Henoch ætatis suæ centesimo quinto genuit Mathu-

salem. De morte huius Henoch nihil habetur: annum enim agens trecentesimum sexagesimum quintum à Domino rapitur in cælum. Mathusale verò anno ætatis suæ centesimo octogesimo septimo genuit Lamech, qui vixit noningentos sexaginta & nouem annos. Hic Lamech pater fuit Noë.

De his temporibus pauca admodum scripta reperiuntur, éstque omnis hæc annorum supputatio Iosephi, sed si res ad Bibliorum libros referatur, erit nonnihil controuersi calculi. Ex duobus liberis Adæ, nos Seth primo loco recensuimus sobolem, quãquam is liberorum nouissimus fuerit, tum quòd ab eo traximus originem, tum quia is, & qui ab eo nati sunt, fuerunt æqui & iuris obseruantissimi.

Ab his primùm literarum vsum, originem traxisse, ex eo iudicari potest, quod suprà meminimus. Astrorum cursus, Astrologiæq; artes, duabus columnis inscriptas fuisse, vt esset perpetuus harum artium mortalibus vsus, quod Plinius libro septimo capite quinquagesimo sexto præsensisse satis videtur, quando æternum literarum vsum testatur, & Iosephus libro Antiquitatũ primo planè docet. Diodorus Siculus Mercurium literas in Aegypto primùm reperisse testatur. Cicero libro de Natura Deorum tertio, hũc quintum Mercurium fuisse tradit, qui literas Aegyptiis dedit, sed apud eos, animaliũ effigies, loco literarum erant: Herodotus libro quinto, Cadmum à Phœnicibus in Græciam literas introduxisse author est. Eusebius libro primo capite tertio de præparatione Euangelica author est, Mosem primùm Iudæis literas tradidisse, & à Iudæis Phœnices accepisse, Græcos verò postremos à Phœnicibus didicisse. Atque de ea sobole, quæ Seth satorem habuit, iam satis. Reliquum est, vt Caini, & eorum, qui ab eo nati sunt, fiat sermo. Ij ab authoris sui

ingenio parùm abfuerunt, apud quos adeò nequitia inoleuit, vt quicquid iam inde sceleris tulit humana fragilitas vsque ad diluuiũ, id vni genti acceptum referat humana pietas. Ij nulla habita diuini numinis ratione, ad exercendas omnes quæstuarias artes animum traduxerunt. Iosephus libro Antiquitatum primo, Zonaras eodem item libro, inuentionem ponderum & mensurarum Caino acceptam ferunt. Eutropius primi libri initio (si vera sunt quæ de exteris rebus admixta sunt Eutropio: nam is solas Romanas, vt doctissimi scriptores testantur, contexuit) eo demũ tempore mẽsuras & pondera inuenta tradit, quo apud Albanos Procas, apud Iudæos AZa regnarunt. Gellius, Palamedi inuentionem ponderum & mensurarum ascribit. Plinius libro septimo, Phidoni Argiuo harũ artium inuentionem tribuit. Cui sentẽtiæ Eusebius in Chronologia subscripsisse videtur. Strabo libro octauo, Phædonem Elidensem authorem huius artis appellat.

Ascribitur quoque eidem Caino limitum, qui agris finem decernerent, inuentio: sic Bibliorum sacri libri vrbium ædificandarum primam rationem. Caino acceptam ferunt. Huic Caino successit Henoch, & Henoch Irad, ex Irad Mauiael, ex Mauiael Lamech, qui genuit Iabel & Tubal. Ea sobolis Caini ratio sic refertur in Bibliis, quæ si ad Iosephum & Zonaram referatur, non satis cõuenit: huius tamen sobolis parua habenda est ratio: ea enim penitus & radicitus in aquarum exundatione exhausta est, ita vt nihil factum sit reliqui: quia tamen ea familia in inuentionibus rerum (quarum vsus nobis perneccessarius est) claruit, non pigebit nos eam etiam recensere. Bibliorum libri, quarto Geneseos capite, tradiderunt Iubal vsum cithare & organi inuenisse: tamen, vt Plinio placet, repertor citharæ fuit Am-

phion. Alij Orpheo hanc inuentionem ascribunt, quam Diodorus libro quinto Appollini acceptam refert. Hæc cithara septem chordis constabat, hinc Virgilius.

Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Octauam adiecit Simonides, nonam Timotheus. Ista omnia latè prosequitur Hieronymus, in epistola de instrumentis ad Dardanum, si ea verè Hieronymo ascribitur: sic & Polydorus Vergilius. Hic Tubal sculpturæ fuit author, primúsque mortaliũ vsum ferri, & æris aperuit, vt Genesis quarto scribitur. Tunc cœperunt homines facere sculptilia, & adorare ea, quod Philo Iudæus libro Antiquitatum Biblicarum primo tradidit. Idololatriam scriptura ignẽ Chaldaicum appellat: cùm enim in sacrificiis piorum, ignis è media aëris regione demissus victimas exussisset, impij piorum exempla secuti, ignem acceperunt, in eóque instituerunt nouum cultum Dei, vt in eo opere, seruirent Deo, sine expresso verbo Dei, & absque cognitione promissionis de venturo Christo: & hunc ignem equo impositum anteferri sibi Reges voluerunt, & post aquarum inundationem, prima hæc Idololatriæ inter homines ratio duravit vsque ad tempora Beli Nembrodidis, qui primus Assyriæ partes inuasit, parúmq; assecutus est in eo bello momenti. Quo extincto, Ninus eius filius totam ditioni suæ adiecit Assyriam, & Niniuæ Regiam adornauit. Hic Ninus, defuncto patri Belo, in dolorum solatium, statuam dicauit, eámque eo honore decorauit, vt qui reus ad eam confugisset, reatus sui veniam cõsequeretur: hinc factum, vt ditionis eius homines diuinos honores huic statuæ cœperint impendere: cuius exemplo, Principes viri suis patribus ab hac luce subtractis imagines dicarunt, & ab idolo, & nomine

Beli deriuatum est generale idolorum nomen. sicuti enim dictus Belus ab Assyrijs, sic & aliæ nationes secundum idiomata suæ linguæ dixerunt, aliæ Beel, aliæ Baal, aliæ Belzebuc, quod Eusebius libro decimo capite tertio de præparatione Euangelica tradidit, durauítque ea Beli idololatria vsque ad Alexandri tempora: nam cùm Alexander Babylonem obsidione premeret, Lucio Cornelio, & Quinto Pompilio Consulibus, Chaldæi sideralis scientiæ periti, Alexãdro nuntiauerũt, assidua astrorum obseruatione exploratum habere, futurum esse ni sepulchrum Beli à Persis dirutum instauraret, infelici fato omnia sibi successura, quæ omnia Alexander cõtempsit, prostratíq; & sine honore Beli cineres iacuere, quod Diodorus Siculus vndecimo libro prolixius tradidit. Alibi tamen non defuerunt reges, qui coli à suis post mortem summo studio voluerunt: inde illis instituta templa, inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra: his immolatæ hostiæ, & dies festi celebrati. Herodotus libro secundo tradit Aegyptios omnium primos aras, & simulacra, & delubra Diis statuisse, sacrificiáq; curasse. Diodorus Siculus libro primo Aethiopes primos, Deos coluisse autumat. Lactantius libro institutionum primo tradit Melissum Cretensem regem primum Diis sacrificasse, ac ritus nouos, sacrorúmque pompas introduxisse. Eusebius libro de præparatione Euangelica decimo, ait primum omnium ex Phœnicia Cadmum Agenoris filiũ mysteria & solennitates Deorum, simul & simulacrorum consecrationes, & hymnos Græcis tradidisse, deinde ex Thracia Orpheum. Herodotus libro secundo, Græcos religionem Deorum partim ab Aegyptijs, partim à Pelasgis accepisse affirmat: & Athenienses ante omnes, quando in

Græcia Dodonæum oraculum omnium vetustissimum conditum erat, Cecrops primus Athenienſium rex Iouem Deum appellasse fertur, arámque ei instituisse, & primus simulacrum Palladis erexisse traditur. Hinc vitalis spiritus Iuppiter dictus, ignis Vulcanus, Pallas æther, Tellus Ceres. Quando verò Romæ primùm simulacrum factum, & de origine, & honore statuarum, Plinius libro trigesimo quarto, capitibus quarto & quinto fusiùs prosequitur, ad Græcos vnde digressi sumus redeo. Post Cecropem Dij Græcorũ nati omnes perhibentur, à Cecrope autẽ vsq; ad Troianam cladem, paulò pauciores anni quàm quadringenti colligũtur: nam omnia quæ apud Græcos mirabilia narrãtur, post Cecropem fuisse constat. Nam diluuium Deucalionis, dum Assyriorum rex Sparetus decimus quintus Rex est, & Athenis Cecrops regnat, fuisse constat, anno, vt Eusebius vult, ab orbe cõdito ter millesimo sexcentesimo quadragesimo, vel vt Bibliander mauult, anno bis millesimo quadringentesimo quinto. Phaëthontis incendium, Proserpinæ raptus, partus Latonæ, Cadmi ad Thebas aduentus: ad hæc iuniores illi, Dionysius, Minos, Aesculapius, Perseus, & Hercules post Cecropem omnes fuerunt. Iouis sepulchrum & antrum in Creta longo pòst tempore videbatur: quæ omnia Eusebius libro decimo capite tertio de præparatione Euangelica tradidit. Cicero in eo libro, cui de natura Deorum titulum inscripsit, tres Ioues fuisse docet, quorum duo Arcades fuerunt, tertius Cretensis. Cecrops coëtaneus Mosis fuit, ante Troianum bellum trecentis quinquaginta annis, ab Abrahamo verò vsque ad Cecropem & Mosem fluxerunt anni quingenti & quinquaginta, vt Eusebius initio suæ Chronologiæ supputauit. Ad idololatriam vnde nos rapuit hic nouissimus

nouissimus sermo, redeo. Mauri manifestè reges coluerunt, nec vllo velamine hoc nomen obtexerunt, quod latiùs pater Cyprianus prosequitur libello, quem de Idolis scripsit. Apis apud Aegyptios primus Deus agnitus est. Alij sobolẽ Cham, quæ in Aegyptum migrauit, diligens astrorum obseruatrix, solem & lunam, velut certum illis inesset numen, pro Diis coluisse tradiderunt, Isidem hanc, illum Osirim nominantes: quod Sabellicus libro Enneadum primo prosequitur. Inde per singulas gentes varia Deorum religio mutata est, dum non vnus Deus ab omnibus colitur, sed propria cuique suorũ cultura seruatur. Thraces solos Deos colebant Martem, Liberum, & Dianam, vt Herodotus libro quinto tradidit, sed paulatim ea impietas sublata est: cùm enim Christi Seruatoris nostri veritas effulsit, ea idololatria radicitùs conuulsa euanuit. Dum Constãtinus orbis sceptra moderatur, Indorũ & Iberorum gens Christi numinis nostri latriam agnoscũt. Armeniæ populis dum Tigranes illius regni moderamina sumpsit, lux euãgelica refulsit. Persis Euangelica lux fulsit dũ pleriq; eorum cõmercij ergò ad Ostronios & Armenios accedentes Christi pia mandata aperiunt, quod latiùs Tripartita historia edocuit: & vt breui verborum compendio tractatus is claudatur, dicendum est nobis cum Ecclesia Christi, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Hæc sunt quæ exordia idololatriæ mortalibus attulerunt, à Caini sanguine exordium trahentia. Cúmque vsque adeò excreuisset mortalium nequitia, vt Diuini numinis ratio penitus conuulsa iaceret, & cùm proni homines ad omnia flagitia ferrentur, pœnituit Dominum, fecisse hominẽ, dixítque, Delebo hominem quem creaui à facie terræ, ab homine

vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli. Noë verò qui à Seth traxerat originem, inuenit gratiam coram Deo. Hic fuit iustus & perfectus in generationibus suis: genuit tres filios Sem, Cham, & Iaphet, vt Geneseos sexto capite continetur. Repleta est autem terra iniquitate. Sexcẽtesimum annum agebat Noë, vt Genesis septimo capite aperitur, cùm cœpit aquarum inundatio, quæ continua aquarum alluuie quadraginta diebus, vt sacris Bibliorum libris placet, vel nonaginta, vt vult Iosephus, creuit, & cùm arca Noë centum & quinquaginta dies post cessationem aquarũ fluctuasset in montibus Armeniæ, septimo mense, vt placet Iosepho, vel septimo mense, septem & viginti diebus, vt sacris Bibliorum libris continetur, conquieuit: qui Armeniæ mons Apobaterion appellatur. Huius inundationis meminerunt Berosus Chaldæus, & Hieronymus Aegyptius in antiquitatibus Phœniciæ, Nicolaus Damascenus, & Plinius etiam, nostræ religionis ignari. At Dominus miseratus longos suorum labores, vbi primùm Noë optata potitur arena, antiquos malorum hominum mores radicitùs cõuulsos videns, promisit se mundum aquarum inundatione post hàc non submersurum, & certitudinis tesseram addidit Irim, vt admoneret nos suæ promissionis, atque hoc beneuolentiæ, & misericordiæ signo nos sibi deuinxit: condonauit etiã hoc generi humano, vt carnibus, & piscibus vesci posset, quibus ante aquarũ inundationẽ patres vsi non erant, vt Zonaras libro primo capite primo in fine, & Cariõ libro primo tradiderũt. Porphyrius Pythagoreorum authoritate fretus, esum animaliũ valde detestatur, ea potissimũ ratione, q̃ homines, ante aquarum inundationem longæui, animalibus pepercissent. Medici non tam esum carnium, quàm abusum vi-

tant: quod Marsilius Ficinus libello, cui de vita longa titulũ superaddidit, edocuit. Addidit Dominus permissioni, qua concedebatur hominibus, carnibus vescendi potestas, ne carnem cum sanguine comederent, & longo pòst tempore cùm Petrus, Iacobus, & Barnabas, & Paulus Hierosolymam conuenissent, vt omnia, quibus fides nostra elucescere posset, tractarent, visum est eis per Iudam & Syllam gentibus palam facere quæ à proceribus illis viris tractata, & fixa erant: videlicet vt abstinerent Gentes à sanguine & suffocato, vt in Actis decimo quinto capite continetur, qui mos etiam hodie à Iudæis enixissimè obseruatur, éstque Concilio Aurelianensi secundo, canone vigesimo, & Cõcilio Constantinopolitano sexto, canone sexagesimo septimo in Ecclesiam inductum. Quæ omnia apud Latinos longis iam sæculis exoleuerũt, quod Græci commentarij latiùs prosequuntur. Vnico mandato Dominus Noëlem, eiúsque liberos alligauit, sicariorum legem hominibus præscribens, ne homo in hominem sæuiret lege sanciens, Sicarios, qui homini mortem intulissent, vicissim occidendos lege cauit, vt Geneseos nono capite scribitur: quam legem postea testamento suo confirmauit, Matthæi vigesimo sexto capite, & in Apocalypsi decimo tertio. Et hæc sunt quæ à creato orbe, vsque ad inundationem aquarum gesta conscripsére veteres: quorum temporum supputatio vix certis cancellis concludi potest. Iosephus libro antiquitatum primo, capite tertio author est, bis mille sexcentos quinquaginta sex annos fluxisse à creato orbe, vsque ad aquarum inundationem. Zonaras bis mille ducentos quadraginta annos inter creationem orbis, & diluuium lapsos existimat. Bibliorum sacri libri quinto, sexto, & septimo capitibus Gene-

seos, lapsum huius temporis per generationem filiorum Adami, & sequacium, recensent. Augustinus Stheucus libro primo de perenni philosophia capite primo, diluuium milleſimo quingenteſimo plus minus anno, ab origine generis humani inundaſſe author eſt. Philo Iudæus libro antiquitatum Biblicarum primo, ab origine mundi, ad aquarum inundationem mille ſexcentos & duos annos lapſos ait: quod & Marianus Scotus probat. Carion mille ſexcentos quinquaginta annos lapſos cenſet. Philippus Melanchthon ait anno à creato orbe milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto. Cùm Noë inchoaſſet annum ſexcẽteſimum menſe ſecundo eius anni, die decima ſeptima ingreſſus eſt cum vxore, & liberis arcam, & in ea manſit integrum ſolarem annum, & egreſſus eſt arca anno ſuæ ætatis ſexcenteſimo primo, anno à creato orbe milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Noë vbi primùm arca egreſſus eſt, terram ſtudioſe excoluit, & vineam primus omnium ſua manu ſeuit, ex qua vbi primùm fructum collegit, plus quàm par fuiſſet bibit, ſupinúſque vino proſternitur. at vbi Cham conſpexit patris verenda nudata eſſe, duobus ſuis fratribus conuocatis, temulentiam patris riſit, qui memores pietatis officiique ſanguinis, patrem nudatum cooperiunt, vt capite nono Geneſeos continetur. Diodorus libro quarto Dionyſium vitem primum ſeuiſſe, & exacinis vinum torculari eduxiſſe author eſt. Alij Icarum Penelopis patrem Athenis primum vitem ſeuiſſe malunt, eúmq; poſtea à colonis ebriis interemptum, inde Propertius.

Icare Cecropius meritò iugulate colonis.

Athenæus ait apud Aetnam Siciliæ montem, vitem primùm inuentam, quòd cùm Oreſtheus Deucalionis filius eò

regnatum veniſſet, & eius canis ramum vitis fortè reuulſiſſet, eum protinus defodi iuſſit. Ad Gallos verò primùm vini vſum Aruntem Tyrrhenum attuliſſe aiunt. Is à Lucomone ſuo alumno, domo finibúſque patrius pulſus ad Gallos confugit; eíſque dulcedine vini allectis facilè perſuaſit, vt ſibi auxilio in Italiam venirent, qui facto agmine concurrẽtes, pulſis Tyrrhenis, ea terra potiti ſunt, vt Plutarchus in Camillo tradidit. Euſebius libro ſecũdo capite primo, author eſt, pleroſq; aſſeruiſſe Saturnũ ſororeCybele in vxorẽ ductaIſim & Oſirim genuiſſe, ab eóque Oſiri vineæ vſum adinuentum. Hos Herodotus libro ſecundo primos Aegyptiorum Deos appellat. Tabernam verò vinariam primi aperuerunt Lydij authore Herodoto. Plinius libro ſeptimo cap. 56. ait Staphylum Sitheni filium inſtituiſſe primum aquã vino admiſcendam, medicamentum vtique præcipuum ad ebrietatem vitandam. Ab ea vini immoderata libidine abſtinuere viri percelebres. Celebratur illud Cyri dictum à Marcellino: qui quum delatus ad hoſpitem interrogaretur ab eo, quid ad conuiuium parari deberet, panem reſponderat ſolum: ſperare enim aiebat ſe prope riuum cœnaturum. Apollonius Tyaneus, authore Philoſtrato, aquam bibebat, tanquam anima à vino pura conſpiciat vaticinationem, & homo abſtemius ſuauiùs quieſcat. Carthaginenſes in militia vinum non bibebant, vt docet Ariſtoteles in Oeconomicis. Monet Plato in tertio de Republica, abſtinendũ eſſe à vini temulentia cuſtodibus ciuitatum: ridiculum quippe foret cuſtodem indigere cuſtode. Moſes iubet in canonicis Scripturis, ſacerdotes ſacrificandi tempore à vino abſtinere. Salomon quoque magiſtratus & iudices præcipit ne vino vtantur. De vino referri poteſt hoc loco illud Pli-

nianum, nihilaliud esse viribus corporis vtilius, neque aliud voluptatibus pernicioſius, ſi modus abſit. Sobrietas decet omnes, & maximè principem. Ad rem redeo. Aedificauit quoque Noë altare Domino, & holocauſta ad altare obtulit, odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis: vnde habetote ararum altariúmque inuentionem, Deóque & Religioni addictionẽ Noë veteri patriarchæ aſcribi, & ad poſteros dehinc cõtinuata Religionis ſerie tranſlatũ fuiſſe vſum adornationis, apparationíſq; altarium. Sic & Abrahã Hebræi Imperij author, cùm relicta Chaldæa Chanaam Hebræi imperij grauidam longo tempore habitaſſet, in ea altare cõdidit, vbi victimas, & holocauſta Domino obtulit, vt capite duodecimo Geneſeos docetur, & Ioſephus libro primo capite ſeptimo proſequitur. Interiecto paruo temporis interſtitio cùm Abrahã Hebron appuliſſet iuxta conuallem Mambre, Domino altare ædificauit, vt decimo tertio capite Geneſeos ſcribitur. Poſtea Moſes quingẽtis annis, vt Euſebius, vel quadringentis annis, vt Zonaras opinatur, in templo, quod ex Domini mandato conſtruxerat, tria altaria partim aurea, partim argentea ædificauit: quibus thus, & inſtrumenta, quibus adoletur, ſuperaddidit: ibíque decem Domini præcepta publicauit, vt Zonaras libro primo poſt cæteros latiùs proſequitur: ſic & antea dixerat Dominus Iacob, ſurge & aſcende in locum Bethel, & habita illic, & fac altare Deo, qui tibi apparuit cùm fugeres à facie Eſau fratris, vt capite trigeſimo quinto Geneſis continetur, & Euſebius libro quinto, capite duodecimo ſcripſit prolixiùs Noë cum tribus liberis ſuis Sem, Cham, & Iaphet, poſtquam omnia in terris quieta conſpexit, relictis montibus Armeniæ, terræ planitiem aſſequitur: fuítque prima habitatio in terra

Sennaar, quo in loco paruo tẽporis adiecto interſtitio Babylon ædificata fuit. Iam lapſi erant poſt inundationem aquarum trecenti & quinquaginta anni, & annum agebat ætatis ſuæ Noë noningenteſimum quinquageſimum, cùm natura ei finem vitæ fecit, vt Ioſephus libro primo, capite octauo tradidit. Huic heroi maximo ſuperſtites fuerunt liberi tres. Sacri Bibliorum libri, Sem maiorem natu recenſent. Ioſephus planè allucinatur quando Sem primo libro antiquitatum, decimo quarto capite nouiſſimũ liberorũ Noë exiſtimauit: à cuius ſtipite Chriſtus naſcitur. Ideo hiſtoriæ noſtræ enarratio ab eo ducet initiũ. Sem natus eſt anno à creato orbe milleſimo quingẽteſimo quinquageſimo ſeptimo, & biennio poſt diluuiũ genuit Arphaxad, & poſtea vixit quingẽtis annis, vt ex ſeptuaginta interpretibus aperuit Marianus Scotus: genuit præterea Elã, Aſſur, Lud, & Arã, vt capite decimo Geneſis edocetur, & Ioſephꝰ libro antiquitatũ primo, capite decimo quarto latiùs proſequitur. Ij vſque ad Oceanũ ſeorſum habitarũt Aſiam, ab Eufrate ſumẽtes initiũ. Arnobius Rhetor in expoſitione pſalmi centeſimi quarti, ſic loquitur, Sem primo genito Noë pars obuenit à Perſide, & Bactris vſq; ad Indiam, & vſque ad Rinocoꝛuras, quæ terrarum ſpatia ſeptẽ & viginti linguarum differentias cõplectuntur. Omnia ex ordine nobis excuttenda ſeſe offerunt. Arphaxad Arphaxadros populos nominauit, qui poſtea Chaldæi dicti ſunt. Elam Elamitis, qui nunc Perſæ dicuntur, exordiũ tribuit. Aſſur, à nomine ſuo, aſſyrios nominauit. Lud Lydios initio habuit. Aram verò Armenios inſtituit, quos Græci Syrios appellant. Quæ omia Ioſephus libro primo, capite decimo quarto antiquitatum tradidit. Et ſic occuparunt hi Aſiæ imperium, & ex his duæ Monar-

chiæ deductæ perhibentur: Assyriorum enim Monarchia, ab Assur originem traxit: Persarum verò Monarchia Elam sibi authorem ascribit. De omnibus his speciatim agendum.

DE ASSYRIORVM MONARCHIA, ET IMPERII EXORDIO ET FINE.

REGNVM Assyriorum antiquissimũ omniũ regnorum fuisse ex historiis constat. Assur Niniuem construxit, quæ postea Ninus dicta est, vt Iosepho, Augustino, Philoni, Eusebio, & Zonaræ placet, quæ multo maior fuit Babylone in Aturiæ campo ad Tigridis fluminis vndas sita, vt Strabo libro decimo sexto, & Herodotus libro primo tradiderunt. Hæc postea Ninus à Nino rege dicta est, Regiáque imperij Assyriæ facta. Sabellicus libro Enneadum primo, Ninum excelsæ magnitudinis vrbem, Ninum regem construxisse omnibus Asiæ populis ad id opus accersitis, in Aturiæ campis (quæ pars est Assyriæ) author est, & quadringentorũ stadiorum aream metatum, & mille quingentis turribus cinxisse, eámq; vrbem à nomine suo Ninum appellasse. Quæ tam insignis ciuitas, anno post Troiam captã trecentesimo septuagesimo quinto, dum Latinis Procas Syluius decimus quartus Rex imperabat, prædicationem Ionæ audiuit, quæ huic vrbi proximum excidium interminabatur, & paruo interiecto temporis

tẽporis interstitio, solo radicitùs adæquatur, vt Haitonus libro de Tartaris secundo latiùs prosequitur. Hæc Assyriæ regio terminatur à septentrione Armenia iuxta Niphatem montem, ab occasu Mesopotamia iuxta expositam partem Tigridis fluuij, à meridie Susiana, ab oriente parte, Media, vt Ptolomæus in quarta & quinta Asiæ tabulis edocuit. Cuius regionis præstantiores vrbes sunt Arbela, Cresiphon, Marde, Darga, Comopotis, Sarbena, Gomarra, Apollonia. Dion in vita Traiani addit Gamgamellam, in cuius campis Alexander Darium bello fudit. Hæc Assyriæ regio primo Assyria dicta, postea Syria, vt Iustinus libro primo tradidit. Herodotus libro septimo morem pugnandi Assyriorũ describens ait, Assyrij in bello hoc ornatu vtuntur, ferreas in capitibus galeas barbarico quodammodo consertas non facilè penetrabiles ferunt, clypeos, hastas, pugiones Aegyptiacis similes, & præterea ligneas clauas ferro inductas, ac lineos thoraces: Isti Græcis Syrij vocantur, sed à Barbaris Assyrij dicti sunt. Plinius libro quinto capite duodecimo, Syriam ante Assyriam dictam author est. Strabo libro decimo sexto, Syriã ab ortu trans amnes, Tigrin & Euphratem, Assyriam dici vult: quod & Vadianus cõmentariis ad Pomponiũ Melam probasse videtur. Dion in vita Traiani Assyriæ dictionem à Barbaris corruptam quandoque fuisse monstrat, dum littera S. in T. mutata Attyria nuncupabatur. Ammianus libro decimo quarto Assyriam vicinã Syriæ prouinciæ docet: quod & Iosephus libro antiquitatum primo probat. Sabellicus libro Enneadũ quarto, ait Syriam olim fuisse terrarum maximam, Syrúmque Apollinis filiũ ei nomen indidisse, vt comminiscuntur veteres. In plures distincta partes diuersi modi nomen sortita est, Palestina, &

qua Arabiam contingit, Iudæa, Cœle, Phœnice, & qua recedit intus Damascena, & qua intus ad Meridiem recedit Babylonia eadem, & Mosopotamia inter Tigrim, & Euphratem, qua Taurum transcendit Rophone, citra verò, Comagene, & vltra Armeniam Adiabente, peculiariter Assyria olim dicta, & vbi Ciliciam attingit, Antiochia. Cæterùm Palæstina Aegyptiaco alluitur pelago, & Iordane fluuio ad orientẽ. Hęc à Plinio libro quinto mutuatus Sabellicus satis videtur, sed quia locus is Plinij corruptus est, à Budæo libro de asse quarto restituitur. Hanc terram sacri Bibliorũ libri, item & Iosephus Chananæã appellãt. Eusebius, & Marianus Scotus in chronologiis anno bis millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, regnãte in Assyria Manchaleo duodecimo rege, Syriã à Syrio indigena nomẽ accepisse aiunt. Dion in vita Traiani Antiochiã Metropolim Syriæ appellat: adeò verũ in illa terra potuit mutare vetustas. Nec minùs concertatum inter nostros de nomine Assyriæ, quàm de Assyriorũ imperio res planè loquitur. Iustinus libro primo mille & trecẽtis annis in Assyriæ imperio regnatũ perhibet. Herodotus libro primo inquit, Assyriis annis quingẽtis & viginti superiorẽ Asiã obtinẽtibus, primi Medi ab ipsis deficere cœperunt, qui cũ Assyriis pro libertate concertarunt, & strenuos se milites declararũt, excussóq; seruitutis iugo in libertatem sese asseruerunt, post quos & cæteræ nationes idem fecerunt, quod iam Medis successerat: quod in Medorũ imperio latiùs excutietur. Dionysius Halicarnasseus libro primo ait Assyriorum imperiũ retrò ad fabulosa vsque tẽpora perstringens, modicã quandã Asiæ partem occupasse. hoc ad Medos translatum. Guillelmus Budæus ait libro de asse quarto, cùm Syros à Medis euersos dicunt historiæ, nullos alios Syros intellexisse, quàm qui Babylonẽ, & Ninũ regni caput effecerunt. Diodorus Siculus libro de fabulosis antiquorũ gestis tertio, Assyriorum imperiũ mille trecẽtis quinquaginta annis sceptra terræ rexisse author est. Nomina regum, quãtóq; quis regnarit tempore, cùm nihil dignum memoria egerint, rarò scribuntur, & triginta reges à Nino ad Sardanapalũ Assyriorum regno potitos Diodorus author est. Eusebius sex & triginta reges in Assyria regnasse mille ducẽtis & quadraginta annis asseuerat. Primus Assyriorũ rex Belus, Nini pater fuit, cuius tẽpore Saturnus, vt Sabellicus docet, vixisse traditur. Lactãtius libro primo, Belũ hũc, qui ab Assyriis colebatur, trecentis annis bellum Troianũ præcessisse author est, & ei æqualẽ fuisse Saturnũ Guillelmus Budæus libro de asse quarto dixit se ex historiis Eusebij colligere, Saturnũ in Italia ante Troianũ bellum centũ fermè annis regnasse, & Dauid in Iudæa post Troiam captã totidẽ propè annorũ spatio. Polydorus Vergilius libro primo capite quinto, anno ab orbe cõdito ter millesimo centesimo octuagesimo, Syriis Belum imperasse affirmat: quæ tẽporis ratio si ad verã calculi dispunctionem referatur, vix est vt cõsistere possit: cõstat enim Abraham, & Nini filij Beli, regnatoris Asiæ eadẽ fuisse tẽpora, quod Eusebius libro decimo capite tertio de præparatione Euãgelica annotauit, & anno quinquagesimo Abrahæ, Noë egit animã: qui quidẽ Noë trecẽtis quinquaginta annis post aquarũ inũdationẽ superstes fuerat, vt scripserũt Augustinus, Philo, Carion, & Melãchthon. Frequẽtior & verior cẽsetur sententia, diluuiũ anno millesimo quingẽtesimo sexagesimo ab origine generis humani inũdasse. Si huic calculo addãtur trecẽti anni, bis mille annos non efficient, quo tẽpore Ninus Assyriæ rexit imperiũ: nõ est igitur verisimilis

Polydori Vergilij hæc annorum supputatio. Carion libro primo vult cœpisse hanc Assyriorum monarchiã propemodũ sub terminum bis mille à creato orbe annorum. Bibliander Nini imperij initiũ ad millesimũ noningentesimũ sextum annũ à creato orbe reiicit. Philippus Melanchthon imperiũ Nini huius nominis secũdi, filij Nini & Semiramidis, ad bis mille vigesimum secundum à creato orbe annũ reponit. Belo extincto Assyriorũ imperiũ Ninus vnicus eius filius cõsequitur. Iam regna in vniuersum ferè creuerãt. Arieus Arabiæ regno præerat. Buzanes Armeniæ rex erat. Medorum imperium Pharnus regebat. Zoroastres Bactrianis dominabatur. Sicyoniorũ rex primus erat Aegialeus, à quo Aegialeum nomen sumpsit, quod postea Peloponesus, & nunc Morea dicitur. Aegyptiis Thebei, vt Eusebius scribit, dominabantur. Ninus vbi primùm Assyriæ regni titulis ornatur, veterem, & quasi auitum gentium morem noua imperij cupiditate mutauit, primúsque finitimis bellum intulit, & rudes ad resistendum populos ad Libyæ vsque terminos perdomuit, & magnitudinẽ quæsitæ dominationis, cõtinua possessione firmauit: nam cùm domitis proximis accessione vrbium fortior ad alios transiret, & proxima quæque victoria, initium sequentis esset, totius orientis (si Indos excipias) populos ditioni suæ submisit. Arieum Arabiæ regem modico negotio fudit Buzanes Armeniæ rex, vbi primùm Nini copias Armeniam ingressas præsensit, cùm nullâ in re minus, quàm in armis spem repositam haberet, appropinquanti Nino cum muneribus occurrit. huic supplici Ninus, commeatu & militibus imperatis, regnum restituit. Hinc vbi Medorum imperium adoritur Pharnus rex Mediæ, cum septem liberis, validóque stipatus exercitu it obuiam. Is prælio com-

missō cum septem liberis occubuit. in Bactriam verò proficiscens exercitum in plures diuisit partes. Sunt in Bactria plures insignes vrbes, quarum Bactria totius ditionis est Regia, & cæteris præstantior habetur tum magnitudine, tum arce admodum munita. Bactrianorum rex erat Zoroastres, cui falsò à Iustino libro primo ascribitur prima siderum obseruatio, cùm iam ante diluuium hæ siderum obseruationes, vt iam prædiximus, notatæ & obseruatæ fuissent. Is Zoroastres comparato hominum quadringentorum millium valido exercitu Nino occurrit, permisitq; de industria hosti facultatem prouinciam ingredi, & pugna inita hostes in fugam versos superat, prosequitúrque cædendo vsque ad montes proximos, centum millibus hostium cæsis. Ninus suis suppetias fert. superantur Bactriani à multitudine Assyriorum. Ninus Bactriæ regnum ingressus, vrbibus regni Bactriæ potitur. supererat Bactria & loci natura, & rebus cæteris, quæ ad propugnacula hostium diripienda pertinent, munita: quam cùm primo congressu Ninus non oppugnat, obsedit protracta longiùs obsidione. Semiramis à Menone viro suo, qui Nino in castris auxilio aderat, accersitur. hæc cùm Bactriam appulisset perspecta obsidione, tum locis vrbísque situ, quibus adiri posset, animaduersis, arcem, quam (quia loci natura muniebatur) nullus tentarat, custodiis vacuam conspiciens superata loci asperitate, partem arcis cepit, magnóque ad terrorem excitato tumultu, signum captæ arcis obsidentibus dedit. Qui vrbi præsidio erant, amissa arce obstupefacti relictis mœnibus fuga salutí consuluerunt. Capta ciuitate Ninus admiratus Semiramidis virtutem, postquam eam plurimis bonis cumulauit, pulchritudine eius allicitur. De diuortio

cum viro suo faciendo plurimus tractatus apparatur. frustrà omnia fiunt. Vbi verba, & aliarum nuptiarum elegans promissio, nihil virum Semiramidis mouent, adduntur à Nino acerrimæ minæ, quibus perculsus Menones, simul & Semiramidis vxoris suæ incensus amore, laqueo vitam sibi ademit. Semiramidem sibi Ninus connubio iungit, quæ omnia Diodorus Siculus libro de fabulosis antiquorum gestis tertio, susiùs prosequitur. Expugnata Bactria thesauri omnes Bactrianorum, magnum argenti pondus & auri, ad Ninum deueniunt qui constitutis Bactrianorum rebus, postquam omnem Asiam annis decem & septem, exceptis Indis, in potestatem suam redegit, excessit è vita, relicta Semiramide, & vnico filio, cui Nini nomen indiderat. sepultus est in regia Niniue, in Mausoleo ingentis molis altitudine, & nouem stadiorum latitudine. Quadragesimo tertio huius Nini regno nascitur Abraham, vt Eusebius in chronologia annotauit. Semiramis mortuo Nino excelluit factis planè heroicis, & imperij fines regionibus adiectis, & munitionibus adauxit. Imperauit felicissimis auspiciis, annis duobus & quadraginta & octingentis ante Troiã incẽsam, vt Eusebius libro decimo, capite tertio de præparatione Euãgelica annotauit, anno ab orbe creato, vt Theodorus Bibliander supputauit, millesimo noningentesimo quinquagesimo octauo. Vrbẽ Babylõ mira arte ædificiis, fossis, mœnibus circũductis inexpugnabilem reddidit. Iustinus libro primo, Semiramidem Babyloniam condidisse author est, murúmque vrbis cocto latere circumdedisse, arena, pice, Bitumine interstrato, quod cæteri authores negant. Ex historiis accepimus, Nembrotum Babylonem designasse, anno à creato orbe millesimo (vt Bibliander tradidit) septingentesimo octuagesimo

septimo, Belum fundasse, Semiramidem ampliasse, quod in Chaldæorũ imperio, vbi Babylon sita est, latiùs excutietur. Aethiopiam quoque Assyriorum imperio adiecit. Indis bellum intulit, quò præter illam, & Alexandrum nemo intrauit. vicit Staurobatem Indorum regem ad Indum fluuium nauali certamine: deinde ab eo terrestri prælio saucia & superata ad Bactrianos suos rediens, maiorem exercitus partem perdidit. Nouissimo loco cùm concubitum filij immoderata venere efflagitasset, ab eo interfecta traditur, anno suæ ætatis sexagesimo secundo, imperij verò sui quadragesimo secundo, vt Diodorus Siculus libro de fabulosis antiquorum gestis tertio, latiùs prosequitur. Mortua Semiramide Ninus iunior, qui & Zameus dictus est, Assyriorum regnum tanquam legitimus hæres consequitur, anno ab orbe creato bis millesimo vigesimo secundo. Hic sumpto regno nec patri, nec matri similis, pacem cum singulis egit, & omne vitæ tempus reclusus in regia, conspectum hominum vitans, inter pellices & eunuchos otium, & delicias secutus, traduxit. Dum Ninus iunior in Assyria tam molliter regnat, Abraham ex Aegypto reuersus, eam Chananæ partem incoluit, in qua ex Mesopotamia profugus iam antea consederat, vt Sabellicus libro Enneadum secundo annotauit, iámque nouum regnum exoritur. Cres indigena primus omnium in Creta insula regnauit, à quo ipsi insulæ nomen datum verisimile est, cùm antea Aëria diceretur, quem in Creta regnasse anno trigesimo Nini, Eusebius scripsit: iámque potens regnum in Aegypto esse cœperat, & regum communis appellatio, Pharao erat. Non erat hoc proprium nomen regum Aegyptiorum, sed pro dignitate eo nomine reges vtebantur, quod est à libertate sumptum: Nam Pha-

rao liberum significat. Dum hæc aguntur in Syrorum regno, Apis dominatur, à quo Apia, quę nũc Peloponesus, priùs Aegilia nuncupata. Postquam regnauit Ninus tertius Assyriæ imperator octo & triginta annos, natura finem vitæ ei fecit. Quartus Assyriorum rex Arieus recensetur, qui triginta annis Assyriorum rexit imperium. Dum is Assyriis dominatur, Noë agit animam, vt Eusebius tradidit. Abraham cùm iam septuagesimum quintum annum ageret, diuino dignus habetur colloquio. Hoc quoque tempore in Peloponesi regno dominatur Thelasion, quintus Sicyoniorum rex: & Abraham ex ancilla Agare genuit Ismaël, à quo Ismaëlitarum populi, qui postea Agareni, & nouissimo loco Sarraceni dicti sunt, vt Eusebius latiùs tradidit. Horum Assyriorũ regum vita tam parùm rebus gestis illustris habetur, cùm nihil dignũ memoria gesserint, vt silentio ab omnibus ferè historiis prætereantur. Mortuo Arieo, in regno Assyriæ regnat Analius annos quadraginta. Hoc tempore in Peloponesiaco regno, rex est Aegidius: & Sodoma, & Gomorrha succensæ sunt, vt latiùs infra in Iudæorum historia describetur. Isaac sexagesimo suæ ætatis anno generat Iacob. Primus omnium prophetarum Abraham, Verbum Dei, quomodo in figura apparuisset humana gentibus enunciauit. vocationem gentium pollicetur, vt Eusebius latiùs prosequitur. Analio successit Xerxes sextus Assyriorũ rex, qui regnauit annos triginta. Hic & Balaneus dictus est. Sicyoniorũ rex tũc erat Tiramachus. Hoc sexto Assyriorũ rege regnãte, nascitur Argiuorum regnum, cuius primus rex fuit Inachus. Inachi filia fuit Io, quam Aegyptij mutato nomine Isidẽ vocarũt, & coluerũt. Inachi primi Argiuorum regis, & Iacob, qui Israël dictus est, eadẽ fuêre

fuêre tempora. Septimus Assyriorum rex Armamittes fuit, qui regnauit annos octo, & triginta, huius regno moritur Abraham anno ætatis suæ centesimo quinto, & anno, ab orbe condito, vt Theodorus Bibliander annotauit, bis millesimo centesimo vigesimo tertio. Hoc quoque tempore Apis in Aegypto primùm Deus putatus est, quem quidam Serapim vocauerunt, anno ab orbe creato (si vera est Theodori Bibliandri supputatio) bis millesimo centesimo vigesimo octauo. Octauus Assyriorum rex Belochus traditur, qui quinque & triginta annos regnauit. Tunc Argis Phoroneus, Inachi & Niobæ filius imperat. hic leges primus iudiciáque cõscripsisse ab Eusebio traditur, cuius in Timæo meminit Plato. Eusebius libro decimo de præparatione Euangelica, imperij Assyriæ quadringentesimo & secundo anno, Belocho rege octauo Assyriæ regnante, Mosem populum Domini eduxisse ex Aegypto author est: quod Budæus libro quarto de asse probat. Mihi ea temporis ratio nulla probabili causa consistere videtur: cùm enim ex historiis, eodémque Eusebio authore constet, Abrahamum quadragesimo tertio imperij Nini anno natum, vixisse centũ septuaginta & quinque annos, & ab Abrahano ad Mosem fluxisse quingẽtos, & quinquaginta annos, vt initio chronologiæ idẽ Eusebius tradidit: quî fieri potest, vt Belochi, & Mosis eadem fuerint tempora, cùm idem Eusebius tradiderit in chronologia? Inachi, & Israëlis eadem fuisse tempora, qui Inachus primus Argiuorum rex, coætaneus fuit Analij sexti Assyriorum regis: at ex Iacob natum Ioseph constat, & populum Domini à morte Ioseph in Aegypto seruitutem seruiuisse, antequam à Mose educeretur, centum quadraginta & quatuor annos, vt idem Eusebius in chronolo-

gia ſua deſcripſit: vel vt Sabellicus vult, qui à tempore aduẽtus Iacob in Aegyptũ, vſq; ad egreſſũ Aegypti Moſe duce ducentos quinq; enumerat annos. Ideo impoſſibilis ea videtur ſupputatio: ſed res tam veteres pro vero affirmare nemo neque poteſt, neq; audet, cùm maxime ex Euſebio, Sabellico, & aliis hiſtoricis conſtet, Iſaac mortuum regnante Baleo nono Aſſyriorum rege, & illius regis imperio Iacob Aegyptum ingreſſum. Ego in Budæi libro errore impreſſoris mendum eſſe exiſtimo, vt infra in Belocho, decimi octaui Aſſyriorum regis imperio, excutiemus, & fuſiùs omnia ad huiuſcemodi calculi rationem locis magis congruis aperiemus. Nonus Aſſyriorum rex Baleus numeratur, qui duos & quinquaginta regnauit annos, ſed quo anno regnarit interſcribentes parùm cõuenit. Sabellicus libro Enneadum ſecundo, regnum hoc ad ter milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum à creato orbe annum reponit. Theodorus Bibliãder procul ab hoc calculo abeſt, qui anno à creato orbe bis milleſimo ducẽteſimo vndecimo, Baleum in Aſſyria regnaſſe author eſt. Euſebius huius noni Aſſyriorum regis ſceptra ad ter milleſimum quadringenteſimũ quadrageſimum annũ reiicit. Dum hic nonus rex Aſſyriæ regnat, moritur Iſaac, & Iacob, & eius liberi Aegypti terram ingrediuntur, vt Euſebius in chronologia, & Sabellicus tradiderũt. Decimus Aſſyriorum rex Altadas perhibetur, qui duos, & triginta regnauit annos, quo tempore Aegyptiis Chebron rex erat, Argis verò Argus imperabat, & vt pleriſque placuit, hoc tempore fuit Prometheus, à quo homines creatos poëtæ comminiſcuntur: & re vera cùm alto quodam eſſet præditus ingenio, feritatem hominum & nimiam imperitiam metamorphoſi quadam ad humanitatem & prudentiam con-

uertit, vt & Euſebius in chronologia annotauit. Vndecimus Aſſyriorũ rex fuit Mamethus, qui triginta regnauit annos, quo tẽpore Sicyoniorũ rex Plẽneus erat. Aegyptiorũ, vt ante diximus, reges omnes Pharaones tunc dicebãtur, non hoc proprium nomen habentes, ſed pro dignitate Aegyptiorum reges eo nomine vtebantur. habebat ergo vnuſquiſque Pharao proprium nomen, & is qui hoc tempore regnabat Memphres dicebatur: quod & Euſebius annotauit. Hoc vndecimo Aſſyriorum rege regnante, moritur Ioſeph in Aegypto, anno ætatis ſuæ centeſimo decimo, vt capite quinquageſimo Geneſis edocetur: poſt cuius interitum Hebræi Aegyptiis duram ſeruitutem ſeruierunt, annis, vt Euſebius vult, centum quadraginta quatuor, vel vt Bibliander cenſet, centum octoginta & octo. Duodecimus Aſſyriorum rex Manaleus fuit, qui triginta regnauit annos. Sicyoniorum rex tunc erat Octopholix: Aegyptiorum verò rex erat Thuthemoſis: Argiuorum rex erat Craſſus, quintus eorum rex. His quoque temporibus Atlas Promethei frater clarus habebatur, qui ob aſtrologiæ artem, in qua maximè præcelluit, cælum ſuſtinere à poëtis dictus eſt, vt Euſebius tradidit. Non deſunt tamen alij ſcribentes, qui Prometheum, & Epimetheum, & Atlantem fratrem Promethei, & Argũ cuncta cernentem, fuiſſe tempore quo Mamillas decimus quartus rex Aſſyriorum regebat imperium. Alij ætate Cecropidis hos floruiſſe malunt. Non deſunt qui ante Cecropidem ſexaginta annis extitiſſe hos malint, vt Euſebius, diuerſis in locis, ſua in Chronologia diſſeruit. Decimus tertius Aſſyriorum rex fuit Ipherenus, qui regnauit annos viginti. Anno eius regni duodecimo, natus eſt Aaron, & decimo quarto anno eius regni, natus eſt Moſes, Exodi ſe-

cundo, & Act. septimo capite: sic & Eusebius, & Bibliander annotarunt: non tamen parua est in horum patriarcharũ natiuitate controuersia. Eusebius initio suæ chronologiæ, Cecropidis, & Mosis eadem fuisse tempora author est, ex Porphyrij verò cõputatione Moses, & Semiramis coëquales reperiuntur. Iustinus Martyr, temporum inquit, Ogygis & Inachi, quos terra natos quidem ex vestris existimauere, Mosis historię meminerũt. sic & Polemon in primo Hellenicõn meminit, & Appion Posßidonij, in libro, quem contra Iudæos scripsit, cum iis conuenit, vt Guillelmus Budæus libro de asse quarto latiùs prosequitur. Ex veris tamen Eusebij historiis habemus, Abrahami & Semiramidis eadẽ fuisse tempora. Inachum verò Argiuorum regem, & Iacob æquales tempore fuisse. Mosem verò & Cecropidem coætaneos inuenimus: Cecrops enim Athenis regnauit, dum Sparetus, qui decimus quintus Assyriæ rex fuit, vt infrà in Spareto tractabimus. Decimus quartus Assyriorum rex Sparetus traditur, qui quadraginta regnauit annos, anno ab orbe condito, vt Bibliander supputauit, bis millesimo quadringẽtesimo quinto, vel vt Eusebius mauult, anno ter millesimo sexcẽtesimo quadragesimo. Anno eius regni vigesimo septimo Athenæ (ab Eusebio) conditæ traduntur, vt in Attico regno aperietur. Athenis primus regnauit Cecrops, à cuius regno vsq; ad Troiæ euersionem trecenti septuaginta & quinq; anni numerãtur. dictus est autem Cecrops Diphyes, id est duarũ naturarum homo, siue ob longitudinem corporis, siue quòd cùm Aegyptius esset, vtramq; callebat linguã, siue Græcam siue Aegyptiacam. Primus omnium Cecrops bouem immolauit, Iouémque Deum appellauit. Huius Cecropis tempore diluuium sub Deucalione in Thessalia, &

incendium sub Phaëthonte factum, Eusebius & Bibliander tradiderunt. Decimus sextus Assyriorum rex Ascarades nominatur, anno ab orbe condito, si Theodoro Bibliandro credimus, bis millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto. Huius regis tempore Sicyoniorum rex Ericeus erat, Argis verò Crotopus imperabat, Athenienſium rex Cecrops erat. Aegyptiorum rex erat Acherres. anno huius Ascaradis decimi sexti Assyriorum regis quarto, Moses & Aaron populum ex Aegypto traducunt. Moses octogesimum annum agens dux itineris Hebræorum à Domino creatur. legem eis in eremo per quadraginta continuos annos tradens, in Sina monte diuino fruitur aspectu, à quo tempore vsque ad Salomonem, & ædificationem templi, numerantur ab Eusebio anni quadringenti: sed huius supputationis in Hebræorum historia fuit amplior dissentio. In hoc supputationis genere, non satis conuenit inter eos qui has historias nobis per manus tradiderũt. Eusebius regnante apud Aegyptios Amasidc, Iudæos ab Aegyptiis defeciſſe, Mose duce existimauit. Iosephus verò Thremosim regem appellat Pharaonem, non Amasim, quod Guillelmus Budæus de asse prosequitur. Decimus septimus Assyriorum rex fuit Amirtæus, qui licet nihil dignum memoria egerit, eius tamen regno durante, pleraque in hoc orbe terrarum non contemnẽda euenerunt. Regnauit annos quinque & quadraginta, anno vt Eusebius vult, ter millesimo septingentesimo vigesimo, vel vt Bibliander mauult, bis millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto. Dum Aegyptiis imperabat Armeus, qui & Danaus dictus est, apud Argos dominabatur Stelenus. Atheniẽsibus rex erat Erichthonius, quartus eorum rex. Hoc tempore fiunt potentissima regna. Lacedæmon condi-

tur à Lacedæmone Semelis filio. hinc Lacedæmoniæ regnũ. Dardanus Dardaniam condidit, hinc Troia. Proserpinam rapuit Orcus, Molossorum rex. Anno tertio regni huius Amirtæ moritur Aaron, qui fuit, si vera est Bibliandri supputatio, ab orbe creato bis millesimus quadringentesimus octogesimus septimus. In locum eius sufficitur Eleazar. Moritur quoque Moses agens annum centesimum & vigesimum, Deuter. trigesimo octauo capite. Mosi in administratione Hebraicarum rerum successit Iosuë. Aegyptus, quæ antea Aëria dicebatur, ab Aegypto nomen accepit, quæ omnia Eusebius latiùs in historiis prosequitur. Decimus octauus Assyriorum rex Belochus nominatur, cuius filia Actosa, quæ & Semiramis dicta, regnat cum patre, anno à creato orbe, si Bibliandro (qui cæteris non conuenit) fides adhibeatur, bis millesimo quingentesimo trigesimo. De hoc Belocho Guillelmus Budæus libro quarto de Asse verba mihi fecisse videtur: quoniam, inquit, porrò Assyriorum antiquissimum omnium regnorum fuisse constat, cuius quadringentesimo & secundo anno, Belocho rege octauo regnante, Moses populum Domini eduxit ex Aegypto, vt author est Eusebius libro decimo de præparatione Euangelica. Ego mendum in eo loco esse existimo, vbi Belochi octaui Assyriorum regis meminit, & decimi octaui legendum puto: quadringenti enim & duo anni Belocho octauo regi non conueniunt. Præterea ex Bibliorum libris septem generationes ab Abraham ad Mosem enumerantur, quæ huic octauo Belocho congruere non possunt: quinimo neque Iacob, neque Ioseph, eo rege Belocho octauo superstite egerant animam. quî ergo Moses auos, proauos, & tritauos suos præcedere potuit? quæ omnia, si liber Budæi ad hunc Belochum decimum octauum

regem Assyriæ referatur, recto sermone, & vera historia sustinentur: ideo decimo octauo legendum existimo, vbi octauo legitur. Hoc rege regnante Bithynia à Phœnice condita est, quo tempore Athenienſium Pandion quintus rex fuit, & eo quoque tempore vixerunt Rhadamanthus, & Sarpedon reges Lyciorum. Cadmus Thebis regnat, ex cuius filia Semele natus perhibetur Dionysius primus, Liber pater: sub quo & Linus Thebeus musicus fuisse traditur. Sicyoniis eo tempore imperabat Epopeus. Primus Hebræorum iudex, ex tribu Iuda Othoniel creatur. Post mortẽ Iosue Hebræi alienigenis paruerunt, annis octo, qui iunguntur Othonielis temporibus, vt omnia ex historiis Eusebij colliguntur. Decimus nonus Assyriorum rex fuit Bellipares, qui triginta regnauit annis, quo tẽpore imperabat Argiuis Pelops, à quo Peloponesus dicta. Athenienſium rex est Erichtheus, Hebræis Aoth, ex tribu Effren iudex est: Post Othonielem alienigenæ subiectos habuêre Hebræos annis octo & decem. Sicyoniorũ eo tempore rex erat Epopeus. Vigesimus Assyriorum rex fuit Lampades, qui tres & triginta regnauit annos, quo tempore in Dardania regnauit Tros, à quo Troiani dicti. Thebis expulso Cadmo Amphion, & Zethus regnarunt. Athenis rex erat Erichtheus. Argos Prœtus imperio regit. Sicyoniorum rex fuit Laomedon. Vigesimus primus Assyriorum rex Sosares annumeratur, qui viginti, vt Eusebio placuit, regnauit annos. Vigesimus secundus rex gentis illius, fuit Lampetes, cuius tempore Sicyoniis rex est Sicyon, à quo Sicyoniorum populus nomen accepit, qui primo Aegilaci vocabantur. Eo quoque tempore Argiuorũ rex Acriseus erat, Athenienſium rex septimus fuit Cecrops. Hoc tempore Cyrene ciuitas condita in Libya tradi-

tur. Ion vir fortis ex suo nomine Iones Athenienses appellauit, vt ex Eusebij historiis accepimus. Hoc quoque tempore Dionysius, qui & Liber pater dictus est, aduersus Indos dimicans, Nisam vrbem iuxta Indum fluuium cõdidit. Amphion Thebis regnat. Hebræorum Iudices sunt Delborra ex tribu Ephraim, & Barael ex tribu Neptalim, & redacti sunt Hebræi anni viginti in alienigenarum ditionem, vt Iudicum capitibus quarto, quinto, & sexto continetur Vigesimus tertius Assyriorum rex fuisse perhibetur, Pamias, anno ab orbe creato, vt Bibliander annotauit, bis millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo, qui regnauit, vt Eusebius vult, annos quinque & quadraginta. Hoc tempore Peloponensium rex fuit Polybus. Eo quoque tempore Argiuorum reges deficiunt, qui regnauerant annos quingentos & quadraginta quatuor, & in Mycenas imperio translato post Acrisium regem regnauit Euristheus filius Steleni annis quinque & quadraginta. Athenienſibus verò Pandion rex erat. Midas tunc regnauit in Phrygia, anno ab orbe condito bis millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, vt Bibliander vult. Hebræorum Iudex Gedeon habetur, & Hebræi in alienigenarum ditionem annis septem deiiciuntur, qui Gedeonis temporibus iunguntur. Tunc Tyriorum ciuitas conditur, Iudicum 6. 7. & 8. capitibus, ante templum Hierosolymorum, annis ducentis & quadraginta, vt libro tertio Iosephus edocuit, & eo tempore id quod fabulæ narrant de Dædalo, contigisse aiunt: qui visus est simulacra fecisse mouentia. Primus enim omnium pedes statuarũ à corpore inuicem separauit, alis coniunctim eos facientibus. sic cum filio Icaro Minoëm naui fugeret, propter inuestigabilem fugam pennis euolasse existimatus est. Vigesimus

gesimus quartus Assyriorũ rex Sobermus numeratur. Et si ij omnes reges possent propter rerum ab his feliciter gestarum inopiam, iusto silentio transmitti, quia tamen horum regum tempore plurimis rebus bene gestis mundus floruit, repetenda eorum regum est memoria, quo facilior vniuersæ historiæ fides eluceſcat. Regnat hic vt pleriſque scriptoribus placet, anno ab orbe creato bis millesimo septingentesimo duodecimo. hoc tempore Abimelech filius Gedeonis, tribus annis iudex Hebræorum est, vt liber Iudicum 8. & 9. capitibus docet. Aegyptiis tunc Amenophis rex est. Mycenarum rex Atreus illo tempore est. Minoëm Cretensibus hoc quoque tempore leges dedisse scriptum est, quod Plato manifesti mandacij arguit. Athenarum rex erat Thesius, decimus rex, & eo regnante Androgeus dolo interceptus occubuit. Peloponensium rex erat Phestus, vigesimus secundus rex. Vigesimus sextus Assyriorum rex iure sanguinis Theotanes constituitur, anno ab orbe creato bis millesimo septingentesimo quinquagesimo octauo, vt Theodorus Bibliander annotauit, cuius supputatio propiùs ad veram calculi rationem accedere meo iudicio videtur. hic duos & triginta regnat annos, vt Eusebius vult. huius regis tempore Iudices Hebræorum fuerunt Iephte, & Huris, Iudicũ decimo, vndecimo, & duodecimo capitibus: Abesan annis septem vel aliàs Boaz, Iudicum duodecimo: Elom Zabulonites annis decem, Iudicũ duodecimo: Samson decimo tertio, decimo quarto, & decimo sexto. Aegypti rex fuit Annimenes, post quem Thoris, cuius regni anno 7. Eusebius occasum Troiæ accidisse author est. Is, vt Eusebius docet, ab Homero Polybus vocatur, cuius meminit in Odyssea, quãdo ait post Ilij euersionem Menelaum & Helenam ad eum

diuertisse. Dum hic Theotanes Assyriis imperat, raptum Thesei, qui Helenam rapuit, accidisse author est Eusebius. quam Helenæ fratres Theseo peregrè profecto, capta Thesei matre, intactam receperunt. Mycenarum rex, dum hic Theotanes in Assyria regnat, fuit Agamemnon. Athenien-
siũ verò rex fuit Menestheus. Ab eo Theotane Assyriorum rege Diodorus Siculus libro de antiquorum fabulosis gestis, narrat Priamum bello oppressum, auxilium, vtpote Assyriis subditum, per legatos postulasse, eíque decem millia Aethiopum, totidémque Susianos cum ducentis curribus, duce Memnone ad Troiam misisse. hic Memnon ætate florens, atque animi & corporis præstantia insignis, egregiè ad Troiam pugnans à Thessalis per insidias interceptus occiditur, hinc Virgilius.

Eoásque acies, & nigri Memnonis arma.

Hunc Theotanem Diodorus Siculus, à Nino & Semiramide vigesimum Assyriorum regem existimauit: Eusebius vigesimum sextum Assyriorum scripsit. hoc Theotane rege regnante, Troia à Græcis immisso incendio collabitur, anno à creato orbe, vt Bibliander annotauit, bis millesimo septingentesimo nonagesimo septimo: ante initium vrbis Romæ annis quadringentis triginta duobus, vt Dionysius tradidit: ante primam Olympiadem quadringentis sex annis, vt Eusebius vult: decem & septem diebus ante solstitium, vt Glareanus edocuit. Vigesimus septimus Assyriorum rex Thyneus recensetur, qui triginta regnauit annos, ab orbe creato anno bis millesimo octingentesimo tricesimo. Hoc in Assyria regnante rege, Sicyoniorum reges deficiunt, qui regnauerant in Peloponesiaco regno annos octingentos sexaginta & duos, vt in Græcorum historia postea discutie-

tur. hoc Assyriorum rege regnante in Hebræorum Republica moritur Heli Sacerdos, cui successor creatur Samuel, vt Act. decimo tertio, & toto Regum primo explicatur. Iam Latinorum regnum à posteris Aenææ regebatur, & regnabat Ascanius. & post eum Aeneas Syluius. Athenien-
siũ rex erat Timeores, post quẽ Melanthus. Dauid propheta filius Iesse hoc tẽpore nascitur, anno ab orbe creato, vt Bibliãder ait, bis millesimo octingẽtesimo quinquagesimo sexto, & anno post Troiam captam centesimo, Israëlico populo præest, vt Guillelmus Budæus secutus Eusebij historias tradidit, licet Carion (& si nihil esset quod eum moueret) Dauidis tẽpora ad Troianam cladẽ retulerit. hæc in Hebræorũ historia discutientur. Vigesimus octauus Assyriorũ rex fuit Dercilius, qui, vt Eusebius vult, regnat annos quadraginta, anno ab orbe creato bis millesimo octingentesimo sexagesimo. Hoc tempore exoritur Lacedæmoniorum regnum, primúsq; huius regni rex fuit Eurystheus. bellum ea ætate quàm maximum exarsit inter Athenienses & Peloponenses. Latinorum tunc Aeneas Syluius quartus rex erat, cui in regno successit Latinus Syluius. Tunc, vt plerisque placet, nascitur Homerus, frequens tamen est controuersia in huius celeberrimi hominis natiuitate. Crates ante descensum Heraclidarum, Homeri tempora constituit. Eratosthenes centesimo anno post Troiæ euersionem Homerum incredibili doctrina excelluisse vult. Aristarchus Ionica emigratione Eratostheni sententiæ suscripsisse videtur. Philochorus emigrationis Ionicæ libro primo, anno centesimo octuagesimo post captam Troiam, Homeri tempora reponit. Apollodorus Athenienſis post ducentesimum & quadragesimum annum euersionis Ilij, Homerum fuisse mauult. Euphoreus Home-

rum in Græcia floruiſſe, anno ante vrbem conditam centeſimo vigeſimo quarto cenſet, & ante primam Olympiadem, vt ait Cornelius Nepos annis centum. Guillelmus Budæus libro de aſſe quarto, Homerũ proximũ fuiſſe tẽporibus Dauidis exiſtimauit. Athenis dum hic Dercilius Aſſyriæ rex eſt, regnauit Codrus. Eo tempore naſcitur Corinthiorũ regnum, primúſque rex eſt Atletes. Dauid Meſſiæ progenitor regnat in Hebron annis ſeptem, & in Hieruſalem annis triginta & tribus, Regum primo, capite decimo ſexto, & ſecundo Regum, capite quinto: anno ab orbe creato, vt Bibliander vult, bis milleſimo octingenteſimo octogeſimo quinto. Guillelmus Budæus Dauidem circa finem Aſſyrij imperij regnaſſe tradit, vt libro de aſſe quarto continetur. Trigeſimus Aſſyriorum rex Eupales nominatur, qui octo & triginta regnauit annos, à creato orbe anno bis milleſimo noningẽteſimo. Prophetarunt apud Hebræos hoc tẽpore Gath, Nathan, & Aſaph. Hebræorum Pontifex Abiathar dictus eſt. Salomon filius Dauidis regnare cœpit, Regum tertio, capite vndecimo: anno, vt Bibliander annotauit, bis milleſimo noningenteſimo vigeſimo octauo. Templi fundamẽta iaciuntur, & abſoluitur opus templi anno à creato orbe bis milleſimo noningenteſimo trigeſimo quinto, vt liber Regum tertius, capite ſexto annotauit. colligitur omne tempus à Moſe & egreſſu Iſraël de Aegypto, vſque ad conſummationem templi, ſcilicet quadringenti octoginta anni. Athenis mortuo Codro hæreditarium regnum eſſe deſiit, fuerúntque Principes quos mors finiebat, quorum primus Medon Codri filius fuit, quod latiùs in Athenarum regno, & Republica diſcutietur. Latinis quintus Syluius rex erat. Lacedæmoniorum Argis ſecundus rex eſt. Corinthiorum rex eſt Ixion.

Mycena in Italia, quæ nunc Cumæ, conditur. Carthago quoque, vt quibuſdam placet, à Chalcedone Tyrio, vel vt alij malunt, à Didone eius filia cõſtruitur, anno poſt Troiam captam centeſimo quadrageſimo tertio. Alij ſub Laoſthene trigeſimo primo Aſſyriorum rege conditam putant, vt in hiſtoriis Euſebius annotauit. Trigeſimus primus Aſſyriorũ rex Laoſthenes numeratur, qui regnat anno ab orbe condito bis milleſimo noningenteſimo trigeſimo octauo. Roboam Iudæis tertius rex eſt, Ieroboam primus Iſraëlitarum rex deſignatur. Latinis Aba Syluius imperat. Corinthiis Agelaus ſecundus rex eſt. Aegyptiorum rex Pſumeuſes. Trigeſimus ſecundus Aſſyriorum rex Pirithiades, anno ab orbe condito bis milleſimo noningenteſimo octogeſimo ſeptimo. hoc tempore Abia quartus Iudææ rex eſt, vt tertio Regũ, capite decimo quinto ſcribitur: poſt quem Aſaph quintus Iudææ rex, quo tempore prophetarunt Achia & Sameas. Iſraëlitarum verò rex erat Nadab ſecundus, & Baaſa tertius eorum rex. Latinorum verò rex fuit ſeptimus Syluius, & poſt eum Capys Syluius. Lacedæmoniorũ rex fuit Agesilaus ſextus rex. Corinthiorum verò rex erat Bacis quintus eorum rex, à quo Bacidæ cognominati. Horum regum geſta quandoquidem nihil dignum memoria egerunt, rarò ſcribuntur. Trigeſimus quartus Aſſyriæ rex fuit Orphrateus, anno ab orbe condito ter milleſimo decimo tertio. Tunc Iudæis Iorram rex erat, quo tempore prophetarunt Abdias, Ieu, Eſaias, & Micas. In Iſraël verò regnabat Ochoſias, & poſt eum Iorram. His temporibus Samaria condita traditur, vt tertio Regum, capite decimo ſexto annotatur. Aegyptiorum verò rex erat Amenophis, & poſt eum Oſochor. Latinis verò Tyberinus Syluius rex erat, à quo Tyberis

fluuius nomen sumpsit, cùm priùs Albula diceretur, vt Liuius libro primo annotauit. Eo quoque tempore Corinthiorum rex erat Agelas. Lacedæmoniorum rex erat Archelaus, quo tempore, vt in historiis Eusebius annotauit, Lycurgus insignis habebatur. Assyriorum trigesimus quintus rex fuit OcraZaxes, anno ab orbe creato, vt verè Bibliander annumerauit, ter millesimo octogesimo tertio. Hoc tempore regnat in Iudæa Amasias vndecimus Iudæorũ rex, Regum quarto, capite decimo quarto. Lacedæmoniorum octauus rex fuit Teleuchus. Latinis imperabat Aremulus Syluius duodecimus rex, Agrippæ Syluij filius. hic præsidium Albanorum in montibus, vbi nunc est Roma, posuit, & postea ictu fulminis periit. Huius filius fuit Iulius, proauus Iulij Proculi, qui Romam cum Romulo commigrans, fundauit Iuliam gentem. Corinthiorum verò eo tempore rex fuit Aristhemenes. Trigesimus sextus, & nouissimus Assyriorũ rex fuit Tonosconceleros, qui Grecè Sardanapalus vocabatur. is regnauit annos, vt Eusebius vult, viginti: anno ab orbe condito, vt Theodorus Bibliander annotauit, ter millesimo centesimo vigesimo quarto. Ab exitu Abrahæ de terra Chanaam vsq; ad Sardanapalum, Philippus Melanchthon, mille triginta & tres numerat annos. Cùm Sardanapalus molliter in Assyriorum regno imperat, Iudæorũ rex est AZarias, qui & Osias dictus est, duodecimus Iudææ rex, vt libro Regum quarto, capite decimo quinto continetur. In regno verò Israël regnabat Hieroboam decimus tertius rex Israël. Aegyptiis rex erat Osorton. Latinis Auentinus Syluius, decimus tertius Latinorum rex erat, qui in eo monte, qui nunc pars est vrbis Romæ, moritur & sepelitur, æternúmque nomem morte sua huic monti reliquit.

Corinthiis rex erat Egemnon. Hũc Sardanapalum nouissimum Assyriæ regem Diodorus Siculus trigesimum Assyriorum regem affirmat. Ex singulari tamen enumeratione à nobis antè appositа, constat veriorem esse Eusebij sententiã, qui sextum & trigesimum regem eum cõstituit. Hic excessit omnes decessores suos desidia ac voluptate: nam præterquàm quòd à nullis conspiciebatur, vitam muliebrem duxit cum pellicibus, veste tum porphyrea indutus, tum molli lana cõtexta: stola insuper muliebri faciem, totúmq; corpus in modũ pellicis cõponens, vltra luxum muliebrem lasciuiens, vocem fœmineã lo quendo imitatus, luxuriæ ita deditus, vt nũc viri nunc mulieris vice abuteretur, omni posthabita sexus ac pudoris ratione. Vita in hunc modum turpiter exacta imperiũ Assyriorum, quod tot sæculis Orienti imperauerat, euertit. Arbaces genere Medus, virtute & animi magnitudine insignis, dux erat copiarum, quæ singulis annis in Niniuem à Medis destinabantur, contracta amicitia cum Babyloniorum duce nomine Belesо, incidit inter eos sermo de Assyriorum euertendo imperio, conspecta maximè regis mollitie, & muliebri apparatu, inita cum Belesо societate, vt ipse Medos ad imperium, Persas ad defectionem solicitaret, Babylonij ad communionem consiliorum adducerentur. Arbaces Medis persuasit vt pro imperio, Persæ pro libertate arma capesserent. simili deliberatione Belesus Babylonios ad libertatem & defectionem impulit. erant quatuor regnorum populi, qui in vnum conuenerant de rebus communibus cõsultantes. Cognita defectione, Sardanapalus aliarum gentium exercitũ aduersus deficiẽtes coëgit. Fit armorum harũ, & illarum partium plurimus apparatus. classicum canitur, coëunt acies. Sardanapalus superior est. Hostes superati ad

proximiores mõtes confugiunt, ſtadiis Niniue diſtantes ſeptuaginta. Arbaces inito cum victis, quid agendum eſſet, conſilio, concluditur in bello perſeuerandum. committitur rurſus pugna. Sardanapalus ſecundo loco hoſtes ſuperat, in fugámque vertit, & caſtris eorum potitur. In eo prælio Arbaces fortiter pugnans, multis proſtratis Aſſyriis vulnere ferè lethali confoditur. Sardanapalus ad hilaritatem profunditur, epulúmque & vinum copioſè militibus tribuit. Huic epulo plus ſatis indulgentes Aſſyrij ſomno vinóque grauãtur. quiete ſepeliuntur corpora. Arbaces dum hæc in caſtris Sardanapali aguntur, noctu Aſſyrios vi aggreditur. parati imparatos adoriuntur. fit plurima Aſſyriorum ſtrages. Salameneus Aſſyrio exercitu à Sardanapalo præfectus, vulneribus obrutus confoditur. Aſſyrij partim in fuga cãdũtur, partim in flumen præcipites ruunt, paucis qui cædi ſuperfuerunt in vrbem compulſis. Adeò ingens occiſorum numerus fuit, vt fluuius frequenti ſanguine madens ſanguinis colorem induerit. Sardanapalus in Nino obſidetur. Rex magno diſcrimine cauſam ſuam agi videns, filios tres filiáſque duas cum magno auri argentique pondere in Paphlagoniã ad Cottum, illius prouinciæ præſidẽ, ducum omniũ ſibi acceptiſſimum mittit. Duobus annis obſidio perſeuerat. Continuis imbribus excreſcens fluuius, Nini muros, cùm partem vrbis inundaſſet, ad ſtadia viginti deiecit. Sardanapalus deſperatis rebus, ne in hoſtium deducatur poteſtatem, extructa pyra ſe, & diuitias in incẽdiũ mittit, hoc ſolo imitatus virum. ita hac de re poſtrema Iuſtinus ex Trogo. Quod & Cicero libro quæſtionum Tuſcul. quinto fuſiùs refert, epitaphiũmq; Sardanapali adiecit. Hic finis Aſſyrij imperij ab Aſſure originẽ trahẽtis, quod vt Euſebio placet, à primo

primo anno Nini ad exitium Sardanapali, mille ducentis & quadraginta annis incolume durauerat. Iuſtinus ex Trogo hoc imperium ad mille & trecentos annos profert. In hac Aſſyriorum terra parùm pluit. Quicquid ea terra frumenti germinat, id demũ eſt quod ex flumine irrigatur. Irrigatur autẽ ſeges, & frumentum enaſcitur, non quemadmodũ in Aegypto flumine ſua ſponte in rura aſcendente, ſed arte & manibus irrigatur. Hæc regio eſt opima frumento ferendo, vt Herodotus libro primo latiùs edocuit. Non eſt ſilẽtio prætereundũ quod Guillelmus Budeus libro de aſſe quarto tradidit, Qui de Syriorum imperio ſcribunt, cùm Syros à Medis, & Medos à Perſis euerſos dicunt, nõ alios Aſſyrios vel Syrios intellexiſſe, quàm qui Babylonem ac Ninũ regni caput effecerunt. Ad mortem Sardanapali, vnde digreſſi ſumus, redeo. Is in regia Pyram ſtruxit altitudine pedum quadringentorum, in qua cubilia centum & quinquaginta poſuit aurea, totidémque ex auro menſas. In medio autem pyræ contabulationem extruxit pedum quoquo verſus centenũm, vbi lecticas conſternendas cùm curauiſſet, ſuperiorem contabulationis partem trabali materia contexit, & latera crebris validiſque lignis cinxit, ita vt exitus non pateret: quo facto ipſe, eius vxor, & pellices variis in lecticis iacuerunt; in eo ædificio concluſi: in quod etiam ipſum auri centies centena millia, argenti verò decies tantundem coniecit, id eſt millies centena millia talentũm, cùm antea, vt dictum eſt, præter eam ſummam liberis, quos à belli periculo auerterat, auri talenta, numero tria millia dediſſet. ſuper his, cùm ipſe cum vxore & pellicibus recubuiſſet, pyram illi ædificio circundatam incendere per amicorum iuratiſſimos iuſſit: quo facto, ipſe cum vxore, &

pellicibus, & illis opibus, diebus quindecim conflagrauit, vt Guillelmus Budæus libro de asse supputauit. quæ pecunia ad numisma nostrum relata, lingua nostra efficit, Quarante millions d'escus sol, pour l'or: & pour largent, dix millions d'escus couronne.

DE

CHALDAEORVM

REGNO, ORIGINE, ET EXCIDIO.

IOSEPHVS non à Græcis antiquarum rerum historiam requirendam esse docet, sed ab Aegyptiis & Chaldæis: quorum fuit institutum, vt eorum Sacerdotes & Philosophi circa scribẽdam historiam versarentur. mirari sese inquit eos, qui tantum Græcis tribuunt in historia, cùm ipse docere paratus sit, Græcos non modò adulto iam mundo, sed etiam propemodum senescente natos, eorúmque inuenta omnia esse recentia, heri (vt dicitur) acta, aut nudiustertiùs vrbes conditæ, artium commentationes, & leges populis scriptæ. proinde qui vetustæ historiæ veritatem nosse cupiat, hunc oportere ab Aegyptiis & Chaldæis exquirere, ex quibus authoribus Iosephus mira diligentia sacræ historiæ authoritatem contexuit. Inter Chaldæos magnam authoritatem Berosum habuisse constat, vt Guillelmus Budæus libro, cui de asse titulũ fecit, latiùs prosequitur. Sed an Berosi sint quæ circunferuntur, ambigitur. In

Assyriorum monarchia palàm fecimus Assurem vnum natorùm Sem, initium Assyriis dedisse. Regno verò Chaldæorum Arphaxad exordium tribuit, qui hunc populum à suo nomine Arphaxadæos nominauit. qui nunc Chaldæi dicuntur, vt Iosephus libro antiquitatum primo, capite decimo quarto, & Zonaras libro item primo, capite quarto, & Carion chronicorum libro primo tradiderunt, & Pater Hieronymus probat, qui priusquàm Chaldæi dicerentur, Cepheni vocabantur, vt Stephanus, & Illyricus in Persica historia annotarunt. Natus est Arphaxad anno ab orbe creato millesimo sexcentesimo quinquagesimo octauo, paulò post aquarum inundationem, & cùm ageret centesimum trigesimum & quintum annum, genuit Cainam, vt Marianus Scotus annotauit. Huius Chaldææ regionis situm Ptolomæus in quarta Asiæ tabula, capite vigesimo, & Pomponius Mela libro tertio latè descripserunt. Et cùm adolescente mundo paterna pietas vim legis & armorum sibi vindicasset, vt qui à recta linea vel latum quidem vnguem aberrarent, tanquam vilissima mancipia à patrum familiis arcebantur, cúmque durasset ea pia obseruatio aliquot annos, natura humanam fragilitatem induit, fitq; morum conuersio, & iacêre cœpit prostrata paterna pietas: ideo Deus nouo consilio muniit humanam societatem, videlicet excitato duce qui armis & præsidiis coërceret populos, & vt ad iudicia & pœnas vi traherentur: adeò enim & citò creuerat malorum hominum audacia. Cùm enim Cham secundus natorum Noha genuisset Chus, & Chus genuisset Nemrod, viuente adhuc Noha, anno post diluuium centesimo, vt Philippus Melanchthon author est, mox Nemrod imperium armis constituere cœpit. significat

autem Nemrod amarum dominatorem, quia hæc forma imperij fuit terribilior paterna pietate, quæ antea ius administrabat suum: & vocatur Nemrod venator coram Domino, Geneſis capite decimo, quia & ferarum & latronum acerrimus hoſtis fuit, & armatus eſt à Domino robore, vt conſtitueret durabilem imperij formam legibus, iudiciis, & præſidiis, vt ſontes vi trahere ad pœnas poſſet. Ab eo turris Babylonica condita eſt, & gentium diuiſio facta. ita initium regnorum in Babylone fuit, poſtea alibi alia orta ſunt regna poſt diluuium à poſteritate Noha, à quo iterum propagatum eſt genus humanum, & per eum inſtaurata Eccleſia, & deinde per eius progeniem, videlicet per Nemrodum inchoata forma imperij. Hinc prima monarchia, quæ tamen varias vices habuit: nam à poſteris Cham, poſt annos ferè ducentos, tranſlata eſt ſumma potentia ad poſteros Sem, videlicet ad Aſſyrios. Prima igitur monarchia aliàs Chaldæa, aliàs Aſſyria nominatur. Xenophon ſcribit primos omnium Chaldæos regnaſſe, quod & Philippus Melanchthon probat. Nemrod igitur centeſimo poſt diluuiũ anno regnauit, deinde poſt annos ducentos Ninus in Aſſyria Ninum vrbem ampliauit, anno à creato orbe, vt Bibliander ſupputauit, milleſimo noningenteſimo ſexto, & ſumma poteſtas ad Aſſyrios tranſlata eſt. Nemrod turrim Babylonicam cõſtruxit, quæ primò Babel dicta eſt, quæ vox Hebraica turbulentum & confuſum ſignificat. Nam cùm antea omnes vna lingua vterentur, contigit vt mutato ſermone, alij alio idiomatis genere vterentur, ita vt ſeſe mutuò nequaquam intelligerent. Hinc prima linguarum diuerſitas orta, & opus cœptum interceptum eſt: nam cùm interceptio illo ædificio plurima hominum turba, quæ ex omni na-

tione illuc conuolarat, diſſoluta fuit, quilibet domum rediens, referens idioma, quod nuper in ædificatione turris didicerat, confuſio & diuerſitas linguarum facta fuit: quod liber Geneſeos capite vndecimo annotauit. Diodorus verò Siculus ait cùm in mundi exordio ſonus oris confuſus eſſet, paulatim homines diſcreuiſſe vocem, & rem omnem ſuo nomine appellaſſe. Verùm cùm eſſent homines ſiti in diuerſis orbis locis, non iiſdem vſi ſunt verbis: hinc diuerſa linguarum ratio habita. Cicero libro de Oratore tertio, ait certam fuiſſe Romani generis, vrbiſq; propriam vocem, & latinam Linguã omnibus communem fuiſſe, quando pueri & mulierculæ Latinè ſciebant. verùm ille erat literarum peritus, qui verborum delectum habere, ac cum recto aurium iudicio ponderare ſciuiſſet, id quod ſine literis fieri non poterat. Nam omnes Romanos Latinè locutos, non item literas ſciuiſſe, in Bruto idem Cicero, quando Pomponium Atticum loquentem facit, docet. Sed ne longius aberret oratio, ad rem redeamus: Hæc igitur Babylon, & Chaldæi, & Aſſyrij imperij regia fuit. Hanc Nemrod deſignauit. Belus fundauit. Semiramis ampliauit. Per planiciem aggeres extruxit ſpectaculo dignos, cùm antea fluuius eam omnem ſtagnare ſolitus eſſet. Poſterior regina Nitocris nomine extitit, cuius cùm alia monumenta extiterint, quæ latè Herodotus libro primo enumerat, tum verò hoc, quòd animaduertens imperium Medorum magnitudine ingenti laborare, ac pacatum, ſubactáque ab his quàm plurima oppida, Babylonem præmuniuit omnibus quàm potuit maximè. Ante omnia Euphratem, qui priùs mediam vrbem interfluens, rectus erat, tortuoſum reddidit, foſſis ſuperiùs depreſſis. Aggerem verò ex vtroque fluminis labro adiecit, viſu mi-

randum. Tantæ erat & magnitudinis, & sublimitatis, aliquantulum seorsum à flumine . effoditque paludis eluuiem, profunditate quidem aqua semper ducta : latitudine verò eius quoquoversus trecentorum viginti stadiorum . Hæc duo, vt flumen flexuosum, & lacuna tota fossa esset, ideo fecit, vt fluuius per multos anfractus retentus, sedatior maret, & nauigationes in Babylonem essent tortuosæ, & ex ipsis nauigationibus longus habitus lacunæ exciperetur. Extruxit item circa mediam fermè vrbem, pontem ex iis quos effoderat lapidibus, ferro eos ac plumbo deuinciens. Huiusmodi vrbs in loci planicie sita est, forma quadrata, magnitudine quoquoversus centenûm vicenûm stadiorum . terra in arboribus ferendis ficu, olea, parùm felix, Cereris autem fructu procreando adeò ferax est, vt nunquam non ferè ducenta reddat, & vbi præstans bonitate sese vincit, etiam ad tricena . Qui huiusce vrbis constructione, & vbertate delectabitur, ea omnia ab Herodoto libro primo latissimè requirat. Blondus Flauius libro ab inclinatione Romanorum primo, Babylonem ait primam vrbem conditam post diluuium, ambitu & murorum magnitudine admirabilem, primùm sexcentis annis imperasse, exinde à Nino subiugatam, & miserandû in modum laceratam: tum denique à Semiramide instauratam, regiam regni Assyriæ factam: sed mox id regnum translatum in Medos postea capitur à Chaldæis, & demum Babylonia à Cyro, vnica expeditione capta & subuersa est. Ex duobus principibus, qui contra Sardanapalum coniurarant, vt iam in Assyriorum imperio diximus, Belochus Babyloniæ præfectus, & Arbaces Medorum præfectus, exuuias defuncti miserabilis & miseri regis Sardanapali partiti sunt. Belocho Babylonia & Ninus obueniunt. de eo nunc nobis habendus est sermo. Arbaces verò Medus dominatus est Medis, & Persis. De Arbace in Medorum imperio tractabitur. Belochus in Babylone regnat annos octo & quadraginta. Ab eo natus est Assar, qui in libro quarto Regum capite decimo quinto, Tiglat philassar nominatur. Hic primus Galilæa Iudæos expulit, & potitus est, & tribus Neptalim adduxit in Assyriam, regnauit annos tres & viginti. Sic Philippus Melanchthon. Theodorus Bibliander, quinque & viginti annos eum regnasse mauult, anno ab orbe creato ter millesimo centesimo octuagesimo nono. Huic successit Salman Assar, qui in Chaldæorum regno decem regnauit annos, anno sui regni quinto Samariam obsidione premit annis tribus, anno ab orbe condito, vt Bibliander annotauit, ter millesimo ducentesimo vigesimo tertio, vt Ezechielis sexto continetur. Cûmque in tota regione decem tribuum oppida passim deleuisset, maiorem populi partem in exilium trahens, vt decimo Oseę scriptum erat, sicut vastauit Salman domũ Arbella, sic faciet vobis Bethel propter malitiam scelerum vestrorũ, vt quarto Regum, capite decimo octauo scribitur, & Melanchthon annotauit. Hic rex Nebonassar nominatur, à quo vsque ad Alexandrum numerat annos quadringentos quatuor & viginti. Huic successit Semnacherib, qui septẽ regnauit annos. Hic cinxit obsidione Hierosolymam. at vbi populus cõspexit idololatriam, qua pluribus annis vsus erat, auxilium Domini ab eis auertisse, fiunt ad Dominum sine intermissione preces. Esaias & Ezechias omnem spem ad misericordiam Domini conuertendam censent. Dominus miseratus suorum labores, Angelum de cælo demisit, qui trucidato Chaldæo exercitu, regem in fugam vertit, qui cùm Niniuẽ

appuliſſet, in tẽplo à filiis occiditur, anno à creato orbe, vt Bibliander annotauit, ter milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio. Huius regis & Herodotus libro ſecundo meminit. hîc rurſus mutatur hæc imperij forma, & Aſſyrij amiſſo imperio Chaldæis parent. Monarchia Chaldæorũ & Aßyriorũ fuit Merodach annis quadraginta, cuius meminit Eſaias capite triceſimo. Defuncto Merodach, Bemerodach filius regnat annos vnũ & viginti. cui Nabuchodonoſor ſucceſſit, anno ab orbe creato ter milleſimo treceteſimo quadrageſimo ſecundo, Olympiade trigeſima quinta. Euſebius libro nono Alexandrum Polyhiſtora cognomine, id eſt, multiſcium dictum in libro, quem de Iudaica hiſtoria conſcripſit, authorem eſſe affirmat temporibus Ioachim regis, Hieremiam vaticinio functum eſſe, & propter cultum Baal Iudæis cladem prædixiſſe, & quòd ad Tigrim & Euphratem ab Aſſyriis capti opera eſſent facturi: quod cùm Nabuchodonoſor rex Babyloniorum audiuiſſet, centum & octoginta peditum, & equitum centum & viginti millia, & decem millia curruũ eduxit in Iudæam. Samaritanas primùm omnes vrbes Galilæam, Scytepolem, & Galatidem euertit, deinde Hieroſolymam: Ioachimque Iudæorum regem viuum cepit, aurúmque & argentum, æs, cæteráque omnia, quæ in templo erant, ornamenta, arca excepta & tabulis, Babylonem abſtulit. Alpheus de Nabuchodonoſore ſcribens, eum Hercule robuſtiorem fuiſſe teſtatur, vniuerſámque Libyam, Aſiámque vſque ad Armenios ſubegiſſe. His aſtipulantur Philoſtratus in hiſtoriis, & Megaſthenes, vbi oſtendunt Nabuchodonoſorem regem fortitudine & magnitudine Herculem ſuperaſſe. Strabo libro decimo quinto ait, Nabuchodonoſorem, qui à Chaldæis ſupra Herculem commendatur,

mendatur, vſque ad columnas exercitum admouiſſe, & ſupremo loco cùm mœnia Babyloniæ ædificare cœpiſſet, morbo correptus diem obiit. quem Chaldæi dicunt furore diuinitus captum, magna voce exclamaſſe, Babyloniis futuram vrbis calamitatem prænuncio, quam nec Belus ipſe, nec vis vlla Deorum auertet: veniet Perſes ſemiaſinus, id eſt, mulus qui vrbis afferet ſeruitutem. quibus dictis repentè è medio exceſſit, cui filius ſucceſſit, qui propter morum nequitiam à ſororis ſuæ viro inſidiis exceptus, altero anno regni ſui ſublatus eſt: cui rurſus cùm filius ſucceſſiſſet, nono menſe iiſdem inſidiis petitus, Nabonidam ſucceſſorem habuit, qui Babyloniæ muros ſecundum amnem, latere ac bitumine extruxit. quem Cyrus aliquantò pòſt Babylone capta cepit: hæc eſt ſumma hiſtoriæ Alexandræ de Nabuchodonoſore, quem Euſebius, & Guillelmus Budæus libro de aſſe referũt. Quarto Regum capite vigeſimo quarto legimus Nabuchodonoſorẽ Babyloniorum regem direptis Hieroſolymis regem ipſum Ioachim & regiam familiam, cum theſauris & apparatu inſtrumentóque templi aureo, à Salomone cõparato, & fabrefacto, ſecum in Babylonem abſtuliſſe, quod & Ioſephus libro Antiquitatum decimo tradidit. Philippus Melanchthon in hiſtoriis ita ait, Nabuchodonoſor primus, & diuinus iudex regnauit annos quinque & quadraginta. plurima geſſit bella, quorum mentio fit in libris Ioſiæ, quarto Regum capite vigeſimo tertio, & in Zacharia. Hic Nabuchodonoſor celebratiſſimus eſt in hiſtoria prophetica propter exiliũ Iudæorum, cùm ſecundo regni ſui anno obſidione cinxiſſet Hieroſolymam regnante Sedechia. Apud Hieremiam capite trigeſimo nono ſcriptum eſt obſidionem octodecim menſes duraſſe, proximo menſe poſt-

quàm Hierosolyma capta est, iussit Nabuchodonosor deleri urbem & templum, & transtulit Iudæorum multitudinẽ in Chaldæam, vbi exulauerunt tribus Iudæorum septuaginta annis. Mortuo Nabuchodonosore regnauit in Chaldæorũ monarchia Euilmerodach annos triginta, anno ab orbe creato, vt Bibliander annotauit, ter millesimo trecẽtesimo octuagesimo sexto, Olympiade quadragesima sexta. hic primo anno postquam patri successit, Iechoniam carcere, quo premebatur, liberauit, & regio in Chaldæa honori, vnde deiectus erat, restituit, vt vltimo quarti libri Regum capite, & Hieremiæ vltimo scribitur. Nouissimo loco regnauit Baltasar annos quatuordecim, Olympiade quinquagesima quarta, anno ab orbe creato ter millesimo quadringentesimo decimo septimo. Hic Baltasar idolorum cultu imprimis oblectatus veri Dei latriam reiecit, vt Daniel quinto capite docuit, quam blasphemiam Dominus acerrimo iudicio vindicauit. capitur à Cyro Babylon. Idololatra rex Baltasar ferro absumitur. monarchia Assyriorum & Chaldæorũ trãsfertur ad Persas. huius Baltasaris regis, qui capta Babylone à Cyro interfectus est, meminit Herodotus, eúmq; Labynitũ vocat. Philippus Melanchthon in historiis, Herodotum existimauit, quando Labyniti regis Babyloniæ meminit, de Baltasare loquutum. Iosephus tamen libro Antiquitatum decimo, capite decimo tertio, in horum regum genealogia nonnihil videtur adferre contrarij iudicij. Is ait, post quã Nabuchodonosor fatis concessit, Amilmathapacus, qui & Abimatadocus dictus est, regno Babylonico octo & decem annis præest, cui post quã natura vitæ finẽ fecit, in regno successit iure sanguinis Egissarius filius, qui quadraginta regnauit annos, quo extincto successit Labosordachus filius,

qui regno Chaldaico nouẽ mensibus superstes fuit. Huic supremo loco successit Baltasar, qui & Noboam nuncupatus est. Sic Iosephus: sacri tamen Bibliorum libri longè aliter, ac cæteri, rem hanc enarrarunt, capite quinto Danielis, & capite finali quarti libri Regum. Satis inter omnes conuenit Baltasarem nouissimum ex Babyloniis, Assyriis, & Chaldæis imperasse: siquidem cùm Darius Medorum rex (sic in Daniele capite quinto, sic à Iosepho libro decimo, capite decimo tertio nuncupatur, à Græcis verò Cyaxares nominatur, vt Zonaras libro primo, capite decimo sexto annotauit) incredibili potiundæ Babylonis amore teneretur, anno ab vrbe condita centesimo vigesimo quinto, Cyrum ex sorore nepotẽ Persarum regulum (quippe erat regulus Persarum subditus regi Medorum) solicitat vt vices auunculi gerẽs, bellum Babyloniis indicat: valido exercitu, auro, & commeatu, se suppetias laturum pollicetur. Bellum Babyloniis indicitur: paruo pòst interiecto temporis interstitio, Cyrus Babylonẽ obsidione premit. obsessa vrbe, ea potitur. Baltasar Babylonius rex morte multatur. Babylon in Medorum ditionẽ deiicitur. sic Bibliorum in Daniele sacri libri, sic Iosephus, sic Xenophon, sic Zonaras. At Herodotus libro primo longè aliter ac cæteri rem hanc comminiscitur. porrò, inquit, cùm Nitocris regina filium Labynitum imperio Babylonico insignisset, Cyrus per quàm valido coacto exercitu, Babylonem obsidione premit, Babyloniis eum cum valido exercitu præstolantibus, qui vbi propiùs vrbem promouit, cum eo conflixerunt, prælióque fugati, in oppidum se receperunt. Ij tamen quia Cyrum iam pridem animaduerterent inquietum esse, omnes gentes adorientem, in vrbem multorum annorum commeatus cõportauerant: vnde fiebat vt obsidionem hanc Cyri nihili fa-

cerent. Et cùm dies festus eis esset, & exercendis choreis atque oblectationibus opera in vrbe daretur, Persæ qui ad hoc ipsum instructi erant, per alueum, vnde arte & industria Cyri, fluuius Euphrates abcesserat, Babylonem introierunt atq; ita primùm capta est Babylon. Cuius ciuitatis quanta sit potentia, quibus legibus & moribus homines vitam agant, ex Herodoto libro primo copiosè lector colliget. Floruit ea ciuitas sub Medorum, & postea Persarũ imperiis, donec Alexander Olympiade centesima decima tertia, anno ab vrbe condita quadringentesimo vigesimo septimo, consulibus Lucio Cornelio, & Q. Publitio. (sic Liuius. Diodorus hunc consulem Popilium fuisse mauult) superatis Cossęis, illinc discedens, castra Babylonem versus mouit, paruis itineribus, vt exercitus reficeretur, contendens: iámq; appropinquabat vrbi. Distabat Babylone stadia trecẽta, cùm Chaldæi sideralem scientiã ab ipsa pueritia edocti, quòd per æternam quãdam cælestium obseruationem futura prædicere consueuissent, è suo numero seniores, quibus plus erat experientiæ, delegerunt. His datum negotium, vt Alexandro enuntiarent, se ex diutina siderum obseruatione compertum, & exploratum habere, Babylone ei mortis periculum imminere, omnibúsque artibus in mentem inducerent, ne Babylonem ingrederetur. posse autem id discriminis euitari, si Beli sepulchro, quod à Persis dirutum fuerat, instaurato, via quam ipsi monstrarẽt, in vrbẽ introiret. quam legationẽ Alexander risit: distulit tamen in aliud tẽpus profectionem, auditísq; discipulis Anaxarchi philosophi, qui omne diuinationis genus, maximè quo vtebãtur Chaldæi, diris deuouebant. Alexãder animum nunc huc, nunc diuidit illuc, & alternanti potior philosophorum sententia visa est, & Babylona suo stipatus

exercitu ingreditur. paruo tamen post tempore philosophos, qui sibi aduentum ad Babylonem in animum iniecerant, detestatus, & Chaldæorum admonitionis identidem recordatus, sapientiam Chaldæorum admiratione, & cultu dignam iudicauit, omninóque cuiuis contra vim fati argumentis & copiosis disputationibus differenti mirificè infensus erat, & obloquebatur. Hic finis Chaldaici imperij, cui supremum finem sub Cyro attulit Baltazar.

DE HEBRAEORVM ADMINISTRATORIBVS, IVDICIBVS, SACERDOTIBVS, REGIBVS, ET PONTIFICIBVS, DEQVE eorum origine & exitio.

GRAECI & Latini scriptores pertinaciter ab enarratione omni huius sacræ historiæ abstinuerunt. Iosephus author est Demetrium Phalereum apud Philadelphum Alexandriæ regem asseruisse, non licuisse Græcis hominibus Hebraicam historiam attingere, & cùm quidam illustrium rerum scriptores eam tractare instituissent, aduersa corporis & mentis valetudine conflictatos, tanquam arcanum hoc Dei, prophanis hominibus, manifesta Dei ira esset interdictum: quod & Sabellicus libro Enneadem tertio prosequitur. Alia causa assignari potest, cur res gestæ Hebræorum parum nobis

innotuerunt, ex eodem Iosepho potest, qui iis respondens qui Iudæorum historiæ authoritatem eò præcipuè eleuabant, quòd testimonia nulla nec Græcorum, nec Latinorum extabant: nos, inquit, neque regionem maritimam habitamus, nec negotiationibus nisi raro vtimur, nec omnino earum rerum causa aliarum gentium commerciis assuescimus, sed distant vrbes nostræ multis stadiis à mari, regionem autem bonam incolentes eius cultu acquiescimus. Phœnices autem & Aegyptios à Græcis propterea cognitos ait, quòd ab Aegyptiis multa asportarentur ad alias gentes. Phœnicum autem ij qui maritimam oram accolunt, quæstui studentes negotiationes exercebant, à quo vitæ genere cùm Iudæi abhorrerent, peculiaribus institutis, ac cultu diuinitatis gaudentes, factum est vt serò fama eorum ad Græcos peruenerit. hoc idem, inquit, & iis contigit qui Europam inhabitant. De Romanis enim, qui in tantam potentiam iam inde olim crescere sensim cœperunt, nec Herodotus, nec Thucydides quoquo modo meminerunt. Causam aliam adducit Eusebius: res, inquit, Iudæorum præclaras, eorúmque mirificas opes nec Græcis, nec Latinis scriptoribus testatas fuisse, in causa esse multa potuerunt, primùm quòd Iudæorum res gestæ, & Græcorum historiæ in idem tempus non incurrunt: à tempore enim Mosis ad Troianum bellum octingẽtos ampliùs annos lapsos Eusebius author est (hæc temporis supputatio vix est vt consistere possit, vt ex his quæ in Mosis vita subiungemus, satis constabit, igitur ad trecentos nouem & viginti annos redigenda est, vt infrà patebit) laudato etiam authore Porphyrio: quòd & Budæus in libro de Asse probat. Homerum verò & Hesiodum multò recentiores Troiano bello fuisse constat. Linus autem & Orpheus,

Musæus, Phæmius, & Aristeas Proconnesius vt ante Homerum scripserunt, sic eorum antiquissimus, vna aut ad summum altera generatione, Troianum bellum præcessit: plerique Troiani belli æquales fuerunt. Iosephus tamen nullum scriptum opus apud Græcos extare dicit, quod vetustius sit Homeri poësi. Cyri autem temporibus, cuius auspiciis templum restitutũ est, euerso Chaldæorum regno septem Græcorum sapientes fuerunt, vt Eusebius libro decimo de præparatione Euangelica tradidit, quo tempore velut incunabula nascentis philosophiæ fuerunt. Herodotus autem trecentesimo vno anno vrbis conditæ historiam condidit. Plato vsque adeo Iudæos imitatus est, vt Numenius Pythagoricus dixerit, Platonem nihil aliud fuisse, quàm Mosem Attica lingua loquentem. Addit in libro de bono, Pythagoram quoq; Iudaica dogmata sectatum fuisse. Plato in Epinomide, Scientiarum causam inquit fuisse barbarum quendam. Pòst addit ab Aegyptiis, Syriísque cuncta manasse. Iudæa verò ex quadam sui parte, quam Galilæam Plinius vocat, semper in Syria à scriptoribus habita est, & ex parte quadã Phœnicia apud priscos appellatur, vt Eusebius probat. Plinius ait Phœnices literarum inuentores. Clearchus Peripateticus scribit Agathoclem fuisse Iudæum. Marsil. Ficin. libello, cui de Religione Christiana titulum fecit, libros Sibyllinos, Iudæorum genus cæleste, beatúmque appellasse, author est. Ambrosius Pythagoram patre Iudæo natum scripsit. De bonitate autem soli terræ Iudææ, Iosephus libro primo contra Appionem ita inquit, Hecatæus Abderites, vir philosophus, & circa vitæ actiones industrius, Alexandri Magni æqualis, librum de Iudæis accuratè conscripsit. Cuius summam colligens Iosephus, hic idem (inquit) magnitudinem

regionis Iudæorum, & pulchritudinem descripsit. si quidem ad tricies centena millia Arurarum optimi & feracissimi soli incolunt illi. Arura mẽsura apud Græcos, vt Guillelmus Budæus libro de asse author est, quinquaginta pedes capit, id est, octo vlnas, & trientem, vel passus decem, ita vt vlnam pro senis pedibus accipiamus. De vrbe autem ita inquit, Sunt autem Iudæorum castella multa, & vici per regionem sparsi: vna autem vrbs munita ambitu fermè quinquaginta stadiorum, quam incolunt hominum circiter centũ & viginti millia. Hierosolymæ situm latiùs ab eo accipies. Ex Eusebij libris accipimus multa Hebræorum inuenta, aliarum gentium nomine posteritati esse tradita. Iosephus inquit: quæ verò probra & maledicta in nostrates iactata sunt, iis causam & originem Aegyptij præbuerunt: quorũ gratiæ nonnulli scriptores inseruire cupientes, veritatem rerum gestarũ peruertere aggressi sunt, nec maiorum nostrorũ aduentum in Aegyptum ingenuè fatentes, nec inde egressum bona fide commemorantes. Causas autem multas Aegyptij odij & inuidiæ habuerunt, queis in nostram gentem stimulati sunt: ac primùm quòd nostri olim rerum in eorum patria potiti sunt, deinde quòd illinc egressi in propria patria, secunda omnia nacti sunt: postremò rituum ingens dissentio eis odium in nos accendit: tantùm religione nostra, & recto diuinorum cultu ab ea (quàm ipsi veram pietatem putant) differente, quantùm diuina natura, brutis animalibus præstat. Notus enim est omnibus impius ille ritus apud eos, vt fœdissima bruta tanquam deum venerentur: ísque maledicendi in Iudæos ritus ad posteros per manus traditus est. Strabo Mosem oraculis deditum ait, quales Amphiaraus, Trophonius, Orpheus, & Musæus leguntur extitisse. Iustinus

nus historicus Ioseph in Aegypto magicas artes edoctum, citò insinuatum apud regem fuisse dicit. Inuidia vecors aduersus Christianos, qui & Hebræi erant, Tacitum, Suetonium, Plinium Iuniorem, ad conuitia & nefaria maledicta compulit, quorum sacrilega dicta (etiam si æquales fuerint) inuicem colliduntur: quod Guillelmus Budæus libro de Asse annotauit fusiùs. Hebræorum opes, & diuitiæ eo magis excutiendæ sunt, quòd prævaricationis argui qui eas scripsit minimè potest, cùm sola sacrorum scriptorum authoritate subnixæ esse credantur. Iam igitur primo Paralip. capite secundo & vigesimo, Dauid ita loquens ad Salomonem inducitur. Confortare & viriliter age, ne timeas neque paueas, ecce ego in paupertatula mea præparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentũm. quæ Guillelmus Budæus libro de Asse supputauit, & ad calculũ numismatis nostri redegit. Ita fit vt decies maiores fuerint Dauidis opes, quàm Darij, vt postea in Persica historia discutietur. Et rursus libro Regũ tertio, capite decimo scriptum est de Salomone loquens, fecitque vt tanta esset abũdantia auri, & argenti in Hierusalem, quãta & lapidum. Hac hyperbole immensa auri & argenti copia fuisse significatur in thesauris Salomonis. Totum autem aurum quod in templo, columnis, & vasis templi fuit consumptum, Budæus libro de Asse quarto, ducenties nonagies sextis centenis & sexaginta millibus aureorum coronatorum valuisse author est: quæ pecuniæ summa, si ad numisma nostrum, & linguam nostram redigatur, faciet, vingt & sept millions, neuf cens mille escus sol. Iudæa Syriæ particularis prouincia est: primùm terra Chanaam, postea Hebræa, Israël, & Iudæa dicta, ac propter Philistini seu Palæ-

stinorum cohabitationem, Palæstina. Clauditur mari mediterraneo, Iordane fluuio, monte Libano, & termino Aegypti. Metropolis est vrbs illa toto orbe memorabilis, Hierusalē, princeps prouinciarum, possessio Patriarcharū, Prophetarum & Apostolorū mater, initiatrix fidei, & gloria populi Christiani: sita in terra opima, quæ olim habitatoribus suis lac & mel porrigebat, nunc vero vniuerso orbi remedia salutis, & vita porrigit alimenta. de Sion enim egressa lex, & verbū Domini de Hierusalem. Hanc Dominus singulari prosecutus est fauore. Cùm habitatores erant boni, terra quoque erat variarum opum dives, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamo, & omni rerum genere abundans: in medio orbis sita, ita vt nec nimio frigore rigeat, nec calore torreatur. Quando verò verbi Dei obliti, in vitia proruperunt idololatriæ inseruientes, nulli non pesti fuit obnoxia, bestiis malis patuit aditus, lepra passim omnia corripuit, hostilis gladius iugulo habitantium hæsit, fames, sitis clausura cæli, multiplexque illa maledictio, quæ Deuteronomi vigesimo septimo describitur, fines & limites eius peruagatur: vt iam non terra opima, sed infelicissima, inculta, sterilis, omni dulcedine carens, suos habitatores deuorans, ænea, dura, & tota horrida esse diceretur: qualis in hunc vsque diem esse deprehenditur. Situs vrbis petrosus erat, vrbs bene septa, interius aquis abundans, exterius prorsus arida, fossam habebat in saxo excisam, sexagenûm pedum altitudine, latitudine ducenûm & quinquagenûm. Hæc Iudææ regio, à Chananeo quarto filio Cham, primùm Chananæa (vt paulò antè delibatum est) dicta fuit. Filij enim Cham, secundi Noëlis filij, à Syria, & Abano, & Libano montibus, omnia occuparunt, proprias, & nominibus suis

congruentes, facientes appellationes. Arnobius Rhetor, in expositione psalmi centesimi quarti, ait, Cham secundus filius Noha, terras habuit à Ronoco Zuris vsq; ad Garida, habentes linguas sermone Punico: à parte Garamantum, Latino: à Borea, Barbarico. Chananæus verò, quartus filius Cham, à nomine suo Chananæam appellauit: quod Iosephus libro Antiquitatum primo, capite duodecimo prosequitur. Hæc regio primùm Chananæa, postea à populo Hebraico nomen sortita est, & Hebræa appellata, populúsq; eam incolens, Hebræus dictus est: cuius cognominis ratio, ab Hebro, Abrahami tritauo diffusa est: ab eo enim Hebræi dicti perhibentur, vt Iosephus libro Antiquitatum primo, capite decimo quarto, describit. MATHVSALE cùm ageret centesimum octuagesimum & septimum annum, genuit Lamech, & postea vixit septingentos octoginta & duos annos, & vsque ad aquarum inūdationem: quem inter Adamum, & Noëlem positū vtrumq; vidisse, familiaritérq; cum vtroque vixisse, verissima temporum ratio probat. Omnia igitur ante diluuium, vel vidit, vel audiuit. Noë tum in medio quasi temporum constitutus, & diluuium cōspexit, & prædicare trecentos annos omnibus omnia potuit, præcipuè tribus liberis, à quibus ceu à tribus fontibus, natum perhibetur omne genus humanum, antequàm moreretur. Natus est Abraham ante Noëlis obitum plus quinquaginta annis: nec verò piissimum hominem, patríque simillimos filios par fuit, sub silentio tantas res pressisse, maximè ipsi Abrahamo, quem sanctissimum, piæq; nationis principem fore perspiceret. Ab hac igitur verissima causa, magnam diuinarum humanarúmque rerum scientiam, deductam existimare necesse est. hæc Augustinus Steuchus. Iosephus

BIBLIOTECA NACIONAL

libro Antiquitatum primo, capite decimo quinto, existimauit Abrahamum, hæc diuina conieciſſe, per terræ mariſque paſſionem, & ea quæ contingunt circa Solem, & Lunam, & ex omnibus quæ circa cælum eueniunt. Ego, cum Zonara, Deo Opt. Max. acceptam hanc diuinam philoſophiam refero. Nam Abraham anno ſuæ ætatis ſeptuageſimo quinto, diuino dignus fuit colloquio, vt Euſebius in hiſtorijs latiùs annotauit, & Geneſis decimo octauo, & decimo nono capitibus continetur, anno ab orbe creato, vt vult Bibliander, bis milleſimo, quadrageſimo ſeptimo. Huic patriarchæ annum agenti centeſimum, ſeptuageſimum quintũ, natura finem vitæ fecit. Itaque Abraham natus eſt ſub finẽ imperij Nini primi Aſſyriorum regis. annum verò agens ſeptuageſimum quintum, diuino dignus fuit colloquio. Ab eo poſteà, & à nepotibus eius natus eſt Moſes, à quo vſque ad Moſem, & exitum populi Iſraël de Aegypto, fluxerunt quadringẽti triginta anni, quod Paulus ſcriptis ſuis his verbis comprobauit, in Epiſtola ad Galatas dicens, Teſtamentum confirmatum à Deo, quo quadringentis & triginta annis facta eſt lex. Dum rebus diuinis ſatagit Abrahã, regnat in Aſſyria tertius rex Ninus, Nini & Semiramidis filius. Sicyoniorum rex erat Apis, à quo Apia, quæ nunc Peloponeſus, & Morea dicitur. Cretenſium rex erat Cres, cuius regno durante, vt Euſebius annotauit, moritur Noë, anno ab orbe condito, bis milleſimo quinquageſimo quinto, vt Theodorus Bibliander annotauit. Abraham percuſſit fœdus cum rege Palæſtinæ, & à Melchiſedec magno ſacerdote benedictionem accepit, vt Geneſis decimo quarto, & Pauli ad Hebræos epiſtola, quinto & ſeptimo capitibus continetur, anno, vt Bibliander annotauit, bis milleſimo, trigeſimo tertio.

Hoc tẽpore Aegyptiorũ poteſtas apud dynaſtias, quæ à quindecim poteſtatib⁹ regebãtur, erat. Ex hoc celeberrimo prophetа Abrahamo naſcitur Iſaac, anno ab orbe creato, bis milleſimo quadrageſimo octauo, vt Bibliãder annotauit. Marianus Scotus ad bis milleſimũ ducẽteſimũ ſeptuageſimũ ab orbe cõdito annũ, natiuitatẽ Iſaac refert. Ego Bibliãdri calculo magis accedo. Anno verò decimo tertio, eum oblatũ à patre Abrahamo, Hebræi doctiſſimi exiſtimarũt, Geneſis vigeſimo ſecũdo capite. Iſaac duxit in vxorẽ Rebeccam, Geneſis vigeſimo quinto. anno poſtea ab orbe cõdito, bis milleſimo cẽteſimo trigeſimo, Iſaac premẽte fame cõcedit in Palæſtinam, quo in loco Dominus illi pacẽ cõfirmauit, Geneſis vigeſimo ſexto: & anno bis milleſimo ducẽteſimo vigeſimo octauo moritur, Geneſis trigeſimo quinto. Huius Iſaac tẽpore regnat in Aſſyria Analius quintus rex. Sicyoniorũ ſextus rex erat Aegidius. Sexagenario Iſaac naſcũtur duo gemelli, quorũ primus fuit Eſau, qui Edom dictus eſt, à quo gẽs Idumeorũ. Secũdus fuit Iacob, qui poſteà Iſraël dictus eſt, à quo Iſraëlitæ, qui nũc Iudæi, Geneſis capite vigeſimo quinto: gerẽtes ij gemelli typum Eccleſiæ & Synagogæ, Paulus ad Romanos capite nono. Eſau vxorẽ duxit Hethæã, & vẽdidit ius primogenituræ, Geneſis capite vigeſimo ſexto, & vigeſimo ſeptimo. Iacob cedẽs irato fratri, peregrè abiit in Meſopotamiã, Geneſis vigeſimo octauo, & vigeſimo nono: & poſt exactos quatuordecim ſeruitutis annos, vxores duxit Liã & Rachelẽ, anno ab orbe cõdito bis milleſimo cẽteſimo nonageſimo primo, & poſtea anno bis milleſimo ducẽteſimo trigeſimo octauo, vt Bibliãder ſupputauit, deſcẽdit in Aegyptum, Geneſis capite quadrageſimo quinto: & breui pòſt tẽporis interſtitio moritur, vaticinatus Meſſiam venturũ, Geneſis quadrageſimo octauo, & qua-

dragesimo nono. Hoc tempore Iob Essitarum princeps, Domini nostri cultor eximius, à Dæmone tentatur: & eo quoque tempore Argiuorum regnum enascitur, cuius primus rex fuit Inachus. Assyriorum sextus rex fuit Xerxes. Peloponensium septimus rex fuit Timarachus. Iacob genuit Ioseph, & Iudam, à quo Iudæi, & Leui. Ex Leui nascitur Caathe: ex Caathe nascitur Amram: ex Amram Moses, vt Iosephus libro Antiquitatum primo, latiùs prosequitur. Incredibilis rerum series annecti videbitur, cùm recensendum sit nobis nunc pro instituti nostri ratione, quàm breuissimis tẽporum curriculis, hæc Abrahæ progenies creuerit, & grata acceptáque Domino fuerit: & immemor acceptorum à Domino beneficiorum, iugum suum leue excutere apertissimus odiis, quasi perpetuò contenderit. Anno nonagesimo nono ætatis Abrahæ, ob nefandas, incõcessásq; libidines, deleuit Deus Sodomã, & Gomorrhã, & igne cælitus demisso exussit. locus vbi fuerunt hæ insignes vrbes, lacus factus est, vocatúrque lacus ille Sodomicus, propter Sodomã, & alias vrbes illic olim igne cælesti exustas: vocatur etiam mare mortuum, propter aquæ immobilitatem: nam neque ventis mouetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnat, neque nauigationis patiens est, nec educandorum piscium capax. Strabo libro decimo sexto, qui ignorauit causam huius exustæ terræ, scribit de lacu Sodomico hunc in modum: Lacus ille est plenus bitumine, quod è medio fundo temporibus inordinatis, cum bullis quasi feruentis aquæ efflatur, fumosus & aspectu ater, æri & argento, & nitidis omnibus rubiginem inducit, vsque ad aurum, vnde cùm vasa situm contrahunt, iam accolæ intelligunt bituminis eruptionem incipere, ac se arũdineis ratibus ad id inquirendũ

accingunt. Bitumen est terræ gleba, quæ à calore liquefacta efflatur atque diffunditur, rursũsque in glaciem fortissimam ab aqua frigida immutatur. Ignis autem & bituminis fons in medio est, quamquam flatio sit inordinata. Regionem etiam igneam esse aiunt: nam & petras asperas exustas ostendunt, & multis in locis prærupta, & terram cinerulẽtam, & flumina fœtido odore efferuentia. Ab indigenis dicitur hoc in loco tredecim vrbes olim ædificatas fuisse, quarũ metropolis Sodoma fuit. Et quòd ex terræ motibus, & ignis afflatu, & aquis calidis, & bituminosis, & sulfureis lacus eruperit, & quòd petræ, igniferæ factæ sint, & vrbiũ aliquæ absorptæ, aliæ ab iis, quicũq; fugere potuerũt, derelictæ. Verùm hęc nõ satis cognouit Strabo, qui si legisset decimũ nonum caput Geneseos, certiora de hoc lacu, & circuniacẽte regione scribere potuisset. A Noële ad Abrahamum decem generationes perhibentur. Sem pater omnium filiorum Heber moritur sexcẽtesimo suæ ætatis anno, Geneseos decimo, & vndecimo: anno ab orbe creato, vt Bibliander annotauit, bis millesimo centesimo, quinquagesimo octauo. Sem genuit Arphaxad, qui genuit Cainam, vt vult Zonaras: neq; tamẽ libri Bibliorũ, neq; Iosephus huius Cainæ meminerunt, sed vt illi docent, Arphaxad genuit Sale, Sale genuit Heber, à quo Hebræi nomen accipiunt. Heber genuit Phaleg, is Phaleg genuit Reu, qui Reu genuit Sarug, Sarug genuit Nachor, Nachor genuit Thare, qui fuit pater Abrahæ. Sic à Noële ad Abrahamũ, decem generationes recensentur. Annum agebat Abraham, vt Augustinus Steuchus libro primo de perenni philosophia tradidit, cùm moreretur Noë, sexagesimũ, vel vt Carion libro primo de prima monarchia mauult, octauũ & quinquagesimũ, vel vt Eusebius in bi-

storiis scripsit, nonum & sexagesimum, anno post magnam aquarum inundationem ducentesimo nonagesimo secundo, vt Iosephus tradidit. Ad rem redeo. Moses nascitur, vt Exodi secũdo, & Actuum septimo continetur, anno ab orbe condito bis millesimo trecentesimo sexagesimo octauo. Aaron verò frater primogenitus natus erat anno ab orbe creato bis millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, vt Theodorus Bibliander annotauit, & interfecto Aegyptio fugit Moses in Madiam, vt Exodi secũdo, & Act. septimo, & Pauli epist. ad Hebræos vndecimo cap. continetur, anno ab orbe cõdito, bis millesimo quadringentesimo octauo. Anno verò postea bis millesimo quadringentesimo quadragesimo octauo Moses & Aaron educunt populum Domini ex Aegypto. Philippus Melanchthon mauult anno ab orbe creato, bis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, Mosem annum octuagesimum agẽtem, populum Domini ex Aegypto traduxisse, luna decima quinta post annos trecentos egressionis Abrahæ in terram Chananæam: post aduentum verò Iacob in Aegyptum ducentos & quinque annos. Postquàm autem annona AZymorum panum farinæ fermentatæ deficit, simul coturnices, manna, & aquæ de petra: Moses post tres egressionis menses venit ad montem Sina, & postquàm quadraginta diebus cibo abstinuisset, accepit à Domino legẽ, construxitque tabernaculum, mensibus septem antequàm sacra fierent, astitit Dominus Mosi præcipiens, Aaron in pontificem consecrari: quo perfecto, cæterísque rite consecratis, mense primo Nisam, qui Aprilis nobis est, anno sui itineris secundo erexit tabernaculum, sic Melanchthon. Eusebius suis in historiis, ab aduentu Abrahæ ad terram Chananæam vsq; ad egressum populi Iacob de terra Barbara, lapsos censet quadringẽtos

tos triginta annos, quod & Zonaras libro primo, capite sexto tradidit. Iosephus libro Antiquitatum secundo, capite decimo tertio author est, populum Hebraicum Aegyptum mense Xantiquo, qui Aprilis nobis est, reliquisse, post annos quadringentos & quadraginta, quàm pater Abraham venerat in Chananæã. Huius opinionis Paulus assertor videtur, quando ait, Testamentum confirmatum à Deo, & post quadringentos triginta annos facta lex, non infirmata ad destruendam repromissionem. sic in Exodo Moses loquitur, habitatio autẽ filiorum Israël, qua habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaam, ipsi & patres eorum, anni quadringenti & triginta: & post mortem Ioseph, Hebræi Aegyptiis seruitutem seruierunt annos centum quadraginta & quatuor. ideo si tẽpora dinumeres, quibus populus Hebræus in Aegypto cõsedit, ducẽtos & quindecim reperies, qui ab eo tempore numerantur, quo Iacob cum filiis suis descendit in Aegyptum, vt Eusebius suis in historiis doctissimè prosequitur. Moses Pharaonem, qui tunc proprio nomine Amasis dicebatur, vt Eusebius vult (Iosephus tamen hunc Pharaonem, Thechmosim, non Amasim nominat) plurimo colloquio, adhibitis ad hanc rem frequentibus argumentis diuino numine suffultis, interpellauit, quibus Domini mãdatum enuntiabatur, vt nepotes Iacob iugo illo seruitutis, quo plus æquo premebantur, solueret, licerétque eis vertere solum, & in libertatem prouocare. proximum instabat tempus, quo illi Chananææ regno insignirentur, longis sæculis Domini mandato illis parto. sed hæc omnia frustra. ideo Moses mandata Domini peragẽs, Aegypto cum omnibus Abrahænepotibus egreditur. Is fuit dies trãsitus à seruitute in libertatem. Omnis hæc populi multitudo virorũ, & mulierũ tam frequens

fuit vt dinumerari vix possit: qui erant ætatis floridæ, quibúsve stabãt in valido corpore vires, sexcenta millia numerabantur, vt Exodi liber author est, & Iosephus libro Antiquitatum secundo, capite decimo tertio tradidit. Aberrauit tanta hominum turba per loca opaca, inuia, & deserta Mose duce, si triginta dies excipias, annis quadraginta: quo tempore Moses annum agens vigesimum & centesimum in monte Nabano, in loco, cui nomen est Phasga, non procul ab vrbe Hiericho, ab hac luce subtrahitur. sic Iosephus. Bibliorũ sacri libri Deuteronomij in terra Moab occubuisse eum aiunt, anno, quo Ioseph mortuus est in Aegypto, post cuius interitũ Hebræi Aegyptiis seruierunt, cẽtesimo quadragesimo quarto: anno verò quo Moses dux itineris ex Aegypto Hebræorũ gentis efficitur, legem eis in eremo tradens, quadragesimo, vt Eusebius in historiis tradidit: anno ab orbe creato, vt Bibliander vult, 2488. Fuit Moses coætaneus Cecropis primi Athenienſium regis, ante Troianum excidium annis trecentis & quinquaginta. Ab Abrahamo verò vsque ad natiuitatem Mosis, computantur anni quadringenti & quinquaginta: ab eodem vsque ad primam templi ædificationem numerantur anni quadringenti nouem & viginti, secundum numerum annorum, quem liber Regum tertius continet: nam iuxta volumen Iudicum, numerantur anni sexcenti. à Salomone verò vsque ad restaurationem templi, quæ sub Dario Persarum rege facta est, colliguntur anni quingenti duodecim. Porrò, à Dario vsque ad Domini nostri Iesu Christi prædicationem, & decimum quintum annum imperij Tiberij Cæsaris, explentur anni quingenti quadraginta & octo. Itaque omnia colligendo fluxerunt ab Abrahamo vsque ad quintum

decimũ annũ Tiberij, bis mille quadringẽti quadraginta anni. Ab Abrahamo, Nino, & Semiramide, ad Mosem, & Cecropẽ lapsi sunt quadringẽti & quinquaginta anni: à Mose & Cecrope vsque ad excidium Troiæ fluxerunt trecenti nouem & viginti anni: ab incendio Troiæ ad primã Olympiadem numerantur anni quadringenti sexaginta, à prima Olympiade vsque ad secundum annum Darij, & templi instaurationem, ducenti sex & quinquaginta numerantur anni: à secundo verò Darij anno vsque ad decimum quintũ Tiberij, quo Dominus cœpit docere publicè populos, & concionari, numerantur quingenti quadraginta anni. sic fiunt, vt iam anteà diximus, ab Abrahamo vsque ad quintumdecimum Tiberij annum, bis mille quadringenti triginta anni, vt Eusebius in sua historia supputauit. Picus Mirandula libro cõtra Astrologos quinto, à Mose ad Christum natũ, mille quingentos nouem annos adnumerat: quæ temporis ratio. Philippo Melanchthoni satis probata videtur, quo fit vt mihi ea non probetur Budæi sententia, qui libro de Asse quarto, à Mose ad Troianam calamitatem, octingẽtos enumerat annos, sola Eusebij authoritate fretus. Ad Mosem redeo. Dum hæc in Hebræorum Republica geruntur, in Assyriorum imperio regnat Ascarades, sextus & decimus illorũ rex: post eum Amyrtas decimus septimus rex. Aegyptus, quæ prius Aëria dicebatur, ab Aegypto tunc ibi regnante, nomen accepit, cui datum est regnum, eiecto Danao. Argis, Stelenus nonus eorum rex dominatur, & post eum Danaus, qui expulsus Aegypto, sibi Argos audientes fecit. In Creta hoc tempore regnabat Axit. Athenienſium Erichthonius quartus rex erat. His diebus Dardanus Dardaniam condidit, & Proserpinam rapuit Orcus rex Molossorum,

Perſeus occidit Gorgonem, Cyrene in Libya ædificata eſt. Dionyſius Niſam in India cõdidit. Marianus Scotus Lacedæmona à Lacedæmone Semeles filio tunc conditam refert, quod antea Euſebius tradiderat: is Heroum omnium maximus. Moſes ſucceſſorem ſibi delegit Ioſue, qui ſuperata Hiericho, & terra Chananæorũ in Hebræorum ditionem redacta, regionibúſque inter Hebræos diſpartitis, anno ſuæ ætatis centeſimo decimo, in Cycenis agris, poſtquàm triginta annis rebus Hebræorum ſuperſtes fuiſſet, egit animã, vt Euſebius libro de præparatione Euangelica decimo tradidit, vel vt ipſemet in hiſtoriis narrat, poſtquàm ſeptem & viginti annis rebus Hebraicis operam dederat, & moritur anno à creato orbe, vt Theodorus Bibliander annotauit, bis milleſimo quingenteſimo decimo quinto. Hoc tempore Aſſyriis Amyrtas, Aegyptiis Remeſſes, qui & Aegyptus dictus eſt, regnarũt. Argis Stelenus nonus rex, & Danaus decimus. In Creta regnauit Iapis, Atheniẽſibus Erichthonius. Hoc tãto duce vita functo, ſine certo duce, Hebræorum res octo annis geruntur, vt Euſebius libro de præparatione Euãgelica decimo annotauit. Interea Simeon cum tribu Iuda Adonibezecem regem agros Hebræorũ populãtem intercepit, Hebrónq; celeberrimum Syriæ emporium ditioni Hebræorum adiecit, quod Leuiticorum libri proſequuntur. At hominum ignaræ mentes diuini numinis, gratum animum paulatim abolere incipiunt, & eorum mens ad ingenium redit, & ſuam innatam fragilitatem induit: hinc factũ eſt, vt fortuna ſimul immutata ſit cum moribus: nulla enim inter eos Religionis ratio, omnis politica lex contemnitur, viri longæui, quorum olim ſolerti opera ſtabat Reſpublica, concilio & magiſtratu pelluntur: omnis iuſtitiæ authoritas

contemnitur, priuatæ vindictæ & auaritiæ ſolus ſupereſt locus. Incredibile dictu quomodo res Iſraëlitarum, tam paruis initiis auctæ, paruo tempore cõciderunt: à bellis ciuilibus fit collabendarum rerum initium, domus antiqua Beniamin ruina collabitur, vna die quinque & viginti millia cæduntur, quod reliquum eſt igne abſumitur: ſexcentos ſi excipias, ad internecionem omnis hæc tribus deiicitur. Gabaon vrbs ampliſſima ſolo adæquatur, tribus Dan, Chananæorũ armis, & ferro abſumitur, Chuſan Raſathain (ſic in Bibliis nominatur) perpetuis incurſionibus Hebraicum populum infeſtat, donec Dominus longos Iſraëlitarum miseratus labores, Othoniel ex tribu Iuda excitauit, qui adiunctis ſibi quos potuit, comitibus, Hebræos ſalutem ſperare iubens, & afflictis melius confidere rebus, collecto modico exercitu, hoſtes qui Hebræorum res ad internecionem vſque deduxerant, frequentibus præliis adoritur, & quando ad manus arma deducuntur, in fugam verſos proſequitur: quæ egregia & præclara geſta omnium Hebræorum animos ad dignitatem Othoniel tuendam & augendam conuerterunt. Iam de immutatione dominationis agitur, hinc ſecunda definitur populi dei adminiſtrandi ratio. Is Othoniel dux & iudex domus Iſraël deligitur, anno ab orbe creato bis milleſimo quingenteſimo decimo quinto, vt Bibliander annotauit, & iudicat populum Iſraël annis quadraginta, Iudicum tertio, tam felicibus auſpiciis, vt priſtinæ dignitati eum Reipublicæ ſtatũ reſtituiſſe meritò dici poſſit: quibus peractis ei nouiſſimus clauditur dies, vt Euſebius de præparatione Euangelica latiùs tradidit. ſed ea Iudæorum gens diuini numinis oblita, plus quàm antea delirare cœpit, omnino delitiis atque otio ſe tradens, donec Eglon Moabitarum rex, acerrimis

incursionibus omnẽ Hebræorum regionem populatur. Hiericontem bello oppugnat, octo & decem annis, quasi seruitutis iure, non soluendis vectigalibus & tributis Iudæã lacerat, donec Aioth ex tribu Iuda, vt Iosepho placet, vel ex tribu Beniamin, vt cæteri censent, anno ab orbe creato bis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, vt Theodorus Bibliander annotauit. Is Eglonem nihil tale ſuſpicantẽ, gladio confodit, & Iudex Hebraici populi creatur, quem, vt vult Euſebius libro de præparatione Euangelica, octoginta annos rexit: & ſic poſt Othonielem alienigenæ habuerunt Hebræos ſubiectos octo & decem annos, qui ſecundum Hebræorum traditiones annumerantur temporibus Aioth, vt Euſebius in hiſtoriis annotauit. Poſtquàm Aioth fatis conceſſit, alienigenæ Hebræorum imperium viginti annis occuparunt, vt Euſebius tradidit, vel vt Iudicum liber mauult, Samgar dux & Iudex Iſraël creatur. ſunt qui Magarem malint. vtcumque ſit, hunc tantùm Dominus oſtendit dignitati, nec eo fungi munere diutiùs permiſit: Hoc tempore in Aſſyria regnabat Belochus octauus & decimus rex. Eo quoque tempore Bithynia conditur à Phœnice: Ephyra, quæ nunc Corinthus, à Siſypho ædificatur. Phœnix & Cadmus apud Tyrum, & Sidonem regnant. Athenienſium quintus rex eſt Pandion. poſtquam Samgar rebus humanis eximitur, in eius locum Iudex Iſraël Barach creatur, è tribu Neptalim, qui poſtquam quadraginta annis populum Domini rexit, rebus omnibus proſperè geſtis moritur, vt Iudicum libro latiùs continetur. Poſt eius fatum à Domino ad hunc Hebræorum magiſtratum accerſitur Gedeon, ex tribu Manaſſe, qui annis quadraginta hunc rexit populum, Iudicum ſexto, ſeptimo, & octauo. Hic Hebræos

priſtinæ libertati & dignitati reſtituit, & bello fuſis occiſiſq; regibus Orebe & Zebe, & cæteris Barbaris, qui Hebræorum otio inſidiabantur, poſt quadrageſimũ annũ, vt Iudicũ libro placet, agit animã. Huius Gedeonis tẽpore Tyriorũ ciuitas conditur, ante templũ Hieroſolymitanum annis ducentis & quadraginta, vt Ioſephus libro tertio annotauit. Orpheus Thrax clarus habetur, cuius diſcipulus fuit Muſæus. Athenienſium ſextus rex erat Aegeus Pãdionis filius. Aſſyriorum rex eo tempore fuit Panuias, Mycenis regnauit Euryſtheus. Huic in adminiſtratione ſucceſſit Abimelech annis tribus, naturalis eius filius, Iudicum octauo, & nono, omnium quos terra vnquam ſuſtinuit ſceleratiſſimus. Thebarum ciuitatem oppugnans, ictu lapidis à muliercula iacti collabitur, Iudicum decimo. poſt necem Abimelech, Thola in adminiſtratione ſucceſſit, qui duobus & viginti annis hoc magiſtratu functus traditur, anno vt Bibliander annotauit à creato orbe bis milleſimo ſeptingẽteſimo decimo quinto: & poſt hunc, Iair rem Iudæorum tractaſſe duobus & viginti annis ſcribitur, cui in adminiſtratione ſucceſſit Iephthe. Euſebius ex libro Iudicum, ab ætate Moſis ad tempora Iephthe, trecentos enumerat annos. Huic ſucceſſit Abeſan, nonnulli Amaſeum malunt, qui ex tribu Iuda, iuri dicendo clarus, ſeptennio res adminiſtrauit. Huic Iudicum libri ſucceſſorem Elom ſcribunt: huius ſucceſſor Abdon ex tribu Ephraim, Iudicum duodecimo, qui octo & decem annis huic adminiſtrationi præeſt, quo extincto quagraginta annis Hebræorũ gens ſine duce & rectore aberrauit. interea Philiſtini Palæſtina egrediuntur, Hebræorum agros populantur, nullã re incolumi relicta, cui ferro aut igne noceri poſſet: omnia hoſtilia Hebræi patiuntur, donec Samſon, quem cæ-

poris robore inuictum fuisse, vt Herculem Græci scribunt: sic Hebræi testantur. Is ex tribu Daniena Iudex Israëlitici populi creatus, Hebræos Philistinorum imperio soluit, pristinæ libertati eos restituit. Iudicauit Samson Israël viginti annos, Iudicum decimo tertio, decimo quarto decimo quinto: anno ab orbe condito, vt Bibliander annotauit, bis millesimo septuagesimo octuagesimo septimo, quod Philo Iudæus libro Antiquitatum Biblicarum primo latiùs prosequitur. Dum hæc à prophanis scriptoribus tractantur, sacri Bibliorum libri, quorũ necessaria est authoritas, nobis enunciauerunt, idq; verbis paucis. Vbi primùm res Hebræorum ad Iudices deducta est, Othoniel prius Iudicis administratoríq; functus est officio, postea Eglon alienigena, postea Aioth, deinceps Samgar, post modum Deborra, deinde Gedeon, postea Abimelech, cui successit Thola: deinde Iephte, post hunc Abesan, post Abesan Samson. hæc est Iudicũ elegans, & breuis in libro Iudicum descripta series, & ordo. Eusebius libro de præparatione Euangelica decimo, procul abest ab hac rerum serie. Sic Zonaras. Extincto Samsone nouissimo Iudæorum iudice, nouis legibus domus Israël regitur. Hebræi nouarum rerum percupidi in rebus nouis constituendis, nouis consiliis vtuntur, nihil opus esse Iudicibus aientes, nihil opus esse gubernatoribus: omnia illorum negotia ad sacrarum rerum præfectos deducenda: hinc mutato rerum ordine, noua rerum series creatur. Troianæ vrbis clades septem annis antequàm Samson Hebræorum Iudex crearetur, fuit, vt ex historiis patet, & Eusebius libro decimo de præparatione Euangelica tradidit. Heli sacrarum rerum minister, publicis negotiis præficitur, anno ab orbe creato bis millesimo octingentesimo quinto, vt Bibliander supputauit,

putauit, qui infelicibus auspiciis Hebræorum res administrat. Is cùm manus cum Palæstinis confert, magnam cladem suorum ciuium accepit: triginta Iudæorum millia vna die cæduntur, Domini sanctuarium in hostium manus deiicitur. Heli huius calamitatis impatiens, postquàm huic publicæ administrationi, quadraginta annis superstes fuit, vt Eusebius refert, dolore perimitur anno ætatis suæ nonagesimo octauo, vt libro Iudicum continetur. Sanctuarium impiis Palæstinorum manibus pollui nequit, impios Palæstinorum mores non patitur. omnem Palæstinorum prouinciam nefandis morbis infestat. ad Galeam ciuitatem transmittitur. non dicendis malis ea ciuitas agitatur. à Galea ciuitate ad Accaron deducitur, ibi ingrauescit morbus: ab Accaron ad Ascalon, peiúsque tractantur ea in ciuitate Palæstinorum corpora. ab vrbe Ascalon ad Gazeam sanctuarium transmittitur, vbi peiori quàm antea more cum Palæstinis agitur. A Gazea ciuitate, ad Azotum sanctuarium defertur. vbi omnia infelici fato collabi perspiciuntur. porrò cùm humana consilia diuina necessitate superantur, & omnia aliter Palæstinis contingerent ac rati erant; nouis consiliis res agitur: currus nouus apparatur. sanctuariũ currui superadditur. laxantur vaccarũ habenæ. statim (mirabile dictu) vaccæ rhedæ adiunctæ sponte sua nulla rhedarij arte Chananææ terræ campo Bethsameno appulerunt, noua sacrificia à populo Israëlitico parantur. Postquàm publicæ exactæ sunt lætitiæ, sanctuario Chariathiarea ciuitas paratur, quod in Samuele Bibliorum sacri libri latiùs prosequuntur. His rebus ita gestis, in locum Heli sufficitur Samuel. Bibliander in quarta temporum tabula, à septimo anno Iosue, quo terra diuisa sortibus est, vsque ad

Samuelem, trecentos & quinquaginta enumerat annos. Hic Samuel vir à Domino prædilectus, vbi primùm humeris suis hanc prouinciã annecti sensit, omnia Domino accepta ferre censet. interea meminisse eos iubet pristinæ Hebræorũ virtutis & libertatis, incendit animum eorum incredibili amore sese promentis libertatis, arma parantur, fit exercitus coitio, fiunt sine intermissione preces ad Dominum. cum Palæstinis veteribus Hebræorum hostibus, qui Iudæorum libertati plus æquo insidiabantur, concurritur. fit Palæstinorum plurima strages. fuga Palæstini sibi consulunt. vltima manus huic bello imponitur. quies & libertas Israëlitico populo quæritur. paulò post Samuel annis inutilis Abieno & Ioëllo liberis suis curam Reipublicæ mandat. Ij publico omnium malo infelicibus omnia agunt auspiciis. ad Samuelem fit populi concursus. Rex à populo desideratur. Dominus à Samuele consultus ægrè fert. quantò magis Samuel apertè illis Domini voluntatem enuntiat, tantò magis illi desiderio regis flagrant. Saul à Samuele mandato Domini Hebræorum rex designatur, Regum primo. Cùm occurreret Saul Samueli, huic Samuel quæ ventura erant super eum Domini mandato exposuit. oleo caput eius vnxit rex Hebræorum ab eo designatur. Pauco pòst interiecto tempore, conuocatis tribubus Israël, vt de nouo rege deligendo perageretur ministerium, demittitur sors in vrnam. ea ad domum Beniamin diuertit. rursus sorte in ea tribu res agitur. sors Betririnam domum complectitur. ex ea Beniamin tribu Saul sorte rex creatur, anno post euersionem Ilij sexagesimo septimo, vt Glareanus & Oloander tradiderunt. Hoc tempore Assyriis imperabat Thyneus vigesimus septimus Assyriorum rex. Latinis verò Ascanius secundus Latinorum rex erat. Athenienſium verò rex erat Oximes, decimus tertius eorum rex. Præfuerunt Samuel & Saul primus rex Israël Reipublicæ Hebræorum annis quadraginta, vt habetur Act. decimo tertio, idque agnoscunt Eusebius in historiis, & in libro de præparatione Euangelica, & Theodorus Bibliãder in quarta Chronologiæ suæ tabula, & Beda in commentariis Act. è quibus annis, decem obuenerunt Saulo regi, triginta Samueli. Bibliander regnum Saul ad bis millesimum octingentesimum quadragesimum quintum à creato orbe annum reponit. Hoc tempore, cùm Ascanius secundus Latinis rex erat, Hectoris filij Ilium receperũt, expulsis Antenoris posteris, Heleno suis auxiliũ ferẽte, vt Eusebius in historiis annotauit. Ab Hebræis status Aristocratię pellitur, qui ab his gerebatur, qui virtute, & rebus antea præclarè gestis cæteros antecellebãt. quãdiu Moses & Iosue rebus Hebræorũ superstites fuerunt, deligebãtur ex Israelitarũ familia viri, quorũ ingenium sapiẽtia validũ erat, ij iuri dicẽdo præerant, & quãdo res ad arma deducebatur, rei militari nauabant operam, secundum tamen mandatum Mosis & Iosue, à quibus procul aberat regiæ dignitatis nomen. Procedente postea tẽpore delecti sunt ab Hebræis Iudices, quibus dabatur ius dicendi publica potestas, cõstitutúmq; vt ad eos summa omniũ rerum tã rei militaris, quàm iuris dicẽdi deferretur. Tandẽ ad sacrarũ rerũ præfectos omniũ rerũ summa defertur, quod tẽpore mutatum est, & tandẽ ad monarchiã res deducitur. Saul, vt paulò antè dictũ est, primus Hebræorum rex creatur. Interea Philistini, (sic enim in Bibliis nominantur, qui à Græcis Palæstini dicuntur) maximo coacto exercitu, & facto quàm plurimo agmine, Hebræorũ agros populantur, villas igne perdunt, omnia armis portenta

comminantur. Hebræi tantis antè defuncti periculis terrentur, pauci armati Saulis regis personam circunstant. Saul cũ Ionatha filio omnibus virtutibus cumulato, & sexcentis armatis militibus hostem Palæstinum per loca ardua, opaca, & inuia, nullam pugnandi copiam faciens, persequitur. At Ionathas tantæ iniuriæ impatiens uno comitatus milite, lõgos patriæ pertæsus labores, occasionem pugnandi perpetuò captans, ubi hostes somno vinóque sepultos animaduertit, nihil tale suspicantes adoritur. fit maxima Palæstinorum strages. illi ignari à tam paucis opprimi, fugæ se præcipites dedêre. fit in ea fuga frequens equorum hinnitus, cæsorum clamor, fugientium planctus: quæ ubi omnia ad Saul perueniunt, Ionathámque à se procul abesse conspexit, statim quod euenerat ratus, nulla adhibita mora filio se comitem addidit. hinc atque illinc acies concurrunt. cadunt Palæstinorum sexcenta hominum millia. Saul edicto cauet ne quis se futuris dapibus accingat, antequàm ferro absumatur omnis Palæstinorum cohors, qui aliter atque edictum est fecerit, norit sibi præsens imminere exitium. Ionathas, qui eos, qui in prima acie certabant, regit, hostem validissimis viribus premens, patris edicti ignarus, cùm incidisset in uiam, quæ fauo mellis coruscabat, quod potuit conuellere mellis ore consumpsit. Quod cùm resciuisset Saul, reum Ionatham mortis egit: at cataphracti, & gregarij milites, huic sententiæ interceſſerunt, ne is opprimatur, cuius eximia virtute salus & victoria populo Hebraico parta sit. omnium sententiis ab hac accusatione Ionathas liberatur. Quam cladem Palæstini, Ammonij, Moabitæ, Idumæi ex hac Saulis victoria acceperint, Bibliorum sacri libri in

libro Regum satis aperiunt. Saul victor, & ouans Israëliticum populum lustrat. dum dulci hac victoria Hebræi potiuntur, ecce Samuel Domini interpres Saulem compellat, séque mandatum à Domino accepisse ait, quo mandatur, vt collecta armatorum hominum manu quàmplurima, Amalecitarum populum adoriatur. omnes illius ditionis hómines nulla habita discretione pueri an infantes existant, ferro & igne absumat: & omnia illius ditionis pecora nulla habita rerum distinctione perdat. Dicto citiùs Saul mandata satagere pergit. Agag regi Amalecitarum bellum indicitur. fit ex utraque regione gentium coitio exercitus. ad signa deducuntur ab Hebræis. omnis ferè Amalecitarum exercitus absumitur. iam nihil ferè erat reliqui, cùm Agag rex pugnans intercipitur. ad Saul regẽ vinctus deducitur, qui admiratus illius principis egregiam corporis speciem, immemor mandati Domini, & per eum acceptarum ab Hebræis iniuriarum, vitæ illius regis pepercit, fideli custodiæ eum mandans. Sed breuis ea fuit Saulis lætitia. Ecce iterum Samuel Domini interpres Sauli fit obuiam, grauissimis querelis cum eo agens, quòd Domini mandato morem non gessisset, & regis Agag vitæ pepercisset, futurum vt regno pelleretur, Dominúmque pœnituisse regni Sauli indigno oblati. Tunc nulla adhibita mora, Agag rex occiditur, vt in Samuele liber Bibliorũ latiùs prosequitur. At Samuel nullas nectẽs moras Bethleem proficiscitur. statim vbi aduenit, nihil habuit antiquius quàm vt Isai compellaret, ab eo vehementer efflagitans vt videndorum suorum liberorum copiam faciat. is omnes præter Dauidem natu minimum Samueli sistit. minor natu à Samuele desideratur. Isai conuocari adolescentẽ iubet. cum Samueli sistit is à Samuele rex Israël designatur.

& vngitur. sic ex tribu Iuda Dauid hic primus Hebræorũ rex fit, anno à capta Troia centeſimo ſeptimo, quo tempore Syluius quintus Latinis imperabat. Interea Saul mentis delirio agitatur. huic morbo qui mederi ſtudent, ægritudinem animi pelli cithara, & aliis muſicis inſtrumentis profitentur. repẽtè offertur Sauli. Dauid huius muſicæ artis peritiſſimus. arridet Sauli Dauidis & forma, & ingenij acumen. redigitur is in eorum album, qui ex publico ſtipendia conſequebãtur. dum hæc aguntur Palæſtini Hebræorum terras populantur: cui morbo vt mederetur Saul, conuocato ſuorum ſubditorum plurimo agmine, obuiam it. fit vtriuſque exercitus apparatus. dum inſtant inſtructæ proximæ ad pugnã acies, ecce Goliath vir immenſæ magnitudinis, inter vtrãque aciem claſſicum canit, audaciorem & fortiorem Hebræorum ad pugnam prouocans: cui pugnæ ſeſe Dauid ex Hebræis ſolus offert, fit inter eos pugnæ exordium. vbi ad arma concurritur, Goliath ictu lapidis à Dauide iacti ruit. hic fuit finis fatorum Goliath. At ex tali certamine Dauidi ex virtute conflatur inuidia. Saul non dicendo odio Dauidi exitium interminatur. quibus occaſionibus iniuſta nex illi adferatur, frequentia ineuntur conſilia: ſed hæc omnia diuina Prouidentia ſuperantur: aliter atque Saul ratus erat terminantur. Dum Saul Dauidem quàm maximis poteſt periculis obiicit, illis Dauid periculis rebus præclarè geſtis defunctus, Saulis inuidiam auget. offertur Dauidi Michol Saulis regis filia. Eam Dauid ſibi connubio iungit, vt in Samuele Bibliorum ſacri libri latiùs proſequuntur. Dauid Saulis gener exercitui, quem Saul aduerſus Palæſtinos coëgerat, præficitur, vbi ventum eſt ad arma, vincuntur Palæſtini. quantò ampliùs Dauid virtute creſcit, tantò magis

Saul inuidia æſtuat. repetuntur de nece Dauidis conſilia. Dauid ſibi fuga ſalutem quærit. interea bellum inter Hebræos & Palæſtinos magis ac magis exardeſcit. Palæſtini coacta quàm plurima hominũ turba Hebræos aggrediũtur, his Saul occurrit. Sibi comites adſciſcit tres liberos, Ionathã, & Aminadab, & Melchiſue. Poſtquam iunctæ ſunt acies, Ionathas cum duobus fratribus acerrimè pugnantes collabuntur. Saul in eadem acie boni & ſtrenui imperatoris officia exequens, lethalibus vulneribus confoditur. Is vbi præſenſit naturam ſibi vitæ finem facere, rogat primum ex gregariis militib. qui perſonam eius circunſtabat, vt eum ferro confodiat, ſic malle occumbere quàm in hoſtium manus deduci, vt liber Regum ſecũdus, capite primo in Bibliis tradidit, quibus Ioſephus aſtipulatur. Alij eum mortem ſibi cõſciuiſſe malunt, anno regni ſui quadrageſimo, vt Euſebius libro decimo, capite tertio de præparatione Euangelica tradidit. Parta à Palæſtinis victoria, & Hebræis omnia hoſtilia paſſis, regnum Hebræorum in duas ſcinditur partes. Dauidi regnũ Iuda obuenit. ſecũda adhuc vice in ciuitate Hebron rex vngitur. Iſboſeth filius Saul, domui Iſraël rex creatur. Abner Saulis magiſter equitum hanc ſceptri ſectionem æquo animo non patitur, ſupereſſe aiens regis Saulis ſobolem, ad quam iure hæreditario debuit deferri patris hæreditas, & coactis quæ ſupererant domus Iſraël familiis, cauſam Iſboſeth eis expoſuit. arriſit populo Iſraelitico magiſtri equitum ſententia. hinc bella pluſquàm ciuilia. Interea Dauid Iudæ rex in Hebron regia ciuitate optimi Imperatoris officia exequitur. Iſboſeth in caſtris Manahin, omnibus Hebræorum familiis (ſi Iudam excipias) ius dicit. cedere alteri neuter vult. fit belli ciuilis apparatus. exercitu Dauidis Ioab præficitur. In-

castris Isboseth Abner imperat. Priusquàm iungantur acies, deliguntur ex qualibet acie duodecim iuuenes manus conserturi, qui tantis animi & corporis viribus rem aggrediuntur, vt quem quisque locum viuus pugnando delegerat, eundem locum amissa anima corpore tegeret. hac acta cruenta cæde classicum canitur. conferuntur signa. fortissimè pugnatur. Isboseth exercitus sensim collabitur. pedem ex acie Isboseth milites retrahunt, vt secundo Regum, capite secundo fusiùs describitur. bellum postea aliquantisper conquieuit, donec Abner omnium negotiorum Isboseth præfectus, amore Respha quondam à Saulo dilectæ, quæq; ei in deliciis erat, æstuat: & cùm illius consuetudine abuteretur, ab Isboseth acerrimis iniuriis lacessitur. negat illius puellæ concubitus furtiuos sibi placere, cuius amore antea Saul delectatus fuerat, vt liber Regum secundus, capite tertio latiùs prosequitur. Quæ regis obiurgationes in pectus Abner supra quàm credibile est descenderunt. de accersendo nouo rege initur ab eo consilium. sibi placent Dauidis mansueti mores. fit ad eum concursus. Humanissimè Abner à Dauide excipitur. de expellendo Isboseth rege, & Dauide intromittendo in regnum Israël fit plurimus sermo. Ioab Magister equitum Dauidis incredibili inuidia flagrat, Abnérque nihil tale suspicantem, ferro incautum opprimit. Paruo post temporis interstitio, Isboseth à duobus suæ aulæ primariis viris interimitur. Dauid omnium Hebræorum suffragiis vniuersæ domus Israël rex designatur. tertiò rex vngitur, vt secundo Regum, capite quinto latiùs edocetur. Dauid vbi ad vniuersæ Domus Israël sceptra euectum se cõspicit, Hierusalem vrbem, quæ inter lacum Sodomicũ & mare mediterraneũ in limitibus domus Beniamin sita est, vi

oppugnare

oppugnare cõstituit. Hæc à Barbaro rege Iebusæo occupabatur, qui ancipitem belli fortunam experiri non ausus, fuga sibi prospexit. Dauid ignauia barbari regis vrbe potitur, & Hierosolymã ingressus totius domus Hebræorum Regiam edicto perpetuo declarat. Hæc vrbs toto orbe memorabilis, habitatio fuit credentium in deum, & prædixerunt prophetæ ex ea orituram salutem, atque diffundendam per vniuersum orbem. Quanta verò mala hæc vrbs ante Christi passionem perpessa fuerit, propter inhabitantium peccata, ex his quæ proximè adiicietur, facilè coniici poterit. quod cùm illius incolæ nullis Prophetarum oraculis in legis diuinæ mandato contineri voluerint, non defuit Dei flagellum. Rex enim Babyloniorum ciues omnes captiuos eduxit ab vrbe. Templum igne absumpsit. Post Christi verò passionem anno à Christo nato septuagesimo tertio, hæc memorabilis vrbs inedia, ferro, & igne omnino absumitur. Postea Cæsar Adrianus hanc Hierosolymam omnino subuersam instaurauit, & à suo nomine Aeliam appellauit. Procedente dehinc tempore dum Henricus quartus imperatoris fungitur officio, Saraceni vrbem hanc denuo euerterunt. Domini tamen sepulchrum quæstus causa intactum reliquerunt, & templum Domini sacrilegæ religioni reseruarunt, tantæq; apud eos habitum fuit veneration, vt illud ingredi nisi nudis & lotis pedibus nefas iudicaretur. Consilio postea inito per Romanum Pontificem, anno millesimo centesimo nonagesimo septimo ex Galliis, Hispaniis, Anglis, Scotis, Hiberis designata sunt in domini militiã centum millia virorum Crucis signaculum in vestibus ferentium. Horum duces fuerũt Gotfridus Lotharingius cũ suis fratribus, Balduino & Eustachio, Hugo frater Philippi Galliarũ regis, Rupertus Flãdriæ Co-

!

mes, & Rupertus Normanicus. Ij trasẽtes per Germaniã & Pannoniã diuersis itinerum difficultatibus superatis Cõstantinopolim appulerunt, motis deinde castris, Niceam primùm oppugnant, fugántque Solymanum paganorum principem, deinde nouem mensibus Antiochiam obsidione cingunt: qua oppugnata Syriam ingrediuntur. aliquot oppida vi occupant, postquàm Hierusalem adueniunt, vi eã multo effuso Sarracenorum sanguine occupant. qua parta victoria, pars Christiani exercitus patriam, vnde digressa erat, remeat. cæteri verò, quos aspectus vrbis & solum retinuit, hanc terram incoluerunt. Gotfridus itaque vt pater & rex præfuit, cui prouinciæ cùm anno superstes fuisset, morte immatura subtrahitur. Huic Balduinus eius frater in administratione successit, & octoginta & octo annis Christianis hæc terra habitata traditur: donec Saladinus Persarum rex, facta quàm plurima Christianorum strage, Hierosolymam vi occupauit, omnésque Christianorum arces ferro sibi ascripsit. Tyrus vnica vrbs mari cincta imperio Persarum intercessit, ad cuius rei famam mox vndique Principes, Duces, Marchiones, Comites, Episcopi surgunt, & ipse Federicus Imperator primus exercitum coëgit, & quàm maximis poterat itineribus contendit. vbi Asiæ oram appropinquant, & iam ventum erat ad Armeniæ fines, cùm Federicus abluendi corporis gratia in fluuium diuertisset, vi fluminis arreptus submergitur, magna constern atione exercitus Christiani. Recuperantur à Christianis Cyprus insula, Acon ciuitas, Ioppe & Hierusalem. Anno postea millesimo ducentesimo decimo septimo, Hierusalem cum vicinioribus prouinciis à Sarracenis denuò oppugnatur, & postea anno millesimo ducentesimo vigesimo nono in Christianorum di-

tionem reiicitur, fiúntque decem annorũ inducię inter Christianos, & Sultanos. Deinde anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo octauo, Hierusalẽ rursus à Sarracenis occupatur cum maxima Christiani sanguinis effusione. Procedente postea tẽpore anno millesimo ducentesimo nonagesimo nono perdiderũt Christiani omne imperiũ in terra sancta iã multis sæculis partũ, & nouissimis sæculis confirmatũ, mansítq; hæc regio in Sultani ditione. Sed vt benè congruum est, vt quod male partũ est, in peius dispereat. Turca nostris tẽporibus Sultanum Palæstina & Aegypto pepulit, omnísq; hæc Syriæ pars illi audiẽs est. Hæc quidẽ adiicere placuit, vt dum incidit sermo, quibus artibus Hierusalem regia domus Israel sit edicto Dauidis facta, agnoscatur à lectore qua necessitate coacta hæc eadẽ à nostra religione desciuerit. ad rem redeo. Dauid superata Hierusalem, & ea ditioni Hebræorum adiuncta, Palæstinam & Idumæam amplissimas Asiæ prouincias, pulsis veteribus dominis, ditioni suæ annectit. Phœniciam apud priscos appellatam esse, quæ nũc Palæstina Syriæ dicitur, post antiquos author est Budæus libro de Asse quarto. Damascum celeberrimũ totius Asiæ emporiũ vi cepit, & validissimis præsidiis muniit. Eas prouincias tributo, & aliis subsidiis, quæ affert victorum conditio, vexauit: deinceps Mesopotamiæ fines populatur, totámque Mesopotamiæ orã imperio, & legibus suis submisit. ad Ammonitas tandẽ belli calamitas diuertit. Rabba celeberrimum illius ditionis emporium à Dauide obsidetur, quod liber secundus Regum capite nono prolixiùs edocet. Eusebius libro de Præparatione Euangelica decimo author est, Eupolemum scriptum reliquisse, Dauid regem Syros & Phœnices vsque ad Euphratẽ domuisse, Idumæos etiam, & Ammonitas, Itu-

rios, Moabitas, Nabataeos, Nabdaeos, Suronémque Tyri regem bello subegisse, & tributa Iudaeis pendere coëgisse. Tunc Dauidi diuini numinis ratio excidit. sanguine Vriae, & adulterio Bersabeae miserrimè polluitur. fortuna simul immutatur cũ moribus. porrò superatis bello Ammonitis, omnes Dauidis opes, omnis rerũ praeclarè gestarũ memoria sensim dilabuntur. statim caedes Ammoni vni ex eius liberis, ab altero fratre Absalone per proditionẽ paratur. Dauid pater ab Absalone, altero ex suis liberis, in Hierusalem obsidetur (ostenti & monstri prorsus genus) vt nec paterna pietas, nec senis veneranda senectus, nec regia Maiestas à tam nefando parricidio Absalonem filium reuocauerit, & cuius praesidio ab hostilium insidiarum periculo se tueri debebat, illius insidiis circunuentus, tutior ab hostibus quàm à filio fuerit. In eo belli nouo genere Absalon dignas luit poenas. in bello fugiens ferro à Ioab magistro Dauidis equitum confoditur. Dissoluto illo belli genere, noua parantur plusquã ciuilia bella. Tribus Iuda ab aliis Hebraeorum familiis desciuit. ad arma concurritur. pestis negotium terminat. septuaginta Hebraeorum millia peste absumuntur. capularis Dauid & decrepitus ante diem tabescit. anno aetatis suae septuagesimo ab hac luce subtrahitur. haec iam ex illo sibi sperandi fuerant tempore, quo ferro maritum absumpsit, & vxorẽ eius Bersabee adulterio polluit. Regnauit annos quadraginta, vt Eusebius libro de Praeparatione Euãgelica decimo tradidit, videlicet septem in Hebron, & in Hierusalem tribus & triginta, vt liber primus Regum capite decimo sexto, & secundus capite quinto annotarunt, anno ab orbe creato bis millesimo octingentesimo octogesimo quinto, vt Theodorus Bibliander supputauit. Huius Dauidis tempore

regnauit in Assyria Dercilius vigesimus octauus Assyriorum rex. in Atheniẽsium monarchia Codrus nouissimus rex sibi mortẽ afferens interimitur, vt latiùs in Athenienstũ regno discutietur. Latinus Syluius rex quintus Latinis imperat, vt Eusebius suis in historiis annotauit. Eo quoque tempore in Italia Mycena cõditur, quae nunc Cumae. Ephesus quoque cõstructa ab Androco siue ab Andro. Carthago verò cõdita à Chalcedone Tyro. alij à Didone eius filia cõditam malunt, anno post Troiam captam centesimo quadragesimo tertio, vt Eusebius annotauit. Alij initium Carthaginis ad Salomonis tempora reiiciunt. alij ad tempora, quibus Amazias Iudaeis imperabat. Assyriis verò Acrazaxes. Latinis Syluius Aremulus duodecimus Latinorum rex erat. Huic aequissimo & optimo patri successit sapientissimus filius Salomon ex Barsabea, quae antè fuerat Vriae coniunx. Is ex tribu Iuda secundus Israël rex creatur. in regni sui exordio Adoniae fratris sui nece polluitur, tertio Regum capite secundo. Ioab Magistrum Equitum, cuius fideli & solerti opera Dauid plurimis annis vsus erat, à consiliisque ei proximus fuerat, inter templum & altare interemit. Abiathar summus Pontifex ab hoc nefando rege proscribitur. septingentis ferè vxoribus matrimonij fœdere alligatur. trecentis concubinis seruit. cuilibet illarum particulari idolo litatur. Is miserrimus rex omnibus idolis vxorum & concubinarum thure litat: tẽpla, quibus idololatria celebretur, cuilibet puellae aedificat, tertio Regum capite vndecimo. nihilominus homini illi scelerato Dominus (quae sua propensi animi aequitas) cõniuẽs peccata, adiutrices auras porrexit. Sapiẽtiae dono à Domino insignitur. egregia eius regis facta rara vetustas nobis enunciauit. templum Domini excelsae magnitudinis

Hierosolymis septennio ædificauit, Regum tertio, anno quadringentesimo & octogesimo ab egressu Israël de Aegypto, vt Eusebius suis in historiis annotauit. Theodorus Bibliander ab orbe condito ad templi ædificationem bis mille noningentos octo & viginti annos enumerat, ab egressu verò populi Iacob de Aegypto, vsque ad ædificationem templi satis cum Eusebio conuenit, quadringentos octoginta dinumerans annos. Is etiam rex Chananæos ab vrbe Gazer pepulit, eámque prouinciam Hebræorum adiecit imperio. populum, qui montem Libanum vicinitate cingit, armis oppugnauit. Annum agens secundum & quinquagesimum, vt libris Bibliorum placet, vel nonagesimum quartum, vt Iosephus scripsit, ab hac luce, publica Hebræorum lætitia, subtrahitur, postquàm, vt sacri Bibliorum libri testantur Regum tertio capite vndecimo, quadraginta regnauit annos. Glareanus in chronologia ad Liuiũ quatuor addit annos. Iosephus octoginta mauult, cui plurimam odij publici causam conciliarunt frequentes causæ, tum scortorum grex, quem ex omni natione conflarat, tum idololatria, quã supra quàm credibile est excoluit, tum publicæ pensitationes, & omni arte excogitata tributa, quibus eos, qui ditioni suæ suberant, incredibili tyrannide vexauit. Aestimatio opulentiæ Hebraicæ, vt Guillelmus Budæus libris de Asse aperuit, vix fieri potest ob talenti varietatem, sicut & ipse Iosephus extricare hanc ambiguitatem minimè potuit: nunc enim pro pondere, nũc pro numero, nunc pro minimo ponitur: quãtùm autem coniectura haud ariolatrice coniectare possumus, vt Budæus ex Eupolemo tradidit, quadragesies sexies centena millia in templum, & eius instrumentum absumpta fuerunt, videlicet argenti ad clauos & alia instrumenta mille ducenta triginta duo talenta, æris verò decem & octo millia, vt libro de Asse quarto Budæus prosequitur. Dum Salomon in Republica Hebræorum tandiu grassatur, in Assyria regnabat Eupares, Athenis Agastus, Corinthi Agelaus, Latinis verò imperabat Alba Syluius sextus Latinorum rex. Eusebius ait hunc Aeneæ Syluini filium fuisse. Prophetarũt hoc tempore Sadoch, Achias, Salomites, & Sameas. Rebus sic infelici fato in Iudæa gestis, recens memoria plurimùm odij conflauit filio, cui nomen Roboam inditum erat: ab eius enim imperio manus subduxerunt ferè omnes Israëlitarum familiæ. fit tribuum Iudææ sectio. Iudæ & Beniamin tribus Roboam regem constituunt, regiáque sui imperij Hierosolyma mansit. Ieroboam verò imperium reliquarum decem tribuum consequitur. Regia eius regni Samaria postea facta est, Regum tertio, capite duodecimo, anno à Troia capta centesimo octogesimo septimo, quo tempore Alba Syluius Latinorum rex erat, vt Oleander, & Glareamus annotarunt, anno ab orbe condito bis millesimo noningentesimo sexagesimo quinto. Facta hac regni sectione Succasinius rex, vt Zonaræ placet, vel vt libri Bibliorũ volũt, Sicah, tertio Regum, capite decimo quarto, vel vt Iosephus vult, Sesosterus, bellum Iudæis indicit. Roboam, cuius ingenium hæreditario patris morbo idololatriæ pollutum erat, omni virili auxilio destituitur. Barbaro hosti fores Hierusalem patent. Is Barbarus victor & ouans optata vrbe potitur. Gazæ Hierosolymitanæ in Aegyptum asportantur, anno ab orbe creato, vt Bibliander annotauit, bis millesimo noningẽtesimo sexagesimo nono. Postquàm Aegyptius omnes agros Iudæorum populatus est, omnes eorum opes euertit, ciues quasi omnes ad internecionem deduxit, relicta Hierosolyma, do-

mum, vnde profectus erat, reuertit. Roboam nullis rebus præclarè gestis, anno suæ ætatis septimo & quinquagesimo, regni sui decimo septimo, ab hac luce subtrahitur, Regum tertio, capite decimo quarto. Huic successit Abias, ex Roboam & Maacha filia Absalom originem trahens, Regum tertio, capite decimo quinto. Hic regnauit ducentesimo & quarto anno post euersionem Ilij, quo tempore Capys Syluius Latinis imperabat. in Assyria regnabat Laosthenes. Athenis Agastus. Corinthi Agelaus. Fuit hic Abias rei militaris peritissimus, veræ religionis contemptor. Idololatriæ plus satis studuit. Bello ciuili, quod cum Hieroboam gessit, tam acriter pugnatum est, vt vno die quinquaginta Hebræorum millia conciderint. Huic bello Abias victor & superior fuit. cùm hostem Hieroboam fugientem premit, plures eius vrbes oppugnat. eloquentiæ studiosissimus fuit. tertio sui regni anno agit animam. Ei successit AZa rex bonus, qui veram Dei pietatem decennio excoluit: at (sic rerum humanarum voluuntur sortes) Zaræus Aethiopum rex quietis Iudæorum impatiens, coactis cataphractorum militum centum millibus, & gregariis peditibus nouies centum millibus, vt Iosephus libro antiquitatum author est, Iudæorum agros populatur. Iis AZa rex pius occurrit. committuntur acies. cadunt Aethiopes tam frequenti numero, vt corporum fiat excelsæ magnitudinis quàm plurimus aceruus. Interea Baasa Israëlitarum rex in limitibus Iudææ Ramath vrbem non ignobilem aggressus cepit. captã præsidio muniuit, quod aptissima belli sedes videretur. Eam AZa solo adæquauit. Rebus omnibus præclarè gestis, anno regni sui quadragesimo primo fatis concessit, Regum tertio, capite decimo quinto. Hoc Iudæorum felici tempore, regnabant

regnabãt in Assyria, Athenis, apud Corinthios, & Latinos hi reges, quos dum Abias regnabat, suprà regnasse ostendimus. Hebræorum Pontifex maximus Abimelech erat. Prophetarunt Achias & Sameas. Huic in regno successit Iosaphat, anno à Troia capta ducentesimo quinquagesimo. quo tempore Syluius Capys nonus Latinorum rex erat, anno à creato orbe, vt Bibliander tradidit, ter millesimo vigesimo quarto: vel, vt Eusebius censet, quatermillesimo ducentesimo sexagesimo, cuius calculus nulla temporis ratione consistit. Eo tempore prophetarunt Abdias, OZias, & Micheas. In Assyria regnabat Ophratanes trigesimus quartus Assyriorum rex, Lacedæmoniorum rex erat Archelaus, Aegyptiis rex erat Osochor, Corinthiis Agelas sextus rex erat, vt Eusebius in historiis tradidit. Hic Iosaphat pietate insignis nunquam satis laudatus, regnauit quinque & viginti annos. Ei successit Ioram, qui regnauit annos octo, quarto Regum capite octauo, anno ab orbe condito ter millesimo quadragesimo septimo, vt Bibliander annotauit, vel vt Eusebius vult, anno quater millesimo ducentesimo nonagesimo, post Troiam verò euersam, vt Glareanus annotauit, ducentesimo septuagesimo quinto. Dum Ioram in Iudææ regno sceptra moderatur, Agrippa Syluius Latinorum rex vndecimus, Latinis imperat. Aegyptiis verò Persusennes, vt Bibliander existimauit, vel vt Eusebius putat, Spinaces. Horum regum tempore Homerus in Græcia claruit, vt vult Apollodorus Grammaticus, & Ephorus historicus, ante vrbem conditam, centum viginti & quatuor annis, vt ait Cornelius Nepos: ante verò primã Olympiadem, annis cẽtum, vt Eusebius ait. Guillelmus Budæus libro de asse quarto, Homerum proximum fuisse regno

m

Dauidis existimauit. Postquàm natura huic regi Iudæorum finẽ fecit, OchoZias eius filius regno potitur, anno vno. Postea regnauit Athalia ipsius mater annos septem, sic Glareanus. Deinceps regnauit Ioas annos quadraginta. Hic septimum annum agens patrem amisit. Ioiada summus Iudæorum Pontifex tutelam regni & pupilli suscepit, pupillũ omnibus piis doctrinis imbuit. Iam templum infinito sumptu ædificatum collabebatur: huic operi ædificando regiæ pecuniæ non satis erant. noua vectigalia populo tot bellis fessо indici nec poterant nec debebant. nouo consilio res agitur: visum est regi, optimóque Pontifici, vt pecunia quam quisque spõte sua nulla adhibita publica iussione in publicam templi causam attulisset, perficiendo huic operi expenderetur, arcáque huic recipiendæ pecuniæ publicæ apponeretur, quæ intromitterentur sponte offerentium pecuniæ, quæ restaurando templo vsui essent, vt Zonaras libro primo, capite decimo tertio pluribus verbis tradidit. Hinc mos Ecclesiarum nostrarum, vt pro sartis tectis templorum, ad fores scrinia recipiendis piorum hominum eleemosynis, ædificandorum templorum gratia proponantur. Ioas denique in Iudæa regno ius dicit. prophetarunt in Iudæa Zacharias, & Heliseus in Israële. Assyriis verò erat AcraZaxes trigesimus quintus illius regni moderator. in Lacedæmonia Lycurgus insignis legislator habetur. Hebræorum propheta Zacharias occiditur. Athenienſium Diognetus rex est, Corinthiis Eudemus ius dicit. Moritur Ioas anno ab orbe creato, vt Bibliander supputauit, ter millesimo sexagesimo primo, à Troia verò euersa, anno, vt Glareanus annotauit, ducentesimo nonagesimo primo. Huic successit in regno Iudææ Amasias, qui regnat annos nouem & viginti, anno à Troia capta

trecentesimo trigesimo primo, ab orbe verò condito, vt Eusebius vult, quater millesimo trecentesimo quadragesimo. sed hic calculus à vero procul abesse mihi videtur. ideo verior est Bibliandri sententia, qui ad annum ter millesimum nonagesimum nonum huius regis sceptra reponit, quo tempore Auentinus Syluius Latinis imperabat. Extincto Amasia postquàm nouem & viginti regnauerat annos, vt dictum est, in regno Iudææ successit OZias duodecimus Iudæorum rex, qui regnauit annos quinquaginta & duos. Prophetarũt hoc tẽpore Amos, Osee, Esaias, & Ionas, anno à Troia capta trecẽtesimo septuagesimo septimo, ab orbe verò creato, vt Eusebius vult, quater millesimo trecentesimo septuagesimo, sed quia hic calculus procul à vero abest, Bibliãder rectiùs, anno ter millesimo centesimo quadragesimo, hunc calculum clausit. Rex iste OZias ab Eusebio AZarias nominatur, ab aliis Vsias. vtcumque sit, ex historiis constat hunc duodecimum Iudææ regem fuisse. Dum is in Iudæa regnat, Assyriis Tonoscon celeros, qui à Græcis Sardanapalus dictus est, regnat. Macedonum regnum tunc exoritur, cuius primus rex fuit Cranaus. Decimo sexto huius duodecimi regis Iudææ anno, destructum est primò Assyriæ imperium, ac in Medos & Chaldæos translatum. Postquàm OZias fatis concessit, successit in regno Ioathan decimus tertius Iudææ rex, qui regnauit annos, vt Eusebio placet, septem & decem, anno ab orbe condito, vt Eusebius annotauit, quater millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, vel vt veriùs Bibliander, anno ab orbe condito ter millesimo centesimo nonagesimõ secundo, à Troia verò capta quadringentesimo duodecimo, & anno Amulij Syluij decimi quinti Latinorũ regis vigesimo quarto. quo tempore Tyrimas tertius rex Macedonum erat,

Medorum verò rex erat Sosarames secundus Mediæ rex. Tunc Lydiæ regnum exoritur, primúsque rex est Ardisus. regnat Athenis Aeschylus. Eo tempore Lacedæmoniorum reges deficiunt. Tunc Olympiadum prima habetur ratio, & harum initium Aphricanus antiquus author, & Eusebius in historiis, temporibus Ioathan regis Hebræorum fuisse scribunt. Idem tamen Eusebius libro de Præparatione Euãgelica decimo, capite tertio hanc Olympiadum inuentionem ad tempora Achaz decimi quarti Hebræorum regis reponit. Philippus Melanchthon Olympiadum inuentionem ad tẽpora Ioathan refert, & anno secundo sui regni Græcorum Olympiadas inuentas ait, secundum quas Græcis longo tẽpore vsitatum fuit seriem rerum gestarum in publicis monimẽtis perscribere. nomen autẽ Olympias comprehendit annos quinque, & factum est ab ordinario conuentu Græcorum ad Elidem, qui celebrabatur semper post quintum annum in mense, qui Græcis semper primus anni erat, videlicet in plenilunio, quod solstitio æstiuo proximum est. sic conuentus ille anni Græcis initium erat, ideo annorum series inde commodè sumebatur, quod Philippus Melanchthon in historiis latiùs prosequitur. Huius Hebræorum regis tempore, Antomenes nouissimus Corinthiorum rex fuit, & annui Magistratus constituuntur, & postea anno euersionis regni Hierosolymitani sub Sedechia, de quo instat sermo, Corinthiorũ monarchia omnino collabitur, vt Eusebius suis in historiis latiùs edocuit. Extincto Ioathan, in regno Iudææ successit decimus quartus rex Achaz, Olympiade secunda, anno à Troia capta quadringentesimo decimo tertio, ab orbe verò creato, vt Bibliander reiecta Eusebij supputatione annotauit, ter millesimo ducẽtesimo septimo. hoc tẽpore fit Athenarũ

Principum immutatio. iam reges exoleuerant. ad principes, quos mors finiebat, principũ potestas trãsmittebatur: nouissimo loco sublata omni principum potestate ad decemviros annuus magistratus defertur. Hoc tempore Thales Milesius clarus habetur, vt Eusebius annotauit. Hoc rege vita functo, in regno Iudææ successit Ezechias, anno ab orbe condito ter millesimo ducentesimo vigesimo secundo, vt veriùs refert Bibliandri calculus. Regnauit nouẽ & viginti annos, vt Regum quarto, capite decimo septimo, & decimo octauo continetur. cuius tẽpore regnarũt in regno Macedonico Perdicas. in Aegyptiorũ regno Sacalion, in Romanorum regno primus rex Romulus, in Lydorũ regno Alyattes secũdus Lydorum rex. In huius tẽporis regno inter historicos nõ satis cõuenit. Huius Ezechiæ regis tẽpore regnũ Israël collapsum scribit Bibliãder regni sui sexto anno, à diuiso regno Hebrgorũ inter Roboã & Hieroboã ducentesimo sexagesimo tertio, & à Dauide trecẽtesimo quadragesimo tertio. Eusẽbius verò regnũ Israëlis collapsum censet regnãte in Iudæa Osee, Regũ quarto capite decimo octauo. Hoc tẽpore Roma primũ habitata fuit. sed qua Olympiade nõ satis cõuenit inter authores, alij sexta, alij septima Olympiade malũt, quod latiùs in Romana historia discutietur. Huic Ezechiæ Iudæorũ regi successit in regno Manasses omnium sceleratissimus, Olympiade decima septima, anno ab vrbe condita quadragesimo primo, regni Numæ Pompilij tertio. Is Esaiam interemit, sibíque ipsi statuam erexit quinque facies habentem. Regnauit in regno Iudææ annos quinquaginta & quinque. Tum apud Lydios Candaules quartus Lydiæ rex regnat, Medis Deioces, Macedonibus verò Perdicas dominatur. Cypselus Corinthiorum tyrannus Byzantium condidit, &

Alba longa diruitur, vt Glareanus post antiquiores annotauit. Huic regi successit in regno Iudææ Amon, septimus & decimus Iudæorum rex, Olympiade trigesima prima, anno ab vrbe condita nonagesimo septimo, regni Tullij Hostilij decimo. Hic cùm duos regnasset annos, fatis concessit. Huius regis tẽpore regnabat in Medorum imperio Phiortes sextus Mediæ rex, in Macedonum regno Atheus quintus eorum rex, in regno Lydorum Ardix sextus rex, in regno verò Aegyptiorum Psammeticus. Huic successit Iosias, decimus octauus Iudæorum rex optimus, anno ab vrbe condita centesimo decimo. Eodem tempore Helchias Hebræorum maximus Pontifex sacrarum rerum curam habebat, & Hieremias propheta oritur, Olympiade trigesima sexta: Olda quoque mulier, & Sophonias prophetarunt. Hic Iosias anno ætatis suæ octauo, regno donatur. agnosces diuino numine huic impuberi regi additum Helchiam pontificem. vtrique supperadditur diuini numinis gratia. Omni studio rebus antè malè gestis, ne amplius renascantur, & renatæ venenum rursus effundant, obstruitur ostium. Diuinum numen adoratur. Idololatria pellitur. Templa diuinis muneribus apta fiunt sarta tecta. Collapsa temporum iniuria tẽpla pristino decori restituuntur. Incidit sorte diuina in manus Pontificis libellus Mosis, quo mandata, quibus dominus populum suum sibi lege deuinxerat, continebantur, multis annis antè populo non visus. Hic à pontifice summa lætitia exceptus, Saphan (qui regi à secretis erat) traditur, vt ad regem deferatur. vbi à rege perlectus est, quòd mandata Domini libello inscripta ad amussim obseruata non fuerint, fit per regem ad dominum pia deprecatio. Inducitur morum emendatio. altaria recipiendis idolis apta euertuntur. omnia

solo adæquantur. monstrum, quod sub nomine Bethel adorabatur, Vulcano & flammis deuouetur. Sacerdotes, qui latriæ idolorum operam nauabant, ferro absumuntur. Dum hæc aguntur, bonus ille rex Iosias ab hac luce publico omnium luctu subtrahitur, nouissimúsque illius dies, vltimus regni Iudææ fuit, vt quarto Regum, capite vigesimo secundo latiùs continetur. Eusebius in historiis hunc Iosiam decimum octauum Iudææ regem cum Necoone Aegyptiorum rege congressum, & occisum testatur. Nonus & decimus rex Iudææ Ioachim secundo genitus Iosias perhibetur: Is vbi primùm sceptrum Iudææ consequitur, diuini numinis obliuiscitur. Idolorum cultum memoria quasi extinctum renouat. Omni genere vitiorum polluitur. fortuna sui regni cum diuini numinis obliuione immutatur. à Pharaone Aegyptiorum rege regno Iuda pellitur. vinculis alligatur, postquàm tribus mensibus & decem diebus regnauit. Pharao Eliacim, qui & Ioachim quoq; dictus est, primogenitum regis Iosias regno Iudææ præponit, Regum quarto, capite vigesimo tertio, Olympiade quadragesima secunda, anno ab vrbe condita centesimo quadragesimo quarto. Is vigesimus Iudæorum rex tributum centum talentorum argenti quotannis Pharaoni pendere cogitur. Anno regni sui vndecimo Nabuchodonosor regni Iudææ limites oppugnat. Eliacim rei militaris omnino expers in hostiũ manus deiicitur, & pauco interiecto temporis interstitio occiditur. Vrbs Hierosolyma fit hostibus præda. Iudæi omnia hostilia patiuntur: ad Babylonem deducuntur. Daniel, Ananias, Azarias & Misael clari habentur. Huic miserrimo regi successit Iechonias, Olympiade quadragesima quinta, vigesimus primus Iudææ rex. Pudet me horum ignauorum regum tem-

pora recenſere. Nouiſſimus Iudææ rex Sedechias, ſecundus & vigeſimus perhibetur. Hic ex domo & ſanguine Dauid fuit vltimus. huius tempore Medis Aſtyages octauus rex imperabat. Macedonum rex erat Europs. Romanorum rex erat Tarquinius Priſcus. Lydiorũ rex erat Cyaxares, qui Ninum regiam Aſſyriorum vrbem hoc tempore euertit. Is Sedechias anno regni ſui vndecimo à Nabuchodonoſore regno pellitur. Ciuitas ampla Hieruſalem & templũ dant ruinam. Ampliſſimæ vrbis diuitiæ diripiuntur. Omnia præclara vrbis ædificia ſolo adæquãtur. illuſtres animæ, quarũ ſolerti opera ſtabat reſpublica, ferro abſumũtur. Rex Sedechias fit omnibus fabula. eruuntur ei oculi. Eiicitur de ſanguine Dauid regni Iudææ ſceptrum, vt Ioſephus libro Antiquitatum decimo, capite vndecimo latiùs proſequitur: nam qui in Hieruſalem poſtea regnarunt, vt Machabæi, Aſmonæi, non ex ſanguine Dauid, nec ex tribu Iudæ originem traxerunt, & qui medio tempore à Sedechia rexerunt Iudæorum imperium, radiis regalibus non coruſcabant. fuit hæc tæterrima calamitas regni Iudææ, Olympiade quadrageſima octaua. Euſebius quadrageſima ſeptima maiult, anno ab vrbe condita centeſimo ſexageſimo ſexto, regni Tarquinij Priſci vigeſimo ſexto. Floruerunt eo tempore Solon Athenienſis, & Thales Mileſius vt plerique exiſtimarunt. Euſebius in ſuis hiſtoriis tempora Thaletis Mileſij philoſophi ad tempora Achaz Iudæorũ regis reiicit. Templum Domini quadringentis ſexaginta & decem annis, ſex menſibus, & decem diebus poſtquàm à Salomone conſtructũ fuerat, collabitur. Regnũ Iudææ, quod quingẽtis & quatuordecim annis, ſex menſibus, & ſedecim diebus creuerat, radicitùs euertitur. Euſebius ædificationem templi ad

pli ad quadringentos quadraginta duos annos ad incendium reiicit. Domus Abraham, quæ à Moſe & exitu populi Iſraël de Aegypto, mille ſexaginta duobus annis creuerat, funditùs ruit, anno, vt Zonaras libro primo capite decimo quarto tradidit, ab orbe creato ter milleſimo quinquageſimo tredecimo, mẽſe ſexto, die decimo. Sed quia in horum temporum ſupputatione variãt hiſtorici, nos paucis, quæ ab eis accepimus, aperimus, à recentioribus ſumentes exordium. Iam initio quaſi huiſce operis aperuimus tempora, quæ lapſa erant ab orbe condito vſque ad inundationem aquarum: à diluuio verò ad Abrahamum, Carion ducentos nonaginta duos enumerat annos, quæ temporis ratio cum Ioſepho & Zonara ſatis congruit. Bibliorum ſacri libri à Noële ad Abrahamum decem generationes recenſent. Auguſtinus Steuchus libro de perenni philoſophia primo, capite primo, trecenteſimo plus minus anno natum Abrahamũ poſt inundationem aquarum ſcripſit. Ab Abrahamo verò vſque ad Moſem, Carion quadringentos quinque & viginti annos ſupputauit. Euſebius libro decimo capite tertio de præparatione Euangelica à Moſe ad primum annum vitæ Abrahami quingentos & quinque annos lapſos ſcripſit. Bibliorum ſacri libri ab Abrahamo ad Moſem ſeptẽ generationes recenſent. Zonaras libro primo ab aduentu Abrahæ ad terrã Chananæam vſque ad egreſſum populi Iacob de tetra barbara, Moſe duce, quadringentos triginta enumerat annos, quod Ioſephus libro ſecundo capite decimo tertio ſatis probat. Sabellicus libro Enneadum tertio, ab eo tempore, quo Iacob cum filiis in Aegyptum venit vſque ad egreſſum Iſraëlitarum de Aegypto, Moſe duce, ducentos quinque annos lapſos exiſtimauit. ab Abrahami verò profectione in Aegyptum

vsq; ad exitum filiorum Israël, Mose duce, quadringẽtos & triginta annos fluxisse ait. ab orbe verò condito vsque ad egressum Israëlitarum de Aegypto, ter mille sexcentos nonaginta annos lapsos scripsit : Theodorus Bibliander ab exitu populi Domini de Aegypto vsque ad quartum annum Salomonis, quo iacta sunt Templi prima fundamẽta, quadrigentos octoginta annos lapsos testatur. Philippus Melanchthon in suis historiis capite de Ecclesia, ait à creato orbe vsque ad destructionem Hierusalem lapsos ter mille trecentos quinquaginta & quinque annos. Et hæc satis iam, & anteà ex Eusebio exposuimus omnem hanc temporum seriem : sed vt satis cõstat, nullo pacto inter scribentes in enarratione huius temporis conuenit. Nabuchodonosor Sedechia extincto regno Hierosolymitano potitur. Iudæi sedibus propriis pulsi ad Chaldæorum fines deducuntur, vt Iosephus libro Antiquitatum decimo, capite decimo prosequitur, Olympiade quadragesima nona. His tẽporibus Solon legibus Draconis, exceptis his quæ sceleratis hominibus sanguinem adimebant, antiquatis, iura sua constituit, vt in historiis Eusebius annotauit. Prophetarunt hoc tempore Aggæus, & Zacharias. Nabuchodonosor superata Hierosolyma vices suas Othonieli gerendas committit, qui nulla tyrannide administrationi suæ admixta, rebus Iudæorum satagit, donec ab Ismaële, qui à regibus Israël originem repetebat, proditorie occiditur, vt Iosephus libro antiquitatũ decimo, capite decimo & vndecimo scribit. Hinc nouæ excitantur tragœdiæ. omnis Iudææ regio à Iudæis deseritur. à solis animalibus septuaginta annis incolitur. Nabuchodonosor superata Hierosolyma delegerat ex omni Iudæorum familia quatuor iuuenes, quos maximæ spei præclara indoles præsagiebat, quósque natalium nobilitas commendabat : eos sibi domesticos & familiares adiunxit, adhibitis viris omni genere doctrinarum excultissimis, qui studiorum & morum horum iuuenum curam haberent. ij fuêre Daniel, Ananias, Misael, & Azarias. Horum iuuenum, qui regem circunstabant, nomina rex non patitur. de mutandis nominibus habito consilio, Daniel Balthasar, Ananias Sidrach, Misael Misach, & Azarias Abdenago fuêre nominati. Horum illustrium Heroum facta egregia, quia à Bibliis in Daniele, & Iosepho libro Antiquitatum decimo speciatim recensentur, ideo ea omnia ego de industria prætereo. Errauit ea miserrima Israelitarum familia per loca opaca, inuia, & deserta septuaginta annos. testis domesticus est Zacharias propheta, quãdo secundo Darij anno ait, Domine omnipotens quousq; nõ misereberis Hierusalem, & ciuitatum Iuda, quas aspexisti, & iam septuagesimus annus est. sic colligitur omne tẽpus captiuitatis Iudæorum septuaginta anni, qui vt quibusdã placet, à tertio anno Ioachim vsque ad vigesimum annum Cyri regis Persarum dinumerantur. porrò cæteri à Iosiæ Iudæorum regis anno decimo tertio, quo Hieremias prophetare cœpit, vsque ad primum annum Cyri, hos septuaginta annos complent, quod in historiis latiùs Eusebius annotauit. ad rem redeo. Aberrauit ea Iudæorum miserrima turba vsque ad tempora Cyri, qui oppugnata Babylone Iudæos libertate donauit, eósque in sua sceptra remisit, edictóque cauit vt eis liceret antiquas Hierosolymæ ruinas antiquis ornamentis illustrare, & Templum radicitùs conuulsum publicis Cyri pecuniis reædificare, vt primo, secundo, & tertio capitibus Esdræ latiùs declaratur, & Iosephus libro vndecimo, capite nono latiùs prosequitur. Remissio quidem captiuitatis

Iudæorum, & venia templi ædificandi sub Cyro exordium habuit. Sed dum nouum opus paratur, natura finem vitæ Cyro fecit, & Cambyses Cyri filius omnia edicta Cyri antiquauit, vnde factum est vt nouis ædificiis nouum nuncia-
retur opus: quæ ædificia intermittuntur, donec anno Darij secundo, Olympiade sexagesima quinta, vt Eusebius annotauit, templum in Hierosolymis construitur à Zorobabel, consummatúrque opus anno quadragesimo, fitq; migratio Iudæorum ex Babylone ad Iudææ regnum incredibili virorum numero. Iosephus libro Antiquitatum vndecimo, numerum tribuum Iuda & Beniamin ad centum & quadraginta hominum millia describit, mulierum verò ad quadraginta millia. Bibliorum sacri libri tertij Esdras capite quinto, numerum Hebræorum non æquant numero Iosephi. His rebus sic gestis Darius fatis concessit. Huic Xerxes filius successit, qui septimo sui regni anno Esdram summum Hebræorum Pontificem ad Iudææ pontificatum remisit. Is vt primo Esdras continetur, ad ærarium templi sexcenta & quingenta argenti, & centum talenta vasorum argenti, & viginti talenta vasorum auri retulit, quæ ex Xerxis & piorum hominum liberalitate conflauerat, quod Iosephus libro Antiquitatum vndecimo, capite quinto latiùs edocuit. Dum Iudæorum res augentur, Xerxes ab hac luce subtrahitur. Huic successit Artaxerxes, qui rex Iudæorum ad internecionem vsque penè retulit. Quæ mandato eius in perniciem rerum publicarum Hebræorum gesta fuere, liber Ester in Bibliis planè ostendit. Artaxerxe extincto, res Israëlitarum maxima alluuione creuerunt vsque ad Alexandri tempora, qui cùm in oppugnatione Tyri longa mora præter spem torqueretur, ad Ioab summum Iudæorum Pon-

tificem legatos misit imperandorum commeatuum gratia, & vt tributa, quæ quotannis Dario Persarum regi à Iudæis pendebantur, ipsi Alexandro penderentur. at Ioab pactas inducias, & pacis fœdera icta à se cum rege Tyriorum respondit, quæ nullo tempore violarentur, nec ab illius fœdere vel pauxillum quidem recessurum: quod Alexandro stomachum suprà quàm credibile est mouit, séq; superata Tyro in Iudæam copias traducturum iure iurando asserit, captáque Tyro memor sui iurisiurandi ad Hierosolymam castra mouit. Ioab pontifex humana consilia superata videns, & ad diuinam benignitatem omnia referenda censens, continua & sine intermissione facta oratione rem ad Dominum refert. vbi Alexãder vrbi appropinquat, Ioab summus Põtifex apparatu pontificio, hyacinthina veste, cui aurum intertextum erat, indutus, ac cydarim in capite gestans, vbi Dei nomen inscriptũ legebatur, comitatus suis sacerdotibus, vestimẽtis Dei sacrificiis dicatis indutus, portis Hierusalẽ patentibus fit Alexandro obuiam. solus Alexander supplex Pontificem salutat. quæ Alexandri supplex salutatio Macedonas omnes in admirationem traxit, & Parmenioni sciscitãti quæ ratio ad hunc sacerdotem supplicem Alexandrum traxerit, Alexander respondit, se non Põtificem sed Deum, cuius Pontificatum ille gerebat, adorasse. His dictis humanissimè excipiens Põtificem, vnà rex & Pontifex vrbẽ ingrediuntur: postquàm introgressi, Pontifice præunte, sacra in templo peraguntur, Danielis liber ad Alexandrum defertur, quo scribebatur, principem quendam Græcum Persarũ Monarchiæ finem allaturum. Alexander diuino actus numine, rempublicam Hebræorum publicis priuilegiis auxit, quod Iosephus libro vndecimo, capite octauo latiùs edocuit. du-

rauit ea Hebræorũ quies quandiu Alexander rebus humanis ſuperſtes fuit, quo extincto cùm Græcorũ monarchia in quinq; partes diſpertita fuiſſet, Antigonúſq; Aſiæ imperium ſortitus fuiſſet, Caſſander verò Macedonicũ, Seleuco verò Babylon cũ continentibus prouinciis obueniſſet, Lyſimachus Helleſpõtũ, & Ptolomæus Lagi, qui & Soter dictus eſt, Aegyptũ conſecuti fuiſſent, dũ Iudæi ſabbatinis ſuperſtitionibus plus æquo indulgent, bonorum omniũ ſimul & libertatis iacturã faciunt: nã à Ptolomæo, qui vmbrata Religionis ſpecie Hieruſalẽ ingreditur, Iudæi nihil tale ſuſpicantes ferro ferè omnes abſumũtur, omnéq; Iudæorũ imperiũ ad regũ Aegypti ditionẽ deducitur, vt Ioſephus libro Antiquitatũ duodecimo aperit. Huic Ptolomæo ſucceſſit Ptolomæus Philadelphus princeps doctus, & doctis gratioſus. hic epiſtolis doctiſſimè & religioſiſſime cõſcriptis ab Eleazaro ſummo Hebræorũ ſacrificatore expoſtulat, vt legiũ, quibus res Hebræorũ cõſiſtebãt, videndarũ copiã ſibi faciat, miſſis ad pontificẽ viris omni genere doctrinæ excultiſſimis, qui poſſẽt ea quæ Hebraicè cõſcripta erant in Græcam linguã vertere, & vt omni beneficiorũ genere eos cumularet, Hebræos omnes qui in Aegypto ſeruitutem ſeruiebant, libertati priſtinæ reſtituit. Templũ domini omni genere liberalitatis auxit, vt Ioſephus libro Antiquitatũ duodecimo, capite ſecundo latiùs ſcripſit. ſubſequente poſtea tẽpore, res Iſraëlitarũ diuerſo marte geruntur, modò felicibus, modò infelicibus auſpiciis, vſque ad centeſimã quinquageſimã tertiã Olympiadẽ, qua Antiochus Hieruſalẽ dolo ditioni ſuæ adiecit, anno à creato mundo quatermilleſimo ducenteſimo ſexageſimo, vt Euſebius ſupputauit. Hic omnes publicas & priuatas domos nefãdiſſimis latrociniis expilauit. Tẽplũ Domini ſceleſtiſſima manu diuitiis omnibus exuit. Ciues ferè omnes cruentiſſima nece ad internecionem duxit, nec priùs expleuit animum, quàm nefandiſſimis edictis omnes pias, & antiquas Hebræorum leges antiquauerit, veterem & auitum Religionis morem deleuerit, omnia ferè antiquæ Iudæorum religionis capita proſtrauerit. Hic primus omnem Hebræorum prouinciam ad idololatriã compulit. In templo Domini Iouis Olympij ſimulacrũ ponit. In Samaria ſuper verticem montis Gariẓi, Iouis peregrini ſimulacrum ædificat: quod licet iniquum, & valde iniurioſum à bonis viris exiſtimaretur, qui tamen his edictis intercedebat, calumniæ primò, poſtea morti proximus erat. Quod cùm à Matathia viro pientiſſimo æquo animo non ferretur, nec vllis tortorum ſæuis ſuppliciis ab antiqua patrũ Religione diſtrahi poſſet, cõuocatis quinq; ſuis liberis, Ioanne ſcilicet, aliàs Gaddi, Simone, Iuda, qui poſtea Machabæus eſt dictus, Eleàzare, & Ionatha, omnem elegantiſſima oratione Religionis veræ calamitatem aperuit, antiquorum patrum traditiones tot ſæculis probatas nefandis edictis collãbi, circunciſionem ab Abrahamo & Moſe præſcriptam antiquari, parum eſſe viris bonis vita carere, modò ea protuendis antiquæ Religionis legibus fundatur. iubet eos eſſe memores priſtinæ Hebræorum virtutis. His dictis incendit omnium animos tuendæ Religionis amore. fit armorum apparatus. pellitur ſuperſtitioſa quies diei ſabbatinæ, & hæc apta bello vt cæteri dies declaratur. fit Iudæorum numero plurium circunciſio. prouocatur in antiquam libertatem. circunciduntur pueri, quibus anteà metu tyranni fuerat denegata circunciſio. huic prouinciæ anno integro Matathias præfuit, qui vbi cognouit naturam finem vitæ ſibi facere, Simonem primogenitum hæredem ſibi delegit, rei verò militari

præfecit Iudam Machabæum, quem præstanti ingenio, & validissimis corporis viribus præditum nouerat. hi fratres ceperunt moderamina reipublicæ Iudæorum, qui neque ex sanguine Dauid, neque ex tribu Iuda originem duxerant, vt Machabæorum liber capite primo & secundo, & Iosephus libro duodecimo, capite octauo latiùs tradiderunt. Dũ hæc Hierosolymis aguntur, Apollonius Samariæ præfectus, magister equitum Antiochi collecta armatorum militum manu quàm plurima Hierosolymitanos agros inuadit. huic occurrit nouus Iudæorum dux Iudas Machabæus. classicum canitur. vtriusque ducis signa conferuntur. Apollonio fit Iudas obuiam. conseruntur manus. Apollonius vulnere à Iuda accepto collabitur. funditur Antiochi exercitus. dispartiuntur inter Iudæos cæsorum hostium exuuiæ. profligatis hostibus Iudas Machabæus Hierosolymã repetit. passim iacturæ ab Antiocho acceptæ rumor diffunditur. Seron Cœlosyriæ ab Antiocho præfectus frequentissimis coactis legionibus exercitum parat: quàm maximis potest itineribus Iudæam contendit. vt primùm Bethora Iudææ pagum appulit, Iudas cum validissimis copiis obuiàm fit, nulláque adhibita mora collatis signis cõcurritur. Seron præfectus & si numero militũ Iudã longè superaret, vincitur. pars militum occiditur, bona pars fuga sibi prospexit. Profligato hoc exercitu, Antiochus nouis consiliis rem agendã putat. collectis omnibus suis viribus curã futuri belli Lysiæ probatæ fidei amico mandat. Ipse vidẽs suum exhauriri ærarium, ad conflandas omnibus quibus poterat artibus pecunias ad Persas pedẽ promouit. Lysias primò Gorgiæ belli curam mandat, qui postquàm coëgit septẽ millia equitum, & quadraginta millia peditum, Iudæorum agros populatur. huic celerrimo itinere occurrit Iudas Machabæus,

Machabæus, Gorgiámque nihil tale suspicantem adoritur. bonã partem illius exercitus ferro absumit: reliqui fuga salutem sibi conciliant, vt Machabæorum liber capite quarto, & Iosephus Antiquitatum libro duodecimo, capite vndecimo latiùs prosequũtur. Lysias nouo exercitu renouandum bellũ ratus, sexaginta hominum millia coëgit, & limites Iudææ adoritur. ad Bethsura vicum castra posuit. Iudas Machabæus collectis decem hominum millibus Lysiæ occurrit: eos, qui primam aciem moderabantur, adoritur. quinque hominũ millia ferro absumit. Lysias vbi Iudæos conspicit in vtrumq; paratos, vel vincere, vel certæ occumbere morti, colligẽs quæ supererant exercitus fragmenta, Antiochiam reuertitur. Iudas toties superatis Antiochi regis ducibus decreuit Hierosolymam remeare, Templúmque ab idolis vacuum facere: quò cùm aduenit, Templum desertum, portásque incensas inuenit, & per longam solitudinem syluas in Templo pullulasse: quibus introspectis rebus, iubet eos, qui arcis custodiæ adhibiti erãt, oppugnari, & Tẽplum à ruinæ fœditate repurgare ipse aggressus est, intromisitq; noua aurea vasa, candelabra, mensam, & arã auro conflatã: quæ omnia facta sunt post tres annos ab ea die qua mutata fuit Religio ad profanã idolorũ consuetudinẽ, Olympiade cẽtesima quinquagesima quarta. Antiochus dũ hæc Hierosolymis agũtur, Elymaidã Persarum celeberrimum emporium frustrà obsidet, qui vbi spe potiundæ vrbis destituitur, accepta suorũ militũ maxima clade Babyloniã proficiscitur. Hic vbi presensit naturam finem sibi vitæ facere, amicos cõuocat, eísq; & vim morbi, & causam indicat verissimã: nimirũ q̃ pœnas ob afflictã Iudæorũ gentẽ lueret, atq; ob spoliatũ sacrilegio templũ, & cælestis numinis cõtemptũ. atq; his dictis ex viuis excessit, vt Iose-

phus libro Antiquitatũ duodecimo, capite decimo tertio tradidit. Extincto Antiocho, Lysias Antiochũ filium Antiochi regis, quem ipse educauerat, regem constituit, vt Iosephus eodem libro, capite decimo quarto prosequitur. Iudas Machabæus audita Romanorum mirabili in agendis & conseruandis rebus industria, Eupolemum filium Ioannis, & Iasonem Eleazari filium, legatos Romam mittit. auxilium Romanorum rogat. Ij à Romanis humanissimè excipiuntur, & optata à Romanis consequuntur, vt liber Machabæorum primus capite octauo fusiùs describit. Interea Demetrius Seleuci filius fugiens à Roma Tyrum appulit, sceptrúmque regni sibi ascripsit, captis Antiocho rege & Lysia. Is statim Bacchidem magistrum equitum ad Iudæam cum exercitu destinauit. Hic Iudæam nulla adiecta mora appropinquauit, & in Arbelis ciuitate Galilææ castra locauit, indéque mouens Hierosolymam appropinquat, & vbi conspexit Iudam Machabæum in vico, cui nomen erat Berzetho, castra metari, quantis potest maximis itineribus cõtendit. numerus copiarum Demetrij viginti peditum, & equitum duo millia erant. Iudæ verò duo hominum millia omnem numerum exercitus sui terminabant, qui tam frequenti Bacchidis militum copia territi, si octingentos excipias, omnes in fugam inclinarunt. Iudas verò Machabæus suis militibus orbatus, & hostibus instantibus, videns copiam augendi exercitus temporis iniuria, & hostis celeritate ademptam, non dubitauit octingentis septus militibus, cum Bacchide manus fortiter conserere. Collatis signis certatum est vtrinque acriter, & strenuè. Tandem cùm Iudas magno in hostes impetu facto, perruptáque phalange mediam in aciem hostium penetrasset, ab iis qui sinistrum exercitus Bac-

chidis cornu tenebant circunuentus, pugnandi magis lassitudine, quàm acceptis ab hoste vulneribus confectus occubuit. Eius corpus lumine cassum Ionathas & Simon fratres induciis factis receperunt, & delatum in ciuitatem Modim eo monumento condiderunt, quo pater eorum iacebat, lugente eum per multos dies Hebræorum populo. Atque hic fuit finis Iudæ viri fortissimi, & bellicosissimi, qui optimè mandatorum patris Matathiæ memor, nullum vnquam pro conseruanda Domini lege, & ciuium libertate laborem recusauit, aut periculum defugit. Hoc extincto, qui imperij & legis effractores patriæ erant, Iudæis omnia extrema interminabantur: qui veræ Religioni, & libertati patriæ studebant, Ionatham fratrem Iudæ continuis conuitiis lacessebant, vt vice fratris Hebræorum curam susciperet, & morbo qui renascebatur mederetur. Ionathas his frequentissimis admonitionibus fessus, patriæ deesse nolens, prouinciam suscepit inuitus, & collecta armatorum manu Bacchidi occurrit, milléq; illius exercitus viros ferro absumpsit. Interea Alcimus vnus ex præfectis exercitui Demetrij curat destrui muros sanctæ Domus, quod dum meditatur, paralysi dissoluitur: quæ vbi Bacchidi innotuerũt, relicta Iudæa patrios remeat ad agros, quieúitque Iudaicus populus biennio, donec Bacchides coacto nouo exercitu Iudæam nouis incursionibus infestat. Ionatham & Simonem in Bethbessem obsidione premit, vbi accepta à Bacchide quàm plurima clade frustra se contra Ionatham bellum gerere cognoscens, fœdus cum eo percussit, & pace firmata cœpit Ionathas iudicare populos Israël, vt Machabæorũ liber primus capite nono latiùs edocuit. Dum hæc in Iudæa geruntur, Alexander Antiochi filius regnum patris omnibus viribus ambiens, & Demetrium sce-

ptro iniustè parto depellere contendens, ad Ionatham legatos, qui literas ferrent, vnà cum stola sancta, & corona aurea mittit, summum sacerdotem domus Israël eum constituens, ab eóque vehementer expostulans, vt officio fratris & indubitati amici fungatur. Acceptis à Ionatha literis Demetrius sibi prospiciens, & metuens ne memoria iniuriarum recens Iudæis illatarum, ad defectionem eos impellat, legatos ad Ionatham mittit, missis quoque epistolis quibus omnia quæ à piissimo principe impetrari possent, polliceretur. Ionathas habito suæ aulæ procerum virorũ concilio, reiectis Demetrij conditionibus, cũ Alexandro fœdus percutit. Interea bellum inter Alexandrũ & Demetrium exardescit. Alexander Demetriũ bello superat. Demetrius occiditur. exercitus eius bello profligatur. Parta Alexãdro victoria literis ad Ionathã scriptis vehemẽter efflagitat, vt sui videndi copiã ei faciat. Ionathas simili videndi Alexãdri amore flagrans, ei fit obuiàm. Alexander iubet eum exui vestimẽtis quibus tegebatur, & purpureum induere vestimentũ, eúmq; in albũ prædilectorũ amicorũ conscripsit. Ab eo tẽpore Hebræorum res marte satis felici geruntur, vt liber Machabæorum decimo, vndecimo, & duodecimo capitibus latiùs aperit. Tunc inualuerunt inter Iudæos controuersiæ quàm plurimæ Religionis speciem prætendentes. Hæ in tres classes diuidebantur, prima erat Phariſæorum, secunda Essenorum, tertia Saducæorum. Phariſæi iudicium Dei futurum agnoscebant, vbi cuncti mortales secundum merita condemnationem accepturi sunt, tam ij qui piè secundum Domini traditiones egerunt, quàm qui impiè contra Domini mandata peccauerunt, animas immortales existimãtes. præterea Phariſæi fato non omnia regi cõtendebant. Genus verò Essenorũ

omnia fato concludi contendebat, & nihil esse quod hominibus fati decreto nõ obueniat. Saducæi animas mortales existimabant, simúlque cum corporibus interire, quæ omnia Iosephus libro Antiquitatum decimo tertio, capite octauo, & libro decimo octauo, capite secundo latiùs prosequitur. Ad rem redeo. Quo in statu res Iudæorum sub Ionatha, & sub Simone fuerint, liber Machabæorum, & Iosephus libro decimo tertio, capite nono lectorem certiorem faciet. Nouissimo tẽpore Hyrcanus & Aristobulus libertati Hebræorum finem attulerunt: nam excrescentibus inter eos tot bellorum calamitatibus, Romani Olympiade centesima septuagesima nona, Caio Antonio & Marco Tullio Cicerone Cõsulibus validissimum exercitum, cui Pompeius præerat, in Iudæam mittunt. Hierosolyma à Pompeio tribus mensibus obsidione premitur. Ea res quæ populo Hebraico nouissimũ excidium attulit, fuit Sabbatorum superstitiosa quies: nam bellantibus & occidentibus resistere lex Iudæorum concedebat: si quid verò aliud hostes molirentur, sublata erat lege Iudæorum licentia sabbato prohibere. vnde euenit vt non certantibus Iudæis, turres erigere Romanis facilè fuerit. Pompeius ergo ab Aquilonis parte, vnde Templum erat oppugnationi potissimum obnoxium, milites admouit. Erant etiã ex illa parte turres altissimæ quæ vallo circumdabantur. At Pompeius cum aggere structo in circuitu, syluam incidentibus Romanis, vallum adimpleuit, & vbi conspexit fossam satis coæquatam, machinamenta & instrumenta bellica à Tyro asportata superimposuit, per quæ Templum crebris arietibus oppugnat. Concussa tandem atque collapsa turri maxima, quæ ingentem secum muri proximi ruinam traxerat, certatim infuderunt se Romanorum agmina. Hinc ciuitas in-

Romanorum ditionem deiicitur, primúsque Cornelius Faustus Syllæ filius murum ascendit: post eum ex altera parte Furius centurio. Tunc omnia cæde Iudæorum complentur. Viginti duo millia Iudæorum prosternuntur, Romanorum verò pauci. Pompeius hoc dignum sua virtute perfecit, vt cùm in templo mensam auream inuenisset, & circa eam candelabra, & libatoria non pauca, nec non & aromatum multitudinem, & in thesauris sacrarum pecuniarum talenta duo millia, ea penitus pietate diuina actus cotingere noluerit. Hyrcano principatum Sacerdotij donauit. Authores belli securi percussit. Hierosolymam sub conditionibus fiscalibus Romanis exposuit, & breui interiecto temporis interstitio Romani à Iudæis talenta decem millia exegerunt. his malis accessit aliud. Paucis pòst diebus Crassus contra Parthos militiam producens, vbi primùm Iudæam appulit, pecunias Templi quas Pompeius non attigerat, duo millia talentûm abstulit, & omnia Templi vasa vsque ad octo talentorum millia expilauit, trabem etiam auream versatilem trecentas minas pensantem vi & armis corripuit. mina autem apud Hebræos duas libras cũ semisse efficit. Iosephus libro septimo belli Iudaici de triumpho Vespasiani loquens, quem egit de Iudæis vi subactis, stipendiũ inquit vbicumque degerent Iudæis indixit, binas drachmas singulis annis inferre in Capitolium iussit, vt antea Hierosolymorum Templo pendebant: quod primùm à Vespasiano indictum non fuit, sed ab Augusto qui censum imperauit Iudæis, Cyrino præside mandatum exequente. Vespasianus autem non in Iudæa tantùm hoc tributum indixit, sed Iudæis vbicumque terrarum agerent, vt Guillelmus Budæus libro de Asse quinto latiùs prosequitur. Illud silentio prætereundum non existimaui, quod Philippus Melanchthon in descriptione pugnæ Pharsalicæ annotauit, Pompeiũ penè in conspectu Hierosolymæ interfectum esse quintodecimo anno postquàm in ipso paschate Hierosolymam diripuerat. licet enim non expilauerit templum, tamen dehortante summo pontifice in Sanctum Sanctorum ingressus est. Hanc templi violationem sequutæ sunt pœnæ, consiliorum errores, & insolentia, quæ pericula non necessariis causis attraxit. Sic tractantur in Iudæa rerum humanarum sortes, donec Iulius Cæsar vicinis his temporibus cùm Iudæam appulisset rebus Syriæ compositis, muros Hierusalem à Pompeio dirutos refecit, & Herodem quintum & decimum agentem annum tutorem Galilææ creauit, vt Iosephus libro Antiquitatum decimo quarto, capite decimo septimo prosequitur, quòd in bello ciuili adiutus plurimùm fuisset fide & cõsilio Antipatri principis Idumæi, qui pater fuit Herodis. Hinc factum est vt Herodi vix pubescenti Cæsar Iudæam regendam commiserit, vt Philippus Melanchthon in belli ciuilis descriptione annotauit. & postea Antonius cùm rerum Syriæ sategisset, Herodem & Phasaëlum Iudææ tetrarchas constituit, vt Iosephus eodem libro, cap. vigesimo tertio latiùs narrat, eísque rerum Iudaicarum committit gubernacula. Excrescente verò fortuna Herodis cùm salutandi Senatus gratia Romam inuisisset, Rex Iudææ à Senatu declaratur, Olympiade centesima octogesima quarta, Consulibus Caio Domitio Caluino, & Caio Asinio Pollione, vt Iosephus tradidit: Melanchthon Olympiade centesima octogesima quinta mauult. Cæterùm exeuntes de Senatu Augustus & Antonius medium inter se habuerunt Herodem, vt Iosephus Antiquitatum libro decimo quarto, capite vige-

simo sexto latiùs edocuit, cuius diadema amplissimis edictis post Antonij necem Augustus confirmauit. Regnauit in Iudæa posteaquàm rex à Romanis declaratus est, annos triginta septem, vt Iosephus libro Antiquitatum decimo septimo, capite decimo scripsit, cuius regni trigesimo anno natus est ex Maria Virgine Dominus seruator noster, vt Philippus Melanchthon in historiis annotauit. Hic Olympiade centesima nonagesima quinta cùm Christi natiuitatẽ Magorum iudicio cognouisset, vniuersos in Bethlehem paruulos iussit interfici, & eadem Olympiade, morbo atque scatentibus toto corpore vermibus miserabiliter, & dignè periit, vt Eusebius in Chronologia annotauit. Is patrem Antipatrum, & matrem nomine Cypridem habuit. Regnum & Sacerdotium Iudæ, quod priùs per successiones deferebatur, destruxit: & ita completa est Iacobi prophetia, qua dicebatur, Non deficiet princeps ex tribu Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. sic Herodes nihil ad se pertinentem Iudæam accepit à Senatu & Augusto, nequaquam ex successione sacerdotalis aut regij generis secundum legem Mosis. sic Daniel, post hebdomadas septuaginta interibit chrisma, & iudicium non erit in eo, & Tẽplum sanctum corrumpet populus. Cùm autem præsentiret Herodes naturam sibi finem vitæ facere, mutauit quod initio morbi testamentum condiderat. Itaque testamento regni successionem reliquit Archelao, licet in eum antea calumniis Antipatri alterius filij fuisset exasperatus. Herodem autẽ natorum minimum, cui cognomen Antipas erat, Galilææ tetrarcham constituit, vt Iosephus libro decimo septimo, capite decimo scriptum reliquit. Quæ Herodis institutio à Cæsare

Cæsare postea Romæ aliquantisper immutata est, eiúsque iudicio Archelaus Iudææ non rex, sed dimidiæ partis, quæ Herodi antea tributa pendebat, toparcha à Cæsare designatur. Spondens quoque ei regiam dignitatem, si sua id merita reposcerent: alteram verò Iudææ partem bifariam inter Herodem cognomento Antipam, & Philippum alios duos Herodis filios partitus est. Dum Archelaus huic Iudææ parti præest, graues ad Cæsarem deferuntur querelæ. Cæsar omni querelarum veritate ad amussim dispuncta, reum Archelaum multorum criminum comperit. Is omni mulctatus pecunia, exilio damnatur, eíque Vienna, Galliæ oppidum, habitatio præscribitur, vt ibi extorris reliquam ætatis partem transigeret. Postea verò pars ea Iudææ, quæ Archelaï ethnarchia erat, in prouinciã redigitur, & à Romanis præfectis administratur. Interea Philippus & Herodes tetrarchias suas regebant, qui vt gratiam Cæsaris inirent, Philippus iuxta fontes, è quibus Iordanis fluuius enascitur, ciuitatem condidit, cui Cæsarææ nomen indidit: Herodes verò in Galilæa Tiberiadem à Tiberio Cæsare vrbem nominauit. Tiberius Cæsar Pontium Pilatum procuratorem in Iudæã mittit, vt Iosephus libro decimo octauo Antiquitatũ, capite tertio prosequitur. Vt autem omnis hæc præsidum & procuratorũ Iudææ functio innotescat, scitote, Victis à Pompeio Iudæis, & Iudæa iuris Romanorum effecta, Iulius Cæsar procuratorẽ Iudææ Antipatrum Herodis patrẽ declarauit, vt Iosephus libro Antiquitatũ decimo quarto, capite decimo sexto aperuit. paulo pòst Antipater Herodẽ procuratorem Galilææ creauit, vt Iosephus libro decimo quarto Antiquitatum & decimo septimo scripsit. Elapso postea pauco tẽporis interstitio, Herodes à senatu rex Iudææ declaratur, quo

tempore Romanorum potestas in creandis Iudææ magistratibus conquieuit, póstquàm Herodes vita functus, & Archelaus Herodis filius deportatus est. Augustus Cæsar Caponium Iudææ præsidem declarauit, vt Iosephus libro Antiquitatum decimo octauo, capite tertio testatur. quo Caponio Romam reuerso, Augustus successorem in Iudæa Marcum Ambiuium creauit, vt Iosephus eodem libro decimo octauo, capite tertio author est. Cui in administratione successit Annius Ruffus: quo præside Augustus Cæsar egit animam. quo extincto, Tiberius Cæsar Valerium Gratum, qui vndecim annos in Iudæa exegit, præsidē Iudææ designauit. Cui successit Pōtius Pilatus, qui decimo suæ administrationis anno Iudæa à Vitellio pellitur, & in eius locum sufficitur Marcellus, paulò antequàm Tiberius vita excederet, vt Iosephus libro Antiquitatū decimo octauo, capite decimo fusiùs explicat. Extincto Tiberio, Caius Caligula Marullum Iudææ procuratorem præfecit, vt Iosephus libro decimo octauo, capite decimo edocet. Vita functo Caligula, Agrippa à Claudio rex Iudææ creatur, vt Iosephus libro decimo octauo, capite finali, & libro decimo nono, capite septimo fusiùs edocuit. Quo extincto, Claudius Cæsar regnum Iudææ in prouinciam redegit, præsidémque Iudææ totiúsque regni Cassium Fadum misit, vt Iosephus libro Antiquitatum decimo nono, capite finali tradidit, & libro secundo de bello Iudaico Sestium Festum, & post hunc Tiberium Alexandrum in procurationem Iudææ misisse author est. His successit Claudius Felix, vt libro Antiquitatum vigesimo, capite sexto Iosephus fusius prosequitur. Cui Neronis tempore successit Portius Festus, Iosephus libro Antiquitatum vigesimo, capite septimo. Hinc Albinus, dicto Antiquitatū

libro vigesimo, capite octauo. ínq; memoratis Iudææ præsidibus animaduertendum Iosephum promiscuè vsum, aliquādo eos procuratores Iudææ, aliquando præsides Iudææ appellans: quando de Antipatro meminit, procuratorem Iudææ eum dicit, libro decimo quarto, capite decimo sexto: quando de Herode fit sermo, procuratorē Galilææ appellat, libro decimo quarto, capite decimo septimo: quando de Caponio incidit sermo, præsidē nominat, libro decimo octauo, capite tertio: quādo ad Anniū Ruffum diuertit, præsidis honore eum decorat, libro Antiquitatum decimo octauo, capite tertio: quando de Valerio Grato fit sermo, eum præsidē Iudææ scribit, dicto libro decimo octauo, capite tertio: quando de Pontio Pilato verba facit, eum præsidem Iudææ appellat, libro decimo octauo, capite quinto, habita tamen relatione ad præcedētem: quando de Marcello loquitur, eum procuratorē Iudææ dicit, libro decimo octauo, capite quinto: quādo ad Marullū diuertit, præsidē Iudææ eum dicit, libro decimo octauo capite decimo: quādo de Cassio Fado incidit sermo, eum præsidē Iudææ dicit, libro Antiquitatum decimo nono, capite vltimo: quādo de Felice loquitur, eum procuratorem Iudææ nominat, libro vigesimo, capite quinto: quando de Festo incidit sermo, eum habita relatione ad Felicem, procuratorē Iudææ dicit, libro Antiquitatum vigesimo, capite septimo: quando de Albino incidit mentio, præsidem eum appellat, libro vigesimo, capite octauo: quando de Floro loquitur, eadem est sermonis ratio, libro vigesimo, capite nono: cuius rei admonitum lectorem volui. ad rem redeo. Herodes mortuo Tiberio Cæsare multorum criminum ad Caium Cæsarem Caligulam reus agitur: is vnà cum Herodiade vxore Romæ ad Caij Cæsaris tribunal iudicio sistit. expuncta causa, Herodes honoris &

bonorum iacturam facit: ei Cæsar tetrarchiam abstulit, & eum vnà cum vxore Herodiade perpetuo damnauit exilio, habitationem ei constituens in Lugdunensi ciuitate, quæ in Gallia est. Cùm autem Cæsar agnosceret Herodiadem Agrippæ esse sororẽ, cam nullis diuitiis spoliari iusserat: illa verò Caligulæ respondens, Tu quidem, inquit, ô Imperator, magnificè satis, sicut dignitatem tuam decebat, hæc mihi largitus es: verùm ego tuo vti non possum beneficio, ob amorem quo marito meo constringor, cui socia in rebus prosperis existens, æquum esse non existimo, vt ab eo hac calamitate obruto diuertam. tum ille magnitudinem animi indignè ferens, Herodiadem simul cum Herode marito exulatum mittit. Nondum Caius Cæsar Caligula in tanta proruperat scelera, quanta de eo narrant historiæ, sed adhuc magnificè rebus vtebatur, vt Iosephus libro Antiquitatum decimo octauo, capite nono prosequitur. Idem Iosephus libro de bello Iudaico secundo, capite octauo narrat Herodem & Herodiadem, ipsius vxorem, dum Hispaniam peragrant, morbo interisse. Quomodo verò Iudæa ex eo tempore vsq; ad omnem eius gentis internecionem tractata fuerit, omnia ea in hac Hebræorum historia, in vita Dauidis amplè & latè tractauimus, quæ si omnia iungantur, finem Hebraicæ Reipublicæ palàm lectori describent.

DE LYDORVM
REGNI ORIGINE,
ET EXITIO.

LVD quintus liberorum Sem, pater & origo Lydorum à sacris authoribus scribitur: siquidem filij Lud transeuntes secundum sceptra ditionum suarum, inuenti sunt numero quingenti & triginta. Hinc regni Lydorum origo, vt authores sunt Iosephus libro Antiquitatum primo, capite decimo quarto: Zonaras libro item primo, capite quarto, & Philo Iudæus libro primo Biblicarum Antiquitatum. Hæc Lydiæ regio perfusa flexuosi amnis Mæandri recursibus super Ioniam procedit, Phrygiæ ab ortu solis vicina, ad Septentrionem Mysiæ, meridiana parte Cariam amplectitur, quod Plinius libro naturalis Historiæ quinto, capite vigesimo nono, & Strabo libro decimo tertio latiùs tradiderũt. Notum est ex Herodoto in primo, Halym fluuium confinium olim fuisse Lydorum & Medorum imperij. Herodotus libris primo & septimo hanc Lydie regionem à Lydo Atys filio nomen sumpsisse author est, cùm antea Lydij, Mæonij dicerentur. Eusebius in historiis Lydiæ regni initium, eiúsq; gentis regem in annos primæ Olympiadis reponit, regémque Lydorum primum Arsidũ censet, quo tẽpore Aeschylus Athenis rex erat. In Macedonia regnabat Psammus. In Iudæa AZarias, cui nõ multo pòst Ioathã successit. Quo factum est vt Aphricanus scripserit primã Olympiadem Ioathæ non AZariæ temporbus adinuentam, quod antea diffusè à nobis actum est. In Samaria verò

regnabat Phaceias decimus ſeptimus Iſraëlitarum rex. Iam natum erat Medorum imperium, & Aſſyriorum monarchia collapſa erat, Medíſque Arbaces præerat. Lacedæmoniorum reges his temporibus deficiunt. Poſt Alcanem nouiſſimum eorum regem fuerunt Lydi, Mæones initio dicti, ídque Homeri teſtatur carmen. inde à recentioribus Mæones ſunt nuncupati. Ij primi caupones & inſtitores fuerunt, ſed morem hunc poſteriore longo tempore in occaſu regni à Lydis inuentum Iuſtinus exiſtimauit, quòd cùm bellaciſſimus populus Cyro rebellaſſet, vi ad imperium retractus, ademptis armis, iuſſus eſt vulgò cauponari, ludicráſque artes & lenocinia exercere: quo factum eſt, vt gens olim potens & manu ſtrenua præſenti mollitie antiquã virtutem amiſerit. Iidem Lydi teſſerarũ & pilæ vſum, cæterorúmque ludorum genera commenti traduntur. Plinius lanas ſordibus inficere, Lydorum commentum exiſtimat, ſimúlque lanificium, linúmque, & retia à Lydis inuenta: quæ omnia poſtea hoc tractatu in vita Crœſi nouiſſimi huius regni regis excutientur. Hanc regionem hodie Anatoliam, ſiue Turquiam eſſe author eſt Budæus libris de Aſſe. Ad rem redeamus. Primus Lydorũ rex fuit Arſidius, prima Olympiade, qui regnauit annis ſex & triginta. Herodotus Argonem ex Heraclidarum genere primum Sardibus regnaſſe author eſt, nouiſſimum ex ea gente Candaulem. vterque ab Alceo Herculis filio fuit oriundus. ſecundus Lydiæ rex fuit Alyattes, qui decem & quatuor regnauit annos, anno tertio nonæ Olympiadis. Hoc tempore Midas regnauit in Phrygia, Athenis Aeſimedes, Romæ Romulus, Aegyptiis Sacalion, Hebræis Ezechias, Macedonibus Perdiccas, Medis Medus. Tertius verò Lydorum rex perhibetur Meles. Hic regnat annos duodecim,

Olympiade decima tertia. Quartus Lydorum rex Candaules nominatur. is igitur Candaudes vxorem adamabat, eámque præ amore arbitrabatur omnium fœminarum eſſe pulcherrimam. Hoc ita eſſe ſibi perſuadens, apud Gygem, qui erat ei maximè acceptus, ſpeciem vxoris ſupramodum extollebat, ad quem inquit his verbis: Gyges, neque enim videris mihi fidem habere referenti de coniugis ſpecie, quòd magis incredulæ ſunt hominibus aures, quàm oculi: fac illam conſpicias nudam. Hic autem vehementer exclamans, quémnam, inquit, here, ſermonem profers haudquaquam ſanum, qui me iubes inſpicere heram meam nudam? Mulier exuta tunica, & verecundiam pariter exuit: cui ille viciſſim his verbis: fidens, inquit, eſto Gyges, caue timeas ne quid tibi detrimenti creetur: te namque ſecundum fores domus, in qua cubamus, cùm apertæ fuerint, ſiſtam: iuxta cubiculum ſella poſita eſt, ſuper quam veſtes illa, (vt quamque exuet) reponet, ſeſe per multum otium ſpectandam præbens: quæ cùm è ſella cubitum perget, oſtẽdẽs inuicem terga, curæ tibi ſit illinc ne te perſores abeuntem cõſpiciat. Gyges vbi effugere non potuit domini mandatum, fuit paratus: quem Candaules, poſteaquàm hora cubandi viſa eſt adeſſe, in cubiculum intromittit, ſtatímque pòſt & vxor adfuit, quam introeuntem ac veſtimenta deponentem Gyges intuitus, vbi auerſa fuit illa cubitum vadens, ipſe è loco prorepens foras abiit, & inter exeundum à muliere conſpectus eſt. Hæc, vt didicit à viro quid actum eſſet, neq; præ pudore exclamauit, neque viſa eſt percepiſſe, habens in animo Candaulem vlciſci. Ita tunc nihil aperiens mulier, ſilentium tenuit. Mox vbi dies illuxit, quos domeſticorum ſibi fideles eſſe intelligebat cùm præparaſſet, Gygem accer-

sit: vt venit, ad eum mulier his verbis inquit : Nunc duabus tibi præsentibus viis Gyges, offero electionem in vtram malis diuertere : aut enim me pariter ac regnum Lydorum, (vbi Candaulem interfeceris) habebis, aut te ipsum continuò occumbere sic oportet : ne in omnibus Candauli obsequendo, posthac scias, quæ te scire non decet. Ad hæc verba parumper Gyges obstupefactus, mox obsecrare eam, ne se ad talem necessitatem adigat alterutrum eligendi. Vbi non persuadet, sed vtiq; propositã sibi necessitatẽ videt, eligit vt ipse superstit, inquiẽs: quandoquidẽ me adigis inuitum ad herum meũ occidendũ, age audiã quomodo illum adoriemur. Excipiẽs illa ecce eo, inquit, loco adoriendus erit, vnde ille me nudã ostendit: Gyges nihil cunctatus, mulierẽ in thalamũ sequitur, & quiescentẽ Candaulẽ obtruncat, vxoréq; eius & regno potitur. Hunc in modũ obtinuêre regnũ Lydorũ Memnadæ sublatis Heraclidis. Gyges Colophonem vrbem vi oppugnat. Nec aliud vllum præclarum facinus ab eo gestum cõscripsere veteres. Regnauit duodequadraginta annos. Post Gygem rex est in Lydorum imperio Ardys annos vndequinquaginta, vt vult Herodotus, Olympiade vigesima nona. Huius regis tempore Byzantium constructa est. Phalaris apud Agrigentinos tyrannidem exercet. Oraculo Dodonæo primùm Græcia vsa est. Romæ Tullius Hostilius regnat. Aegypti rex est Psammeticus. Hebræis Amon imperat. Macedonibus Archeus. Medis Phiortes. Hic Ardys Lydorum rex paucis rebus præclarè gestis memoriam sui commendauit. Prieneas & Miletum vrbes præclaras oppugnauit: nullísque aliis rebus insignis, fatis concessit. Huic successit in Lydiæ regno Sadyattes, qui vt Eusebius vult, regnauit annos quindecim, Olympiade trigesima octaua. hoc tempore

tempore regnabat Romæ Ancus Martius. Hebræorum Iosias rex erat. Macedonibus Philippus sextus rex imperabat. Dum ij reges orbis sceptra moderantur, Epidaurius (quæ nunc Durachium dicitur) extruitur : & Draco legũlator, vt quibusdam placet, agnoscitur. Extincto Sadyatte, Lydiæ rex creatur Alyattes octauus Lydorum rex, Olympiade quadragesima secunda, qui vt Eusebius annotauit, regnat annos octo & quadraginta : dum Tarquinius Priscus Romanorum sceptra moderatur, Hebræorum rex erat Eliachim, Macedonum rex erat Europs, Medis Cyaxares dominabatur, qui Ninum Assyrij imperij regiam euertit, & cùm Harpagus Ionicã vrbem in Phocea durissima obsidione premeret, ciues deserta patria nauigauerunt in Occidentem, & Massiliam in littore Gallico condiderunt, vbi longo tempore Ionicam linguam & doctrinam retinuerũt, & iustitiæ ac doctrinæ laude excelluerunt, vt Melanchthon suis in historiis latiùs prosequitur. Eadem vrbs Massilia Gallos linguæ Græcæ studiosos, & eo vsq; amantes fecit, vt contractus & conuenta apud eos Græco sermone conciperentur, vt Strabo author grauissimus de moribus Gallorum scripsit, & Budæus libro de Asse primo prosequitur. Eo tempore Solon legibus Draconis antiquatis extra eas quæ ad sanguinem pertinebant, iura sua constituit. & eodem tempore Anaximander Physicus agnoscitur, vt Eusebius annotauit. Mortuo Alyatte successit in Lydorum regno Crœsus, nouissimus Lydorum rex, annum agens quintum & trigesimum. Hic Ionios, & Aeolios, & (qui sunt in Asia) Dores bello vicit. Lacedæmonios sibi amicos fecit, & cùm Cyrus cum Balthasare Babyloniæ rege acerrimo bello pugnaret, Babyloniis Crœsus Lydorum rex, cuius opes & diuitiæ insignes erant,

in auxilium venit, victúsque à Cyro in Lydiæ regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam, compositis in Babylonia rebus, bellũ transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris periculi perculsum, iam Crœsi exercitũ nullo negotio fudit, Sardísq; Lydiæ imperij Regia oppugnatur, & in Cyri ditionem deiicitur, anno regni Crœsi decimo quarto: quæ Sardis, celeberrimum Lydiæ emporium, postea à Græcis superato Dario diripitur, & omnis incẽdio conflagrauit, vt in vita Darij Carion scripsit: & postea restaurata, terræ motu in passione Domini omnino collabitur, vt Eusebius in Tiberio annotauit. Parta à Cyro hac secunda contra Crœsum victoria, Cyrus ornamentis regalibus Crœsum expoliauit: illi tamen vrbem Baræe concessit, in qua & si non regiam vitam, tamen proximam maiestati regiæ ageret. Interiecto deinde paruo tempore, occupato in aliis bellis Cyro, rebellauere Lydij, quibus iterũ à Cyro victis, anno Seruij Tullij, sexti Romanorum regis, trigesimo quarto, & anno ab vrbe condita ducentesimo nono, vt Glareanus chronologia ad Liuium supputauit, arma & equi adempti sunt, iussíque cauponas & ludicras artes & lenocinia exercere, & sic gens industria quondam, potens & manu strenua, effœminata mollitie luxuriáque virtutem pristinam perdidit, & quos ante Cyrũ inuictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac luxuria superauit, & quæ omnium prouinciarum ditissima erat, seruitutem Persis seruiuit. In prouerbium olim cesserãt Crœsi circunfluentes diuitiæ. pollebat Crœsus summo ingenio & consilio, & à secretis Cyri stabat, ita vt eo inscio & inconsulto nihil ageretur, & aliquando admiratus Crœsus incredibilem Cyri liberalitatem, metuens ne perpetuis donis quæ Cyrus passim elargiebatur, exhauriretur publicũ

ærarium, rem Cyro honestis rationibus aperit, futurum esse si inopinatis negotiis Cyrus opprimatur, cùm omni ex parte continuis largitionibus exhaustum sit ærarium, his negotiis Cyrus superstes esse non possit. Præterea bella, quæ in dies à Cyro parantur, omnem humani ingenij captum excedentia, non posse exhausto ærario fine debito terminari, necesse esse intercludi maximum auri & argẽti põdus quod futuris negotiis vsui esse possit. ad hæc Cyrus, fateor, inquit, deesse nobis auri & argenti copiam, quæ nummulariis meis præstò esse possit explendis eorum libidinibus, sed non deesse quæ negotiis publicis iacturam adferre possit, statímque Hystaspem accersiri iubet, mandato ei dato vt ipse & is quem Crœsus comitem sibi adiungeret, omnes quos sibi fidos norat amicos compellaret, vt sibi in eroganda quàm maxima pecuniarum quantitate auxilio essent. His Cyrum summopere egere, instare periculum si aliqua mora nectatur. Hystaspes quàm plurima potuit diligentia Cyri mandatum exequitur. Adfuit tãta eorũ quos Cyrus liberalitate eximia sibi deuinxerat, in eroganda adiutrice manu copia, vt plus allatum sit auri & argenti ad publici ærarij rationẽ, quàm fieri vnquam potuisset, si Cyrus excluſa omni liberalitate in ærarium omnes quas vnquam potuisset corradere, pecunias inclusisset, neque quicquam illinc extrahi permisisset. Admiratus Crœsus summam Cyri in gerendis rebus prudentiam, & in cõficiendis bellis fortitudinem, fortunæ suæ, quòd à tanto rege victus esset, eum nõ pœnituit. Cyrus cùm Cambysem suum primo genitũ regno Persico prefecisset, in Cambysis filij sui manus Crœsum præbuit, ac vt maiorem in modum Crœsum honore & beneficiis prosequeretur, præcepit vt Cambyses omnia ex consilio Crœsi exequeretur. Crœsus

comitatus iter Cãbysis in expeditione Aegyptiaca, cùm Cãbysem in corpora liberorum hominum nimis seuerè animaduertentem conspexisset, statuit his verbis admonendum: rex noli cuncta etati atque ire indulgere, sed cohibe, & compesce teipsum: si sic viros interficies tuos populares, considera ne abs te deficiant Persæ. enim verò pater tuus Cyrus etiam atque etiam mandans mihi, præcepit te commonefacere, subiiciendo quicquid boni consulerem. Hæc illi Crœsus beneuolentiam præ se ferens consulebat. At Cambyses statim arcũ corripuit tanquã hominem transfixurus. Crœsus cursu se foras proripuit. Cambyses vbi non habet in quem telum dirigat, mandat ministris vt illum comprehendentes interimãt. Ministri Crœsum abdiderunt. At vbi nunciatum est Cambysi Crœsum supereſſe, his qui eum prohibuerant ne interficeretur, mortẽ attulit, lætus interim Crœsum viuum esse: quod latiùs Herodotus libro tertio prosequitur. quæ omnia contigêre Olympiade sexagesima tertia, anno ab vrbe condita ducentesimo vigesimo septimo, regni Tarquinij Superbi octauo. Sic in Crœso Lydici imperij finis, quod à prima origine vsque ad omnimodam internecionem duraverat ducentos & triginta annos, vt Eusebius annotauit. Sic Lydiæ regnum fit Persicæ monarchiæ pars. huic Lydiæ regno plurimarum rerum inuentio ascribitur, quæ ab Herodoto primo libro recensentur. Ij primùm nummum aureum argenteúmque ad vsum hominum percusserunt, & primi caupones institoréſque fuerunt apud Lydos. Glaucus primus omnium compactionem ferri excogitauit. prima vrbium oppugnatio in Græcia Crœso ab Herodoto ascribitur. Lydorum filiæ omnes meretricantur, atque hoc nimirum quæstu tantisper dotem colligunt, dum nubiles ipsas se elocent. huiusce Lydiæ regionis situs vix distingui potest à Phrygia, Mysia, & Caria, cùm inter seſe cohæreant. Ad hanc confusionem non parùm facit, quòd Romani regiones has diuiserunt, non per nationes, sed alio quodam modo per administrationes, in quibus fora fiunt, & iura redduntur: quod Strabo libro decimo tertio in fine adnotauit.

DE MEDORVM REGNI ORIGINE ET EXCIDIO.

MEDI à Mado filio Iaphet originem trahunt, ab eóque Madæi primùm appellabantur, à Græcis postea Medi nominati, vt Iosephus lib. 1. cap. 6. tradit: ídque Zonaras libro item primo, capite quarto comprobauit. quod & Philo Iudæus libro Biblicarum Antiquitatum primo probat. Herodotus tamen libro septimo author est, Medos quondam appellatos fuisse Arios. at vbi ad eos concessit ex Athenis Medea Colchis, mutasse & ipsos nomen, & à Medea Medos appellatos. Strabo libro Geographiæ vndecimo descriptionem Medorum regni ab oriẽte Parthia terminari author est, ab Austro verò Apolloniatide, quam Sytachinam veteres appellabant, à Septentrione Caddusiis, & aliis circa Hyrcanum mare habitantibus. Notum habemus ex Herodoto libro primo, Halym fluuium confinium olim fuisse Lydorum & Medorum im-

perij, quod & Gulielmus Budæus libro, cui de Asse titulũ fecit, probat. sunt in Media Græcæ vrbes à Macedonibus cõditæ, Laodicea videlicet, Apannia, Rhaga, quam Nicanor condidit. Hæc Media magna ex parte alta & frigida est, cuiusmodi sunt mõtes Ecbatanis imminẽtes. Hæc olim maximæ Asię parti imperauit, Assyriorum imperio sublato: & postea ei à Persis duce Cyro ea potestas cõuulsa est. Ecbatana, vt Strabo libro vndecimo voluit, Persarũ fuit hybernaculũ. Zonaras tradit Cyrũ & Persas brumali tẽpore septẽ mẽsibus Babylonẽ inhabitasse, tribus verò æstatis nouæ mensibus Susam Persarum regiam incoluisse, Ecbatanam verò duobus mensibus, quibus insana Canicula messes conquoquit, habitasse. Huius Mediæ regionis situm Pomponius Mela libro primo in Asiæ descriptione prosequitur. De Medorum imperio non satis inter authores conuenit. Herodotus, qui Xerxis tempore conscripsit historiam, Assyriorum regno à Medis euerso, nullũ multis temporibus in Media fuisse regẽ, qui Medis imperaret, sed ciuitates singulas populari imperio vsas absque regibus vixisse tradit, donec Deioces, cùm ad tyrannidem aspiraret, huiusce modi quædam excogitauit. Cũ Medi per vicos passim habitarent, atque Deioces, cùm antè apud suos probatus, tum magis studiosiúsq; æquitatem affectitabat, venditabátque, quòd videret apud Medos vniuersos magnam quandam licentiam, sat sciens quòd æquitati iniquitas esset inuisa. Medi verò qui eundem habitabant vicum intuentes hominis mores, iudicem ipsum controuersiarum sibi constituunt. Hic, vt qui principatum ambiret, rectum se æquúmque iudicem exhibuit. Quæ cùm faceret, laudem apud populares obtinuit haudquaquam exiguam, adeò vt hæc intelligentes qui apud cæteros pagos habitabant,

nempe quòd Deioces solus esset qui incorruptè iudicaret, vndique affluunt quotquot priùs iniquis sententiis superati erant, ad Deiocem & ipsi lites finiendas trãsferunt: postremò nulli alij hanc prouinciam permittebant. Ac verò vbi numerus accurrentiũ accreuit, qui nouissent sententias à Deioce fine debito terminari, Deiocésq; animadúerteret vniuersa in se vnũ incumbere, neq; amplius illic considere, vbi priùs ius dicere cõsueuerat, voluit, neque omnino ampliùs iudicare. siquidẽ non è re sua esse, inquit, si totos dies, rebus suis domi neglectis, dirimẽdis litibus operã impẽderet. Cùm igitur scelera atque rapinę per vicos passim multò impunitiùs quàm priùs patrarentur, factũ est, vt Medi habito consilio inciperent de communi rerum statu tractare: & amici Deiocis ex composito in hanc sententiam loquebantur: nequaquã inquiẽtes hisce modis vsuri, hãc nostrã regionẽ diu habitare poterimus. Agite igitur constituamus nobis ipsis regem, vt videlicet ditio nostra bonis legibus regatur: & nos ad sua quisque opera diuertentes, nusquam impunitate sceleratorum violemur. Quæ cùm sic referrentur, persuasi Medi regibus sese subiiciunt. Deioces omnium suffragiis rex comprobatur, Olympiade decima octaua, anno ab vrbe condita quadragesimo quinto, regni Numæ Pompilij septimo, vt Eusebius & Glareanus annotarunt. Postquàm duo principes, Arbaces Medus, & Belochus præfectus Babylonicus, Sardanapalum bello superauerunt: Belochus rex fuit Babyloniæ & Niniuæ, vbi regnauit annos quadraginta & octo, vt suprà in Chaldæorũ monarchia latè aperuimus. Arbaces verò, vt Eusebius censet, regnum in Medos transtulit, & interim sine principibus res agebatur vsque ad Deiocem regem Medorũ. Reliquæ gentes propriis regibus vtebãtur. Statim atque Deio-

ces rex Medorum creatur, iussit sibi ædificia construi rege digna, stipatoréſque ad custodiam corporis sibi adiungi. His mandatis Medi morem gerunt. paucis pòst diebus Deioces Medos compellat. vnum oppidum eos construere iubet. obsequentibus Medis mœnia oppidi construuntur ampla simul & valida, eáque vrbs Ecbatana est appellata Medici imperij regia. Cæterùm vniuersis ad hunc ornatũ constructis, primus Deioces cauit, ne quis iniussus ad regem congrederetur, sed per internuncios cuncta tractarentur, adeo vt ne conspici rex quoque posset. Ad hæc nec ridere, nec expuere coràm licebat. Vbi verò Deioces adornauit & constabilitit tyrannidem, in exercenda iustitia seuerus fuit & incorruptus. Etenim disceptantibus intrò ad se accersitis, lites terminabat. & hæc circa lites factitauit. Quantum verò ad cætera attinet, si quem audiret iniurium, hunc ad se ascitum, indicta pro modo delicti pœna multabat. Hic solam Medicam subegit nationem, eique soli imperauit, cuius nationis gentes sunt, Busæ, Paretaceni, Struchates, Arizantij, Budi, Magi. Regnauit Deioces annos tres & quinquaginta. Hoc tempore regnarunt in regno Macedoniæ Perdiccas, Hebræorum rex erat Ezechias, Aegyptiorũ rex erat Aethiops, Romanis Romulus & Numa reges erant, Athenienſium rex erat Aesimedes, Lydorum verò rex erat Alyattes. Hæc Herodotus. sed in enarratione huiusce historiæ variant historici. Iustinus libro primo, Medorum imperium trecentos & quinquaginta durasse annos author est. Cæteri trecentos & quatuor annos malunt durasse, supputatione à Sardanapalo ad Cyrũ ducta, regémq; Medorũ primũ superato Sardanapalo fuisse Arbacem. Megasthenes scriptor Persicæ historiæ tradit post Sardanapalum, monarchiam

chiam trecentis & quatuor annis nullam fuisse. Ctesias qui post Herodotum scripsit, & qui tempore Artaxerxis fuit, ex annalibus regũ, in quibus prisca Persarũ gesta obseruata consuetudine scripta erant, exploratum se habere ait post deletum Assyriorũ imperium, Medos imperio Assyriæ potitos fuisse, Arbace regnãte, qui cùm Sardanapalũ bello superasset, regnasséque duodetriginta annos, filium Madaunem hæredem regni reliquerit, qui quinquaginta imperauit annos. cui successit Sosaramus, qui triginta annis regnauit. ex eo Carmin, qui quinquaginta annos regnat, dehinc Arbianes duodeviginti. Aristeus, qui bello maximo cum Caddusiis gesto superatus est, quadringẽta annos Medis imperat, vergens in senium cùm instaret vitæ finis, testamento hæreditarium odium successoribus cum Caddusiis reliquit: ita vt qui pacẽ procuraret, exilio multaretur. Post Aristei mortem in Media regnauit Artines annos duos & viginti. post eum Artelanus quadraginta annos. Post hunc Parthi à Medis defecêre, cùm patriam vrbémque Sacis tradidissent, bellum inter Medos & Sacas exoritur, quod biennio magnis ex vtraque parte cladibus gestum est. fœdus tandem percussum, quo cautũ vt Parthi Medis subiicerentur, Sacæ & Medi perpetuo fœdere iungerentur. Arbatanus Medorum rex iam capularis & decrepitus fatis concessit. Cui Astyages, qui & Apanda dictus est, successit. qui à Cyro bello victus, nouissimus Mediæ rex fuit. & sic finis Medorũ imperij, fit ad Persas huius sceptri translatio. sic illi regni Mediæ rerum seriem describunt, cui descriptioni satis videtur subscripsisse Diodorus libro de fabulosis antiquorum gestis tertio. Sunt qui huius rei seriem longe aliter comminiscantur, ab Arbace sumentes exordium. hic primus Medorum rex per-

hibetur anno à Troia capta trecenteſimo ſexageſimo ſexto, quo tempore Procas Syluius Latinis imperabat. Is Arbaces regnauit octo & viginti annos, cui ſucceſſit anno à Troia capta trecenteſimo nonageſimo quarto Soſaramus, qui triginta regnauit annos. Tertius Medorum rex recenſetur Medidus, qui regnaſſe perhibetur annos quadraginta, cœpítque regnare Olympiade quarta, anno à Troia capta quadringẽteſimo vigeſimo quarto. Quartus Medorum rex Cardicas aſſeritur, qui tredecim regnauit annos. accerſitúrque ad regnum Olympiade decima quarta, anno ab vrbe cõdita trigeſimo ſecundo. Quintus Medorum rex fuit Deioces, de quo latè ſupra factus eſt ſermo. Hic regnauit, vt iam antè diximus, Olympiade decima octaua, anno ab vrbe condita quadrageſimo quinto. Huic ſucceſſit, Phaortes ſextus Medorum rex. Hic primus Medorum bellum intulit Perſis, eóſque ditioni ſuæ adiunxit, mox Aſiam ſubegit, aliã deinceps & aliã inuadẽdo gentem, donec ad oppugnationem Aſſyriorum, qui Ninum incolebant, peruenit, quondam omnium principes, ſed tunc à ſociis per defectionem deſertos, alioquin per ſe bene habentes. Aduerſus hos Phaortes expeditione ſumpta ſecundo & vigeſimo quàm regno potitus eſt anno, cum plurima exercitus ſui parte periit. Hic regnauit Olympiade vigeſima ſecunda, anno ab vrbe condita centeſimo primo, vt Euſebius & Glareanus annotarunt. Hoc tempore Macedonum rex erat Archæus, Hebræorum rex erat Amon. Aegyptiorum rex erat Pſammeticus. Lydorum verò Ardys. Romæ Tullus Hoſtilius regnabat. Poſt Phaortis obitum ad moderamina regni Medorũ aſciſcitur filius eius Cyaxàres, qui multò deceſſoribus ſuis præſtantior traditur. Regnauit Olympiade trigeſima octaua. à Daniele

nominatur Darius Medus, vt Melanchthon in Cyro annotauit. Hic primus Aſiæ populos per prouincias diſtinxit, primúſque in ſuum quoſque ordinem diſtribuit, haſtatos, ſagittarios, equites, cùm prius omnia promiſcua fuiſſent atque implicita. Hic & cum Lydis bellum geſſit, atque cùm prælium fieret, vt Herodotus tradidit, dies nox effecta eſt. hic trans Halym fluuium Aſiam ſibi ſubiecit, & collectis omnibus, quibus imperabat, ad Niniuæ ciuitatem caſtra mouit, ſimul & patrem vlturus, & ciuitatem ipſam euerſurus. vbi caſtra metatus ad Ninum eſt, hunc adoritur Scytharum numeroſus exercitus, cui Madyes Scytharum rex imperabat: Medi cùm Scythis congreſſi prælio vincuntur, & totius Aſiæ imperio ſpoliantur, & octo & viginti annis Aſiæ imperio Scythæ potiuntur, qui cùm omnia iam penè ex negligentia & licentia prouincialium depopulati eſſent, tandem horum maiorem partem Cyaxares atque Medi hoſpitio acceptam, & inebriatam interemerunt. Et ſic quidem Medi auito imperio potiũtur, & Ninum oppugnarunt. Aſſyrios quoque, excepta Babylonica quadam portione, ſubegerunt. Quibus rebus terminatis, Cyaxares anno regni ſui, vt Euſebius vult, ſecundo & trigeſimo, cæteri quadrageſimo malunt, Olympiade quadrageſima ſexta, anno Tarquinij Priſci vigeſimo, & centeſimo quinquageſimo ab vrbe condita, egit animam. Dum hic in Medorum regno dominatur Philippus ſextus rex Macedonum erat, Ioſias Hebræis imperabat. Lydis Sadyattes rex erat. Defuncto Cyaxare, ſucceſſit in Medorum regno Aſtyages, qui filiam genuit, eámque Mandanem appellauit. Iam viro maturam nulli Medorum, qui ea dignus eſſet, tradendam ſtatuit: ſed Perſæ cuidam nomine Cambyſes, quem compertum habebat familia quidem bona

ortum, cæterùm ingenio ſedato deſpondet. ſic Herodotus de Aſtyage loquens. Xenophon verò hunc Cambyſem regem Perſarum aſſerit, ſubditum tamen regi Medorum, quem in Perſico regno Homotimi æquabant. Hæc viſa eſt patri per quietem tantũ vrinæ facere, vt omnem ipſius vrbem opleret, atque vniuerſam Aſiam inundaret. Vidit etiã pater viſionem alteram, videbatur enim ei ex genitalibus filiæ vitis enaſci, quæ omnẽ occuparet Aſiam. Vbi prægnans illa, & proxima partui fuit, ab Aſtyage patre cõſpicitur. Adhibetur cuſtodia id agens, vt quod illa edidiſſet, interficeretur. Hoc igitur obſeruans Aſtyages, vbi Mandanes Cyrum peperit, Harpago familiari ſuo mandat, vt quem Mandanes peperiſſet puerum, occideret: poſt modũ quoquomodo vellet ſepeliret. Cui ad hanc necem obſequi noluit Harpagus, ſed è veſtigio nuntium mittit ad bubulcum Aſtyagis, cui nomen erat Mitradates. Is itaque accerſitus properè cùm veniſſet, mandatum accepit ab Harpago, vt capto eo puero eum in deſertiſſimo montium loco exponeret, vt celerrimè periret. Puerum bubulcus auro ac diſtincta veſte ornatum corripuit, metuens ſpeculatores qui ad necem explorandã venturi erãt, & puerũ mortuũ (quem vxor bubulci pepererat) collocauit in eo vaſe, in quo Cyrũ portauerat, eúmq; in vaſtiſſimo montiũ expoſuit. Harpagus miſſis ſuorum ſatellitũ fideliſſimis, rẽ per eos inſpexit. Vbi actũ eſſe de Cyri vita compertum exiſtimauit, omnia quieuêre. At mulier bubulci Cyrũ educauit. Qui poſtquã decẽnis extitit, huiuſmodi rẽ quæ illi contigit, intellexit. Cùm reatus cauſam in ea ætate apud Aſtyagẽ defenderet, ſubiit Aſtyagi agnitio, eiúſq; viſa eſt figura oris referre ac repræſentare eum, & tẽpus expoſitionis cũ pueri ætate congruere: & cùm à bubulco & Harpago quæ circa puerũ

geſta erant cognouit, Cyrum ablegauit ab oculis ſuis in Perſidem ad Cambyſem patrem, & Mandanem matrem. Vbi adoleuit Cyrus, hortatu Harpagi in libertatem prouocare ſtatuit, adhibito cõcilio parãtur arma, fit exercitus deſcriptio. Hæc molientẽ Cyrũ Aſtyages cùm accepiſſet, miſſo nũtio, eũ accerſiri iuſſit. Cyrus nuntium iubet renuntiare, ſe priùs illuc vẽturũ quàm Aſtyages ipſe velit. His auditis Aſtyages Medos cunctos armat, híſq; aduerſo numine Harpagũ præfecit. Comparato exercitu vbi Medorum copiæ cum Perſis prælium conſeruerunt, quicunque ſermonis Harpagi expertes erant, præliabantur, qui verò participes, ad Perſas tranſibant. ſic dilabitur turpiter Medicus exercitus. Aſtyages bellum continuari, nouúmque exercitum cogi iubet, cui ipſe præeſt: quo educto exercitu, cum Perſis confligens vincitur, viuúsque capitur. cui Cyrus nihil aliud niſi regnum ademit, nepotémque in bello magis quàm victorem ſe geſſit, cúmque genti Hyrcanorum præpoſuit: itaque Cyrus regno Mediæ potitur. Sic Medi Perſis ſubiiciuntur, centum & triginta annos ſupra Halym fluuium Aſiæ dominati. Sic Aſtyages cùm quinque & triginta regnaſſet annos, regno pulſus eſt, & Medorum imperium ad Perſas transfertur Olympiade quinquageſima ſexta, anno ab vrbe condita ducenteſimo. Hæc regni Mediæ deſcriptio Euſebij & Glareani eſt. Zonaras tamen libro primo, capite decimo nono, & Ioſephus libro Antiquitatum decimo, capite decimo tertio, longè aliter ac cæteri huius hiſtoriæ ſeriem aperiunt. Docent enim Aſtyagis filium Cyaxarem fuiſſe (hunc Darium Medum doctiſſimi viri exiſtimarunt) eundémque hæredem regni reliquiſſe, ſimul & filiam nomine Mandanem, quæ nupta fuit Cambyſi regi Perſarum, vt Xenophon libro

octauo Pædiæ tradidit, quæ Cyrum peperit. & sic quod Astyages Cyri auus fuerit, sat inter authores cõuenit. Cyaxares verò qui in libris Bibliorum & à Iosepho Darius vocatur, Cyri fuit auunculus. Cyrus enim ex sorore nepos ei extitit. Defuncto Astyage sceptra regni ad Cyaxarem filium Astyagis deuoluuntur. Hic Cyaxares vnicam genuit filiam, quã vnà cum regno Cyro obtulit, matrimonióq; iunxit. Herodotus libro tertio ait Cyrum Cassandanem filiam Pharnaspis vxorem habuisse. Xenophon libro Pædiæ octauo, & Zonaras eandem seriem descripserunt. Aegyptij Cyrum mulieri Aegyptiacæ nupsisse tradunt, ex eáque Cambysem ortum profitentur. Vtcunque sit, hic finis Medorum imperij, quod iure sanguinis ad Persas translatum est. Mediæ regio opulenta quidem est, sed septentrionalis, montana, & tenuis est. Ex arborum fructibus Medi nutriuntur, ex malis siccis ac tritis massas conficiunt, ex amygdalis tostis panes, è radicibus quibusdam vinum exprimunt. ferinis carnibus vtuntur. mitia pecora non alunt. illud quoque Medorum est, reges vxores multas habere, pauciores autem quàm septem non licet. Eodem modo proditum est, mulieres pulchrum sibi existimare, vt viros habeant quàm plurimos, pauciores quinque calamitatem ducere, quod Strabo libro vndecimo tradidit.

DE REGNI PERSARVM ORIGINE ET EXITIO.

ELAM primus natorum Sem, Elamitarum, qui nunc Persæ dicuntur, pater & origo fuit, vt Iosephus libro primo Antiquitatum, capite sexto author est, quod & Zonaras libro primo probat. terminatur hæc Persarum regio à septentrione Media, ab occasu Susiana, ab ortu Carmania, à meridie parte Persici sinus, ab ostiis Oroatidis amnis, quod Ptolomæus in quinta Asiæ tabula, capite quarto, & Pomponius Mela libro tertio, & Plinius libro sexto, capite vigesimo tertio, & vigesimo quarto prosequuntur. Hæc Persarum regio in inuentionibus rerum, quarum vsus nobis perneccessarius est, felix asseritur. Plinius libro decimo tertio, capite secundo author est, primam vnguentorum inuentionem Persarum esse, castrísque Darij expugnatis in reliquo eius apparatu Alexandrum scrinium vnguentorum cepisse, & postea voluptatem vnguentorum à Græcis & Latinis inter laudatissima atque etiam honestissima vitæ bona admissam fuisse, honorémque illum & ad defunctos pertinuisse. Zonaras libro primo capite vigesimo ait, cùm Persarum imperium longè latéque per vniuersam fere Asiam pateret, Cyrus animaduertit necesse esse ad tuendum nuper partum armis imperium, vt singulis diebus certior fieret omnium rerum, quæ in regionibus nuper partis gererentur, vt si qui ad defectionem animum adiicerent, præstò cum omnibus suis copiis & ipse adforet, cuius

morbo vt mederetur, equos in vniuerso Persidis imperio parari iussit, cauponásque cõstrui equis recipiendis & educãdis aptas, quæ ita disponerẽtur, vt equi celerrimo cursu grauati, fessi de via intromitterẽtur, & noui parati adhiberentur, qui ferendis cursoribus, quos Satrapæ regionum ad regem mitterent, præstò essent. his nuntiis nihil celeriùs trãscurrit in rebus humanis. quot ex diebus tota via constat, totidem equos, totidémque viros constat esse distinctos, quos neque vis niuium, neque imber, neque æstus, neque nox detinent, quin propositum sibi cursum celerrimè conficiant. Quorum cursorum primus mandata tradit secundo, secũdus tertio, tertius quarto, & ita deinceps mandata in alium atque alium transeunt. Qui mos à Cyro inuẽtus studiosè à Xerxe Persarum rege, vt Herodotus tradidit, probatus est. Hanc equorum cursitationem Persæ angarcion appellabant. Augustus verò noluit vt nuntius subinde mutaretur, sed vt ille qui literas acceperat ferendas, idem perferret, possétque interrogari de rebus illis, quibus præsens interfuisset. Itaque idem nuntius permanebat, equi mutabantur, vt Sueton. Tranquill. & Philipp. Beroald. in Augusto annotarunt. Persæ quõdam à Græcis Cephenes vocabantur: à se verò ipsis, atque ab accolis Artæi. Verùm postquàm Perseus Danaes & Iouis filius ad Cepheũ Beli filiũ cõmeauit, & Andromedã eius filiã duxit vxorẽ, tulit ex ea filium, quẽ Persem appellauit. Perses hæreditatẽ Cephei adiuit, & subditi nomẽ suũ sortiti, Persę appellati sunt, vt Herodotus libro septimo prosequitur. Hãc Persarũ prouinciã Darius Hystaspis filius in viginti satrapias distribuit, éisque singulos præsides adiecit, & tributa stata, fixáque indidit, & lege dicta, vt qui argentũ tributi nomine penderent, talenti Babylonij pondere: qui aurum, Euboici, adferrent.

adferrent. etenim nec Cyrus, nec Cambyses tributa ad certã formulam & præscriptam redegerant, sed dona tantùm anniuersaria à Satrapiis accipiebant. Has Satrapias Plinius præfecturas nominat. Qui Persarum opibus expendendis nauauerunt operam, reges Persarum quaterna dena millia & quingena talenta, vel Attica vel Euboica, ex Asia tantùm, & paucis locis Libyæ tributorum nomine percepisse, ex antiquis authoribus quidam asserunt: quæ Guillelmus Budæus libro de Asse quarto ad amussim omnia dispungit, & ad monetæ nostræ rationem ait efficere octies quinquies centena millia aureorum nostrorum. Iosephus libro Antiquitatum vndecimo, capite sexto, magnitudinem Persici imperij percensens, quod ex Assyriorum, Medorum, Lydorum & Aegyptiorum regnis coaluerat, author est Artaxerxem distinxisse monarchiam Persarum ab India vsque ad Aethiopiã centum & viginti Satrapiis, anno imperij sui tertio. quãtæ autem opes in Persico fuerint imperio, & quàm infinitæ, ex eo iudicari potest, quòd Ctesias & Dion Persicæ historiæ scriptores tradiderunt, Regem Persarum ad cœnam suam quindecim hominum millia excipere solitum, in eásque cœnas expendisse quadringenta talenta, quæ faciunt ducẽta & quadraginta millia coronatorum, cùm centum talenta sexaginta millibus æstimentur, vt Guillelmus Budæus libro de Asse quarto supputauit. Curtius libro quinto, gazam Persarum multis in thesauris conditam, ab Alexandro direptam ad centum & quinquaginta septem millia talentûm subduxit, absque Babylonica pecunia. Strabo omnia complexus, ad centum & octoginta millia talentûm refert. Guillelmus Budæus libro de Asse quarto, hanc pecuniæ summam ad monetæ nostræ rationem referens, centies & octies millies mille

aureos nostros valere existimat, hoc est millies & octogies cẽtena millia. Præter hãc summã, post Persepolim direptam, cùm Alexãder iam in Hyrcaniã veniſſet, ad viginti, inquit Curtius, & ſex millia talentûm proxima pręda redacta fuit, & pro certo, vt tradidit Budæus, hæc ſumma multò maior eſt, maxima omnium ſummarum, quas vno tempore coactas in rebus Romanis legamus: & vt ad linguam noſtram hæc ſumma referatur, ſciendum eſt, quòd centum mille talentûm, ſi ad nomiſma, & linguam noſtram referatur, feront ſoixante millions d'eſcus. Ex hiſtoriis apparet Cyrum maiores multò opes reliquiſſe, quàm quæ leguntur inuentæ ab Alexandro, nec mirum: cùm & Lydorum & Iudæorum opes habuerit, quas Chaldæi è templo abſtulerant. Herodotus Cyrum regem magnum appellat, nec mirum, eum regem magnum eſſe factum, cuius dominus dexteram facturum ſe prædixerat. Hinc reges Perſarum μεγάλους βασιλέας, id eſt, Reges magnos appellari ſe voluerũt. Ad rem redeamus. Hæc Perſidis regio obſcuri nominis ante Cyrum fuerat, nullisq; rebus præclarè geſtis claruerat, Xenophon libro Pædiæ octauo. Cãbyſem patrẽ Cyri Perſici imperij regẽ fuiſſe aſſeuerat, Medorũ tamẽ regi ſubditũ, cui Zonaras libro primo capite vigeſimo aſtipulatur. Iuſtinus libro primo ait Ayſtagẽ Mandanẽ filiã nulli viro claro, neque ciui deſpõdiſſe, ne paterna, maternaúe nobilitas nepotis animũ extolleret: ſed de gente obſcura Cãbyſi mediocri Perſarũ viro in matrimoniũ tradidiſſe, quod & Herodotus libro primo aſſeruiſſe videtur. Cyrus Aſtyage ſuperato Medici imperij inſulis ornatur, Olympiade, vt Euſebi⁹ vult, quinquaſima quinta, anno ab vrbe cõdita cẽteſimo nonageſimo ſeptimo. Parto Medorũ imperio, nouæ tragœdiæ excitãtur, Aſſyrij, Lydij, Aegyptij nouã Cyri dominationẽ

æquo animo nõ ferũt. fit belli apparatus. Crœſo regi Lydorũ ab Aſſyriis belli gerẽdi omniũq; rerũ huius rei cauſa neceſſariarũ ſumma defertur, qui bello præfectus optimi imperatoris officia exequitur. Vbi ad claſsicũ res deuehitur, vincit Cyrus. Aſſyriorum rex Euilmerorodach occiditur, vt libro quarto Regũ, capite vltimo colligi latiùs poterit. Crœſus fuga ſaluti ſuæ cõſulẽs, ad regiã ſui regni vrbẽ, quę Sardis dicitur, quàm maximis poteſt itineribus cõtendit. Is à Cyro victore diligẽtiſsimè obſeruatur. Sardis à Cyro obſidetur. pòſt oppugnatur Sardis. Crœſus, & omnis regni Lydorũ ditio in Cyri poteſtatẽ deiiciũtur, Olympiade quinquageſima nona, anno ab vrbe cõdita ducẽteſimo nono. quo tẽpore Seruius Tullus ſextus Romanis rex erat. hoc quoq; tẽpore Amyntas ſecũdus Macedonũ rex erat. Aegyptiorũ verò rex erat Amaſis. ſuperatis Aſſyriis & Lydiis, Cyrus in Armenios caſtra mouit. Armeniæ rex vbi conſpexit ditionis ſuæ limites impleri Medo & Perſico milite, quàm maxima poteſt celeritate exercitum coëgit. fit Cyro obuiam. concurritur. vincitur rex Armeniæ. Cyrus Armeniæ regno potitur. Tygranes filius regis Armeniæ iure ſodalitij Cyro iunctus, qui longo tempore ab aula patris abfuerat, certior victoriæ Cyri factus, iure veteris amicitiæ à Cyro expoſtulat, vt oblitus iniuriarũ à patre acceptarum eũ in ſua ſceptra remittat, quod Cyrus libens cõdonauit: addita pactione, vt rex Armeniæ quotannis regi Mediæ tributum quinquaginta talentûm pẽderet: quę ſumma ſi ad pecuniæ noſtræ rationem diſpungatur, triginta millia aureorũ efficiet. Cyrus cùm proxima victoria initium ſequentis pugnæ eſſet, continuata rerum ſerie, Phrygiæ, Cappadociæ, & Arabiæ populos ditioni ſuæ adiecit, vt Xenophon libro Pædiæ ſecundo & tertio proſequitur. Pòrrò Cyrus vbi conti-

nentem vniuersam ditioni suæ adiecit Asiam, nouissimum bellum intulit Chaldæis, apud quos cùm alia multa magna sint oppida, tum verò celeberrimi nominis, ac validissimũ est Babylon, & cùm ad eam castra mouisset, Herodotus libro primo author est, Cyrum aduersus Labynitum Nitocris reginæ Babylonis filium, exercitum admouisse, eóque bello Labynito superato, Cyrum Babylone potitum, Bibliorum libri in Daniele capitibus sexto & nono, & Iosephus Antiquitatũ libro decimo, capite decimo tertio, & Eusebius & Zonaras docẽt. Cũ occupasset Cyrus regiones omnes à Persside vsque ad primos Ioniæ fines, ad Balthasarẽ Babyloniæ regem castra mouit, eúmque Babyloniæ, quæ aduersus omnem vim humanã munitissima habebatur, obsidione premit. Dum Balthasar nihili facit obsidionẽ Cyri, cœnans in domo conuiuiis regalibus opportuna cum concubinis & amicis, placuit illi vt de tẽplo vasa Dei deportarẽtur, quæ Hierosolymis depredatus Nabuchodonosor nunquam priuatis vsibus addixerat, sed templo dicarat. at Balthasar superbiens ad pocula priuata ea destinauit, & cùm inter hæc pocula priuata lasciuiret, conspexit manum quandam parieti has tres dictiones scribentem, Mane Thecel Phares. turbatus Balthasar, à Magis & Chaldæis, interpretandis rebus his peritioribus, cõsilium dissoluendarum harum scripturarum gratia petit, quæ cùm omnem humani ingenij captum excederent, interpretationem Chaldæorum fefellerunt. hinc factũ vt Balthasar tanto dolore perculsus, tabescere omnibus videretur, quę vbi auiæ innotuerunt, Regem admonet adesse vnũ ex Iudæis captiuum, cuius opera Nabuchodonosor regis auus in dissoluendis ænigmatibus vt plurimùm vtebatur. Huic nomen erat Daniel: quem citissimè Balthasar accersiri iussit.

muneribus eximiis oblatis eum supplex rex exorat, vt palàm ei faciat quid ænigma parieti scriptum significaret: tum Daniel spretis & reiectis muneribus, sapientiam Dei, atque diuinitatem sine suffragijs semper existere docet, & gratis prodesse credentibus, & interpretando scripturam inquit, tu obliuionem Dei habens, sacris vasis vnà cum tuis concubinis ministrari tibi feciſti, quare Deus iratus per ea quæ parieti inscripta sunt, regni tui fractionem tibi prænunciat. quod in Daniele Bibliorum libri latiùs prosequuntur. Dum hæc in Babylonia geruntur, Cyrus potiundæ vrbis incredibili flagrans desiderio, nocte silenti ducto exercitu per Gobryam & Gadalã principes viros aulæ Balthasaris, qui ab eo paucis antè diebus defecerant, vt Bibliorũ libri, & Xenophon authores sunt, vrbẽ somno vinóq; sepultã adoritur, eáq; potitur. Occiditur Balthasar. Deuicta Babylone tum primùm Persarum regnum monarchiæ nomen accepit, & monarchiæ caput Babylon designatur. Philippus Melanchthon Herodotũ cùm de Labynito rege verba facit, de Balthasare intellexisse author est, qui filius, vel vt alij malunt, nepos fuit Nabuchodonosoris: nempe Nabuchodonosor genuit Euilmerodach, qui post eum regnauit, & eo extincto successit Balthasar: quæ à nobis in Chaldæorum regno discussa latiùs sunt. Dum hæc in Chaldæa & Babylone geruntur, in Macedoniæ regno imperat Amyntas, Romanis Seruius Tullus sextus rex est, Aegyptiorum rex Amasis, vt Eusebius in chronologia prosequitur, & iam sub vnum imperium modò Chaldæorum, modò Assyriorum, Lydorum, Medorúmque regna conscribuntur, anno septuagesimo postquàm Hebræi pulsi Hierosolyma seruitutem sub Nabuchodonosore seruierant secundum prædictionem Hieremiæ, primo Esdræ libro de-

ſcriptam. hoc primùm tempore ceſſauit apud Hebræos prophetarum vſus, & philoſophorum apud Græcos perhibetur origo. Laurentius Valla libro, quem in Bartolomæum Facium ſcripſit, hoc verbo prophetare Liuium, Cæſarem, & Saluſtium non vſos profitetur, qui diuinare, tum præſagire, tum vaticinari, vel ariolari dixerunt: quæ verba, vt Hieronymus in Malachiam ait, in malam in ſanctis ſcripturis recipiuntur partem, quarum ille obſeruantiſſimus fuit. Hoc verbo prophetare, antiqui prolixioris ſermonis authores vſi non ſunt, quoniam prophetæ eis noti non erant, quod tamẽ à ſapientiſſimis viris è Græcorum fontibus deriuatum conſtat. hinc à Græcis prophetæ Apollinis dicebantur, fatidicæ fœminę. Macrobius in Saturnalibus nominat ſacerdotes Aegyptiorum, quos prophetas vocant. Prophetare in ſacris literis quandoque pro prædictione futurarum rerum accipitur, quandoque pro annuntiatione & interpretatione verbi Domini. Prophetæ poſt aquarum inundationem Abrahamum primum aſſertorem ſibi vindicant, qui anno ſuæ ætatis, vt Ioſepho placet, nonageſimo ſecundo natus, Chriſti numen adorare cœpit, & quæ ventura erant prædicere. poſt quadringentos & triginta annos, vt Philoni Iudæo, & Zonaræ placet, Moſes ꝓphetare cœpit. à Moſe vſq; ad Cyri tẽpus, quod nouiſſimũ fuit tempus prophetarũ, Euſebius libro decimo de Præparatione Euangelica, mille & centum annos fluxiſſe author eſt. à Moſe verò ad nouiſſimũ tempus prophetarum fuerunt prophetæ, Samuel, poſtea Dauid, anno poſt euerſionẽ Ilij centeſimo ſeptimo, dũ Latinus Syluius Latinis rex erat, vt Euſebius annotauit. Carion tamẽ libro ſecũdo, Dauidis regnũ ad euerſionẽ Troiæ reiicit. Pòſt anno centeſimo decimo ſexto à Troia capta, & decimo regni Dauidis

anno, prophetarunt Gad, Nathan, & Aſaph: & ſubſequente anno centeſimo quinquageſimo ſeptimo à Troia capta, & regni Salomonis vndecimo, prophetauit Iadon, vel vt vult Ioſephus, Sadoch. poſtea anno à Troia capta ducenteſimo quinquageſimo quarto, & anno regni Ioſaphat ſexti Iudæorum regis quinto, prophetarunt Abdias, Oziæ, Micheas, Helias. poſtea anno ducenteſimo nonageſimo nono poſt Troiæ euerſionem, anno regni Ioas decimi Iudæorum regis nono, prophetauit Zacharias. poſtea anno à Troia capta trecenteſimo decimo quinto prophetauit Heliſæus. paruo pòſt tempore prophetarunt Eſaias, Ionas, Amos, Oziæ, anno à Troia capta trecenteſimo ſeptuageſimo quinto, anno regni Oziæ duodecimi Iudæorum regis decimo ſeptimo. poſtea prophetauit Oſee, Olympiade vndecima, anno ab vrbe cõdita decimo octauo, anno regni Ezechiæ decimi quinti Iudæorum regis decimo. poſtea prophetauit Hieremias, Olympiade trigeſima ſexta, anno regni Ioſiæ decimi octaui Iudæorũ regis decimo. deinceps prophetarunt Ezechiel & Daniel, Olympiade quinquageſima, anno regni Nabuchodonoſoris octauo. nouiſſimi prophetarunt Aggæus, & Zacharias, Olympiade quinquageſima ſeptima, anno à captiuitate Iudæorũ ſub Nabuchodonoſore trigeſimo ſeptimo. Horum duorum prophetarum tempora liber Eſdræ capite primo recenſet. in hac prophetarum deſcriptione Ioannis Baptiſtæ, qui à Domino dictus eſt pluſquàm propheta non habetur mentio. Dum hoc tempore Cyrus regnat, prophetarum vſus occidit. Aliud doctorum genus enaſcitur, qui Philoſophi dicti ſunt. hæc tempora velut incunabula orientis philoſophiæ fuerunt. Poëtarum verò origo hiſdem ferè temporibus fuit, vt prophetarum curſus agitabatur. Linus, Orpheus, Muſæus, Phemius, &

Aristeas, vt ante Homerũ scripserunt, sic eorum antiquissimus vna, aut ad summum altera generatione Troianum bellum præcessit, pleriq; Troiani belli æquales fuerunt. Homerũ verò & Hesiodum multò recentiores Troiano bello fuisse cõstat. Iosephus nullũ scriptum opus apud Græcos extare dicit, quod sit vetustius Homeri poësi. Cyri temporibus, cuius auspiciis templum restitutum est, euerso Chaldæorum regno, septem Græcorum sapientes fuerunt. Hoc tempore duæ Philosophorum fuisse sectæ tradũtur, alij philosophi Ionici, alij Italici dicti: Ionici Ioniam incoluerunt, qui insignem operã obseruandis astris, & physicis rebus nauarunt, author eorum Thales fuit, Olympiade, vt plerisque placet, quadragesima octaua, vel vt Eusebius annotat, Olympiade quinquagesima: & floruit vsque ad Olympiadem sexagesimam quartam, vt Eusebius libro de preparatione Euangelica decimo, & in historiis tradidit. Hic primus Græcis annum in trecentos & sexaginta dies partitus est, quanquam antea annus in duodecim mẽses dispartitus esset, sed solarem motum ad lunæ cursum referre in antiqua portione cogebantur. Is item primus eclipsim solis & lunæ Græcis ostendit, huiúsque causam aperuit: quod ab Aegyptiis didicerat. Immortalitatẽ quoque animarum Græcis doctissimis argumẽtis testatus est. singula harũ inuentionũ capita ex ordine excutiẽtur. Altera philosophorum secta, qui Philosophi Italici vocabãtur, à Pythagora ortum habet: nam & is Olympiade sexagesima secunda clarus habebatur, vt Eusebius libro decimo de præparatione Euangelica, & in historiis scripsit, & sub Cyri tẽpora docuit. vixit in extrema parte Italiæ, quæ ad Siciliam tẽdit, quæ & olim Græcia dicta est, quo tempore Romæ Seruius Tullus regnauit. Huius schola non in physicis aut astronomicis,

astronomicis, vt reliquorum: sed in Arithmetica, Geometria, & Musicis fuit occupata. Is in vita solitaria multa absurda de natura animarum, quòd commigrare soleant in bestiarum corpora, docuit. Tractarunt Pythagorici priuatim inter se sua dogmata, vetitúmque inter eos erat, ne in publicum ederentur à quoquã, ne occasione nouæ sectæ plebecula vel ad discordiam, vel ad contemptum communium morum concitaretur: sed quia dictum iam est distributionem anni Græcorum philosophorum esse, de ea re est videndum. Herodotus libro secundo ait omnium hominum Aegyptios primùm annum excogitasse, distinguentes eum in duodecim temporum menses, idq comperisse ex astris, eo sciẽtius agentes quàm Græci, quòd hi tertio quoque anno intercalarem mensem intromittunt. Aegyptij cuilibet mensi triginta dies adiiciunt, & huic numero adiiciunt quotannis quinque dies. Seruius tertio Aeneidos ait lunarem annum triginta dierum fuisse. Cicero annum magnum confici volebat omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, qui duodecim millibus noningentis quinquaginta quatuor solaribus annis expletur. Iosephus libro primo capite octauo annum magnũ sexcẽtis annis adimplet. Arcades, vt Plutarchus in vita Numæ author est, tribus mensibus annũ conficiebãt. Romani, authore Romulo, annum decem mensibus constare voluerunt, qui trecentis & quatuor diebus cõstabat. sed cùm annus ille neque solis cursui, neque lunæ rationibus cõgrueret, à Numa ad solis cursum redigitur, additis quinquaginta diebus, quibus postea adiecit sex, primúmque mensem à Iano primo Latinorum rege nuncupauit, februarium verò à Februo Deo, qui lustrationibus præesse credebatur, nominauit: vt fastorum libris Ouidius latiùs prosequitur. Romani

postea Græcorum more intercalarem mensem constituerunt, vt qui præerant fastis libris (quibus totius anni fasti & nefasti dies continebantur) intercalarent, id est vocarent populum, vt quando lege agi liceret, sciret: quod postea tempore quoque mutatum est, & ad sacerdotes remittitur hæc negotij cura, vt arbitratu suo id populo enuntiarent: durauítque ea viuendi lex, donec Cæsar pontifex maximus annum trecentis sexaginta quinque diebus, & sex horis terminauit. Et sic Iulius Cæsar, authoribus Tranquillo & Plinio, primus omnium annũ ad cursum solis accommodauit, vt trecentorũ sexaginta quinque dierum esset, & intercalario mense sublato, vnus dies quarto quoque anno intercalaretur, quem bisextum vocamus: causa autem nominis est, quia duobus continuis diebus dicimus sexto calendas martias, duos dies pro vno computantes. Solinus tamen hanc anni distributionem ad Octauiũ refert. Sciendum tunc vitiũ admissum esse per sacerdotes. Nanque authoribus Solino in collectaneis, & Macrobio in Saturnalibus, cùm præceptum esset, vt anno quarto intercalarent diem vt oporteret, confecto anno quarto obseruari antequàm quintus auspicaretur, sacerdotes incipiente quarto, non desinente intercalarunt: sic per annos sex & triginta cùm nouem tantummodò dies sufficere debuissent, duodecim sunt intercalati. Quem errorem deprehẽsum Augustus correxit, iussitque annos duodecim sine intercalatione decurrere, vt tres illi dies, qui vltra nouenarios temere fuerant intercalati, hoc modo possent repensari: qua reformatione omnis futuri temporis fundata ratio est. Ammianus Marcellinus libro xxvj. refert quemadmodum ab Augusto sit compositus annus, qui vitio sacerdotum confusus, & erroribus erat implicatus. Verba Marcellini hæc sunt.

Quibus abolitis Octauianus Augustus Græcos sequutus hãc inconstantiam, correcta turbatione, composuit, spatiis duodecim mensium, & sex horarum magna deliberatione collectis. Seruius libro Aeneidos primo, annũ lunarem triginta diebus cònstare dicit, annum verò solstitialem duodecim mẽsibus disterminat. annum autem magnum duodecim millibus quingentis quinquaginta annis finit. dicitur verò eo authore annus, quasi anus, hoc est anulus: quòd in se redeat. Hinc dictum, atque sua per vestigia voluitur annus. de his iam satis. Hæ duæ philosophorum sectæ fuerunt incunabula nascentis philosophiæ, quæ postea diuersis philosophorum opinionibus creuit, in diuersásque dispertita est sectas. Stoici sessitando, & soritas aceruando, ærumnosas contriuerunt ætates. Epicureorum animi, omni absterſa religione, voluptate vsque ad extremum vitæ deliniti sunt. Peripatetici per erraticas & expatiantes ambulationes disserendi vim in nugis consumpserunt. Denique Academica secta copia & vbertate dicendi à Platone nobilitata est. Omittenda non est ea philosophorum secta, quæ nihil constituendo, & de omnibus addubitando annos bonos perdidit, quasi in labyrintho philosophiæ commentandum esse constituisset. & hoc satis. Ad Cyrum, vnde digressi sumus, diuertendus est sermo. Cyrus primo anno quo monarchiam in Asia constituit, qui septuagesimus erat, ab ea die qua Hebraicus populus relictis patriis sedibus seruitutem in Chaldæorum imperio seruierat, diuino afflatus numine, quod ex prophetiis planè conceperat, Hierosolymam vrbem filiis Israël nullis spoliatam ornamentis restitui iubet, templúmque quod radicitùs conuulsum iacebat construi iussit: aurum & argentum his ædificiis necessarium ex suo ærario conferri

mãdauit, vasa, quæ Nabuchodonosor abstulerat, Zorobabel principi Iudæorum dari præcepit, vt Iosephus libro vndecimo capite primo speciatim prosequitur. Memor bonus ille rex prophetiarũ Hieremiæ & Esaiæ, Hebræi captiuitate soluuntur, & anno ab orbe creato ter millesimo quadringentesimo vigesimo primo, vt Theodorus Bibliander annotauit, fundamenta templi iacta sunt: sed Cyro bellis occupato interceptum fuit opus. Cyrus noua bella moliens, subacta ex bona parte Asia, Scythis bellum intulit. Herodotus & Iosephus hos Massagetas appellat. Horũ regina Tomyris erat, quæ non muliebriter hostium aduentu territa, cùm prohibere eos posset, vadum Araxis fluminis transire permisit, & sibi feliciorem pugnam intra regni sui terminos rata, & hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus traiectis copiis cùm aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. primo hostium aduentu concurritur. Persæ potẽtiores tertiam partẽ Massagetarum dolo circunuentam profligant. Spargapises Tomyridis reginæ filius capitur, primò vinculis alligatur. postea exorat à Cyro vt vinculis soluatur, statímque vt solutus est, manuum compos mortem sibi consciuit. breui pòst tempore Massagetæ contractis copiis cum Cyro confligunt, & fuit hæc pugna ex omnibus, quæ vnquam inter Barbaros extiterunt, acerrima. primò vterque exercitus spatio inter se distãs, sagittis pugnam adoritur: absumptis sagittis, concurrentes lanceis, & pugionibus diu pugnantes se confoderunt. Ad extremum neutris fugere volentibus, Massagetæ superiores sunt, ibíque maxima Persici exercitus pars, tũ verò ipse Cyrus occubuit. sicq; finis Cyri fatorũ. sic Herodotus, Iustinus, & Iosephus tradiderunt. At Xenophon libro Pædiæ octauo, & Zonaras.

libro primo, capite vigesimo, longè aliter necem hanc commininiscuntur. Vbi Cyrus, inquiunt, præsensit naturam sibi finem vitæ adferre, longo sermone cum suæ aulæ proceribus habito, quo animæ immortalitatem testabatur, filios suos, quorum primo genitus Cambyses, secundo genitus Smerdes (vt frequentiùs historici volũt, licet à Zonara Tamaraxes nominetur) accersiri iubet. His regna suæ monarchiæ dispertitus est. Cambysem imperio Persarum cum accessione aliorum omnium regnorum honorauit. Smerdem regnis Mediæ, Armeniæ, & Caduſiæ præposuit, eúmq; in his regnis hæredem scripsit. & sic occubuit. Regnauit annos, vt Herodotus vult, vndetriginta: vel vt Iustinus mauult, triginta: quod & Bibliander, & cæteri probant. Xenophon libro Pædiæ octauo septẽ annos vixisse Cyrũ, postquàm ordinatis & dispositis imperij sui rebus omnia ad monarchiæ fastigium spectantia composuit, author est. Herodotus, cuius in enarratione mortis Cyri frequentior ab Hebræis est sententia, narrat cùm Tomyris cadauer Cyri inter cęsorũ Persarũ stragẽ exquisitum inuenisset, abscissum caput in vtrem demisisse, quem humano cruore compleuerat: mortuóque insultantem dixisse: Ego te pro vt interminata sum, cruore saturabo. Ioannes Monachus in vita Alexandri ait sepulchro Cyri inscriptum fuisse, O VIR QVICVNQVE ES, ET VNDECVNQVE ADVENIS, NEQVE ENIM TE ADVENTVRVM IGNORAVI: EGO SVM CYRVS, QVI PERSIS IMPERIVM CONSTITVI PVSILLVM. HOC TERRAE, QVO MEVM TEGITVR CORPVS, MIHI NE IN-

VIDEAS. His Cyri temporibus, Cares omnium, qui Cyri tempore vixerunt, acutissimi, galeis cristas primi imposuerunt, clypeísque signa figurarunt. postremò lora scutorum excogitarunt: antea enim citra habenas gerebant qui clypeis vtebantur, vt Herodotus latiùs edocuit. Cyro vita functo insulis imperij Asiæ ornatur Cambyses, Olympiade sexagesima secunda, anno ab orbe creato ter millesimo quadringentesimo quinquagesimo, & eadem Olympiade, Romæ eiiciuntur Reges, & creantur Consules, vt Theodorus Bibliander annotauit. Eusebius eiectionẽ regum Romanorũ ad tempora Darij reiicit, & Cambysis tẽpora ad Tarquinij Superbi regnum reponit. Hoc tempore Macedonum rex erat Amyntas secundus rex. Iam Lydorum regnũ sub Cyro defecerat. Aegyptiorum quoq; regnũ sub Cambyse defecit, siquidem is comparato aduersus Aegyptios cùm ex Græcis quibus dominabitur, tum ex Persis valido exercitu, expeditionem facit. Psammeticus Aegyptiorum rex ad ostium Nili castra mouet, Cambysem operiens. Persæ omne iter emensi subsedere vicini Aegyptiis, tanquam iam congressuri paulò pòst acri commisso prælio, multis vtrinque cadentibus, in fugam vertuntur Aegyptij. Ibi Herodotus rem non negligendam annotatam scribit: Ossa eorũ, qui in acie ceciderant, cùm iacerent fusa, vt ab initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, seorsum Aegyptiorum. Sed Persarum capita adeo fragilia reperiebantur, vt solo calculo effringi possent: Aegyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidi possent. Cuius rei causa reddebatur, quia Aegyptiis à pueritia incipiunt radere capita, & os capitis ad solem redditur compactum. Quæ eadem est causa non caluescendi. Nam ex omnibus

hominibus paucissimos quis Aegyptios caluos videat. At Persis cur fragilia sunt capita, id in causa est, quòd ab ineunte ætate imbuuntur operire capita, gestantes pilea, tiarásque. Cambyses superata Aegypto in Diuorum ædes sæuire cœpit, cui sceleri addidit scelus aliud, & paricidium adiunxit: erat enim valde difficile vt parceret suis, qui contemptu religionis grassatus etiam contra Diuos fuerat. Ex templo mittit in Persas, ad fratrem interimendum, Praxaspem, virum sibi fidelissimum, qui vbi Susa conscendit, Smerdem necandum curauit, eúmque cùm ad venandum duxisset, ad mare rubrum produxit, ibíque eum demersit. Ad violata templa sceleribus Cambysis accessit hoc paricidij genus. Non multo pòst superadditur & aliud. Adcrat Cãbysi soror germana, cuius incredibili amore flagrabat, & cùm moribus patriæ interdictum esset fratris cum sorore matrimonium, accersit eos qui regij iudices erant apud Persas (iudices autem deliguntur à Persis, sũntque perpetui, nisi delicti alicuius comperti fuerint) ij in Persico regno ius dicunt, & legum patriarum sunt interpretes, ad eósque omnia referuntur. Hos Cambyses percontatur, num lege aliqua inter fratrem & sororem matrimonium cõsistere possit. Negant illi legem aliquam in hanc sentẽtiam conscriptã extare: quandam tamen se inuenire legem, qua voluntates regiæ instar legum habeantur. Tum Cambyses soror inupsit, quam paruo pòst tempore vita priuauit: & nouissimo loco cùm tẽpla spoliasset, addidit his spoliis nouum spolium. Nempe cùm Cyrus Hebræis Templi Hierosolymitani reædificãdi fecisset potestatem, & Iudæis Hierosolymam vrbẽ publico præsidio incolere permisisset, Hebræi imperij antiqui & perpetuĩ hostes, Cambysi palàm faciunt edicto Cyri in Hebræorum

fauorem conscripto, exitiũ Persico imperio parari: ij enim insitum à natura habent, iugũ alienæ dominationis æquo animo nequaquam ferre, vbi vrbi & diuitiis se restitutos conspexerint, noua consilia molituros. Hinc edictum Cyri antiquatur. Hebræorum ædificia intercluduntur. publicum Persarum ærarium restaurãdæ vrbi apertum introcluditur. Nouissimo tandẽ loco, vt finis opus coronaret, in defunctorũ corpora sæuire cœpit: siquidẽ is cõtra regni sui & Aegyptiorũ legẽ, simul atq; Aegyptiorũ ædes ingressus est, imperauit cadauer Amasis è cõditorio afferri, deinde prolatũ verberibus cædi ac vellicari & stimulis pungi, quod faciẽtes postquàm defatigati erant (nam cadauer, vtpote salitum, resistebat, nec quicquã omnino elidebatur) iussit cremari. Persis nõ erat moris cremare cadauera, quia ignem esse Deum arbitrabantur, negantes fas esse Deum pasci cadauere hominis. sic nec Aegyptij cadauera cremare consueuerant, quia persuasum eis erat, ignem animatam belluam esse, & omnia quæ nascuntur deuorare, & postquàm deuorando sunt expleta, vnà cum ipsa re deuorata emori. Ideo non esse moris apud eos mortuum belluis tradere, sed salire, ob id ne mortuus deuoretur à vermibus, vt Herodotus libro tertio latiùs prosequitur. sic nec Romanis cremare corpora veteris fuit instituti, sed terra condebantur. at postquàm longinquis bellis obrutos erui cognouerunt, tum institutus cremandi mos. Nemo ante Syllam dictatorem legitur crematus, ídque voluisse, veritus talionem, eruto cadauere Caij Marij, vt Plinius libro septimo, capite quinquagesimo quarto annotauit. Seruius quinto Aeneidos ait maiores consueuisse vt quocunque loco quispiam extinctus fuisset priùs ad domũ referretur, illic diebus septem reseruaretur: octauo die incendebatur,

debatur, nono sepeliebatur. Hinc nouendiale. Hinc Horatius nouendiales dixit dissipare pulueres. Domi verò suæ sepeliebãtur: vnde Dij penates in domibus coli soliti. Donatus in Phormione ait in funere nonum diem voti habere instaurationem. Genesis vigesimo tertio capite legitur Abrahamum speluncam in agro Ephron à filiis Heth emisse, ibi Saram vxorem sepelisse, & ipse ab Isaaco, & Ismaële liberis sepultus in eadem traditur. Pater Augustinus libro de Ciuitate Dei primo, capite 13. non esse contemnenda nec abiicienda defunctorum corpora existimauit, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera Sanctus vsus est Spiritus. Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse teste Angelo commendatur, vt in sacris Bibliorum libris secundo & duodecimo Tobiæ capitibus continetur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandúmque commendat, quòd vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad Deum sepeliendum fecerit. & commendantur in Euangelio Ioãnis decimo nono capite Ioseph & Nicodemus, quòd corpus Domini de cruce depositum honorificè tegendum sepeliendúmque curarunt. Iacob moriens filio suo Ioseph præcepit vt in monumentum maiorum suorum inferretur, nec relinqueretur in Aegypto, vt Genesis quadragesimo septimo capite continetur. Ipse quoque Ioseph fratribus mandauit, vt & ipsi meminissent & ita posteris traderent, dum commigrarent in terram patribus à Deo promissam, ossa sua in eam vti transferrent, Genesis vltimo capite. Ante Herculem occisos in bello humare non fuit mos: eos enim sepelire primus instituit Hercules, vt Aelianus in varia historia author est. Sed cùm de Cambyse sit sermo institutus, admo-

nitum lectorem volui, quoniam in libro Esdræ primo, capite quarto fit Artaxerxis mentio, id ad Cambysem referendum esse, vt Zonaras libro primo, capite vigesimo tradidit, & rerum series satis edocet. Ad rem redeamus. Dum Cambyses circa Aegyptum immoratur ac desipiscit, duo Magi fratres (primogenitus Patizites vocabatur, quem Cambyses rerum suarum procuratorem in Perside reliquerat) coniurarunt. Primogenitus hic, ad quem omnium rerum summa ex Cambysis mandato deferebatur, cognita Smerdis fratris Cambysis nece, quæ occultabatur, paucisque Persarum nota erat, plerisque eum viuere existimantibus, rebellandi occasionem nactus, ita rem aggreditur. Erat ei in regia posterior natu germanus, qui cum eo vnà coniurauerat, corporis habitu quàm simillimus Smerdi fratri Cambysis, quem ipse Cambyses clàm paulò antè ferro superauerat, nec specie tantùm corporis Smerdi similis, sed etiam cognominis. Hunc virum Patizites primogenitus Magus instructum, quemadmodum ipse illi omnia peracturus esset, in regium solium perduxit. hoc acto, caduceatores cùm alia in loca, tum verò in Aegyptum dimittit ad exercitum, qui edicerent vt Smerdi Cyri filio deinceps obedirent, non Cambysi. hæc caduceatores alij alibi edixêre. Is quoque qui ad Aegyptum delegatus erat, Cambysem adinuenit, atque exercitum in Ecbatanis Syriæ agentem. Ei præcepta Magi exposuit. Is primò caduceatorẽ vera loqui existimauit, seq; à Praxaspe esse proditum, quod missus ad occidendum Smerdem, rem non peregisset: intuénsque Praxaspem, percontatus est, num executus esset de occidẽdo fratre negotium: ad quem Praxaspes ait, se Smerdem fratrem suum propriis manibus humasse. Tunc caduceator

interrogatus: quandoquidem te ais à Cyri filio venire nuntium, dicito veritatem, qua dicta abito sospes, vtrùm Smerdes ipse in conspectum datus tibi ista mandauit, an quispiã eius ministrorum? Tum ille: Equidem, inquit, Smerdem Cyri filium ex quo Cambyses aduersus Aegyptum fecit expeditionem, nunquam conspexi, sed Magus, quem Cambyses rerum suarum familiarium procuratorem habet, mihi ista mandauit, dicens Smerdem Cyri filium optare hæc apud vos dici. Tunc veritate coniurationis cõperta, decreuit Cambyses quàm raptissimè Susa versus exercitũ traducere, & insilienti in equũ vagina gladius excidit, vnde nudatus gladius perstrinxit eius femur, ex quo vulnere, tũ etiã iniuria Magi perculsus, vigesimo die ei vita adimitur, postquàm regnauit septẽ annos & quinque menses, vt Herodoto placet, vel vt Iosephus libro Antiquitatũ vndecimo mauult, sex annos, vel vt Zonaras tradidit, septẽ annos regnauit. Bibliãder octo annos eũ regnasse author est, adscitumq; ad imperiũ anno ab orbe creato ter millesimo quadringẽtesimo quinquagesimo. Dariũ verò regnare cœpisse anno ab orbe creato ter millesimo quadrigentesimo quinquagesimo octauo, sub quo tẽpore septem menses Magorũ continentur. Magus defuncto Cambyse per simulationem Smerdis filij Cyri, qui eiusdem fuerat cognominis, securus regnauit menses septem: per quos septem menses omne genus liberalitatis exercuit, adeo vt eius mors magno mœrore affecerit omnes Asiam incolentes, Persis exceptis. nam missis ad singulas gentes, quibus imperabat, edictis, Magus immunitatem tributorum, ac vacationem militiæ in triennium tribuit, atque hoc quidem statim post adeptum imperium edixit. Octauo autem mense, quisnam esset compertus à septem principibus

viris primariæ apud Persas authoritatis opprimitur, & externæ nationis tyrannus (erat enim natione Medus) à Persico imperio exterminatur. Fuerunt ij septem principes viri, Otanes, Intaphernes, Gobryas, Megabysus, Asphatines, Hydarnes, Darius. Regnarunt ij Magi, vt Herodoto libro tertio placet, septem menses. Iosephus integrum annum regnasse author est, Olympiade sexagesima quinta, anno ab vrbe condita ducentesimo trigesimo quinto. In horum duorum fratrum nomine variant historici. Herodotus primogenitum, quem Cambyses rerum familiarũ curatorem reliquerat, Patizithem: alterum verò, qui regio fungebatur munere, Smerdem appellat. Zonaras secundo genitum Tanoaxarem appellat. Iustinus alterum Comarim, alterum Oropastem. Hos Magos Eusebius inter Persarum reges non enumerat, sic nec Bibliander. In eo priuato certamine Iustinus Asphatinem & Intaphernem duos ex septem principibus occisos author est. Herodotus saucios eos non occisos ait. Magi apud Medos, & Persas dicebantur, qui rebus diuinis satagentes sacris præerant, arcana sacrarum rerum tractantes, populum in quandam sui admirationem trahebant. Occisis Magis magna quidem gloria recuperati regni horum septem principum fuit: sed multò maior in eo, quòd, cùm de Persarum regno ambigeretur, concordarunt. Erant enim & virtute, & nobilitate ita pares, vt difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Ipsi delato ad populum iudicio, primo loco ex ordine sententias dicunt. Otanes negat vnum ex eis fieri debere principem, nec è Republica esse Monarchiam nuper per eos sublatam restaurari, omnem Persici imperij statum ad populum debere reuerti, democratia rem posthac agendam censet. Megabyso

aristocratia vel oligarchia magis arridet, & ad paucorum statum Reipublicæ traduci mauult. Tertia Darij adfertur sententia, quæ populum ad Monarchiam hortatur. Xenophon libro Pædiæ octauo author est, Cambysem patrem Cyri, Persas admonuisse, vt quandiu superstites essent ex legitima regum Persarũ sobole liberi, ad eos ex legitima successione sceptrum deuolueretur: sublatis verò liberis, neque extantibus ex eo stipite legitimis hæredibus, fore vt in vnum coirent acutissimi ingenij Persarum homines, regémque deligerent, qui administrandis publicis negotiis soluendo esset. cuius consilium in ea, quæ offerebatur, facti specie secutum populum res planè loquitur. Ipsi principes viam inuenerunt, qua de se iudicium religioni, & fortunæ committerent. Darius Hystaspis filius post hanc Magorum cædem hinnitu equi ad regnum Persarum assumptus est, vt Herodotus libro tertio, qui Thalia dicitur, latissimè prosequitur. Darius Olympiade sexagesima quinta, anno ab orbe creato ter millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, vt Theodorus Bibliander annotauit, rex Persarum designatur. primò matrimonia ex Persis auspicatur, ductis duabus Cyri filiabus. Interiecto paruo temporis interstitio, cùm Assyrij ab eo defciuissent, & Babyloniam oppugnassent, difficilisque esset vrbis oppugnatio, arte Zopyri eam post longam obsidionem in ditionem Persici imperij redegit. post hæc Scythis bellum indicit, quorum rex Lauthinus erat, vt Iustinus libro secundo tradidit. Hunc Darium Scythæ turpi à Scythia fuga submouerunt. pòst exercitum in Græciam traduxit, Athenienſibus bellum allaturus, qui perspecto Darij aduentu à Lacedæmoniis, socia tunc ciuitate, auxilium petunt, quo non expectato, instructis decem millibus ciuium, & Pla-

tæensis auxiliariis mille aduersus sexcenta millia hostium vrbe egrediuntur. Miltiades dux belli erat, qui nullo expectato auxilio, plus præsidij in celeritate, quàm in auxiliariis sociis ponens, manus in campis Marathoniis cum hostibus conseruit. pugnatum est tanta virtute, vt Athenienses viri sint iudicati, Persæ pecudes. victi Persæ ad naues confugiunt. inter Græcos Themistocles adhuc pubescens gloria emicuit, in quo indoles futuræ imperatoriæ virtutis apparuit. Ducenta millia Persarum eo prælio ceciderunt. Anno postea ter millesimo quadringenteſimo quinquagesimo nono ab orbe creato, mandat Darius anno regni sui secundo, templum Domini Hierosolymis omnibus posthabitis rebus construi, consummatúrque opus, & omni ex parte absoluitur, anno ab orbe creato ter millesimo quadringẽteſimo sexagesimo septimo, vt Theodorus Bibliander annotauit. Eusebius mauult anno quater millesimo sexcenteſimo septuagesimo. Remissio quidem captiuitatis Iudæorum, & venia templi ædificandi sub Cyro exordium sumpsit, consummatio verò templi sub Dario perficitur, quia vicinæ gentes assiduis incursionibus ædificationem remorabantur. tum Cambysis edictum opus cœptum interceperat, donec Zorobabel Hebræi populi pater quàm plurima gratia apud Darium flagrans, propositam Darij quæstionẽ, Cuius esset maius imperium, an regis, an vini, an veritatis, an verò mulieris, dissoluit: & cùm placuisset Dario, ab eo commeatum & traductionem populi Israël, qui in Assyria seruierat, impetrauit: & multitudo populi Israëlitici, qui ex Assyria Hierosolymam reuersus est ex tribu Iuda, & Beniamin, fuit quater mille millia & sexcenta viginti octo millia hominum, vt latiùs Iosephus libro Antiquitatum vnde-

cimo, capite tertio prosequitur. libri Bibliorum sacri, Darij & Artaxerxis persæpe meminerunt, pro appellatiuis nominibus ea nomina sumentes, sicut in Romanorum historiis nomen Augusti appellatiuum, & adiectitium fuisse constat. In libro Esther fit Assueri regis mentio, quod ad Darium, de quo nunc nobis factus est sermo, qui Hystaspis filius fuit, referri debere Zonaras libro primo, capite decimo sexto tradidit. Theodorus Bibliander Xerxem Assuerum fuisse existimat, Eusebius in historiis neque Zonaræ, neque Bibliandri adiuuat sententias. sed librum Esdræ ad Artaxerxem vndecimum Persarum regem, qui & Mnemon dictus est, referendum putat, historiámque, quæ in libro Esther continetur, expletam sub imperio Artaxerxis, qui Assuerus quoque ab Hebræis dictus est, & à septuaginta interpretibus Artaxerxes vocabatur. Regnauit Darius Hystaspis, sex & triginta annos, Olympiade sexagesima quinta, anno ab vrbe condita ducenteſimo trigesimo quinto. Anno regni sui trigesimo secundo muri Hierusalem perficiuntur, opúsque absoluitur, vt secundo, quinto, & sexto capitibus Esdræ latiùs continetur. Interea dum Darius bellum aduersus Græcos restaurabat, in ipso apparatu relictis tribus liberis masculis, quorum primogenitus Artabazanes vocabatur, ex secundo verò matrimonio, quod cum Atossa filia Cyri contraxerat, reliquit quatuor liberos: quorum Xerxes primogenitus erat. In huius historiæ enarratione variant historici, Herodotus libro septimo recensẽt cùm Darius expeditionem in Græcos & Aegyptios, qui ab ipso defecerant, pararet: exisse inter liberos Darij primi & secundi matrimonij sermonem, si in belli expeditione Darius occumberet, quis eorum regni Persici sceptra moderaretur: consueuisse reges prius quàm regni

fines egrederentur, in ea regni successione voluntatem suam conscribere, eámque palàm facere. Artabazanes iure primogenituræ regnum ad se deferri contendebat. Xerxes duabus rationibus depulsa fratris ratione intentionem suffulciebat, primogenitum se asseuerans esse post regium diadema patri collatum, habendámque esse rationem primogenituræ, quæ aduenit postquàm pater ad regium fastigium est euectus, non eius temporis, quo pater sola nobilitate insigniebatur. præterea se materno generosiorem ortu asseuerabat: siquidem Atossa eius mater Cyri erat filia, ipséque ex ea, Cyri (qui pater patriæ iudicabatur) nepos erat. præterea habendam rationem vicinarum regionum, quando talis facti species in controuersiam incidisset. quo modo Spartis plura præiudicia in simili causa conscripta extarent. His hinc inde habitis rationibus, Darius Xerxem regem, futurúmque successorem sibi deligit. sic septimo libro Herodotus tradidit: addens nihil esse necesse in ea causa rationes addere, cùm omnia ageret Darius ex Atossæ matris Xerxis voluntate. Litem illam alio marte terminatam narrat Iustinus. Mortuo Dario, hoc certamen inter fratres concordi animo ad patruum Intaphernem veluti ad domesticum iudicem delatum ait, qui domi cognita causa Xerxem præposuit, adeóque fraterna cõtentio fuit, vt nec victor exultauerit, nec victus indoluerit. Huius regis tempore regnabat in Macedonia Alexander decimus rex. Hieron Syracusanis tyrannidem exercebat. Sophocles & Euripides clari habebantur. Herodotus historiarum scriptor agnoscitur. & postea Olympiade octuagesima quarta, cùm Athenis libros suos in concilio legisset, honoratus est: vt Eusebius in chronologia docuit. Hic trecentesimo anno vrbis conditæ historiam condidit

didit Thuriis in Italia, vt author est Plinius libro duodecimo, cuius scripta Strabo non historiam, sed mythistoriam, hoc est, historiam fabularem existimari voluit: vt latiùs Guillelmus Budæus libro de Asse quarto prosequitur. Hoc quoque tempore Socrates nascitur, vt Eusebius annotauit. Vbi primùm Xerxes ad Persici regni sceptra euehitur, bellum à patre cœptum contra Græcos per quinquennium instruxit. Artabanus filius Hystaspis, Darij frater bellum illud tanquam nec è re Xerxis, nec è republica præscindi debere longo sermone contendit. Mardonius contrà instat bellum illud rapidissime conficiendum, imperio Asiæ annectendum Europæ imperium. Vicit Mardonij sententia, fit militum descriptio, Olympiade septuagesima quinta, Cæsone Fabio Vebulano, & Furio Medulino consulibus, vt Dionysius libro nono tradidit. Adfuit huic exercitui tanta armatorũ militũ copia, vt terrestrium copiarum numerũ fuisse describatur decies septies centena millia. Triremes verò ex vna parte mille ducentæ, & septem. Phœnices verò triremes cum Syriis, qui Palestinam incolunt, trecentas adduxerunt, Aegyptij ducentas, Cyprij centum, Cilices centum: Lycij verò quinquaginta naues adduxerunt, Dores, qui sunt in Asia, triginta, Cares septuaginta, Iones centum, Aeoles sexaginta, Hellesponti centum. Nauium summa trium millium fuit, vt Herodotus supputauit. Iustinus verò in exercitu Xerxis adfuisse naues numero decies centum millia author est. Tam numerosa fuit huius exercitus copia, vt proditum sit flumina ab eo esse siccata, Græciámque omnem vix capere hunc exercitum potuisse. Dum hæc in Xerxis exercitu parantur, Græci in excipiendo tanto exercitu omnem operam adiiciunt. fit armatorum hominum plurimus delectus. Græci,

quibus mandata erat res classiaria, ij fuere: Athenienses naues quadraginta, Magarenses viginti, Chalcidẽses totidem atque Athenienses armauere, Aeginetæ duodeviginti, Sicyonij duodecim, Lacedæmonij decem, Epidaurij octo, Eretrienses septem, Træzenij quinque, Styreenses duas. Vniuersarum coactarum nauium numerus fuit ducentarum septuaginta vnius. His ducem, penes quem summa imperij esset, Spartiatæ præbuerunt Eurybiadem, sed Athenienſium dux fuit Themistocles. At tanto Persarum agmini dux deerat. Si regem spectes, diuitias non ducem laudare debes, quarum tanta copia in regno eius fuit, vt cùm flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiæ superessent. Ipse autẽ primus in fuga, postremus in prælio semper visus est. in periculis timidus. sicubi metus abesset, inflatus. prima inter Græcos & Persas pugna fuit, cùm Persæ ad Ephetas circa diluculum venissent, Græcorum verò naues ad Artemisium stationem haberent: in qua pugna cùm inuicem nunc hi, nunc illi superiores essent, interuentu noctis dirempti sunt: & Græci quidem ad Artemisium reuecti, Persæ verò ad Ephetas multo maius opinione sua certamen experti. Posteriore die eadem qua pridie obseruata hora, Græci naues Cilicum inuasêre, quas vbi corrupêre, & nox aduenit, iterum se ad Artemisium receperunt. Tertio die Persarum duces nõ expectandum amplius censuêre, vt Græci priores pugnam capesserent, sed instructas naues circa meridiem eduxerunt. Contigit autem vt per eosdem dies, & hæc naualia prælia, & alia in Thermopylis terrestria gererentur. Tum Xerxes Athenas versus tendens, Athenas peruenit. Persæ primùm ad portas contendunt, eísque patefactis supplices trucidant, atque vbi omnium stragem fecerunt, direpto templo arcem

incendunt. Tunc Xerxes Athenis omnino potitus est. At Græci, qui apud Salaminem erant, vbi nuntiatum est quo in statu Athenienſium res essent, eò perturbationis deuenêre, vt nonnulli è ducibus non expectarent dum propositum negotium constitueretur, sed in naues irruerunt, ac vela tanquam profecturi ventis permiserunt. Cæteri, qui relinquebantur, statuerunt sibi antè Isthmum prælio nauali decernendum, & cùm nox adfuisset, digressi è concilio naues conscenderunt. at Themistocles ad Eurybiadis nauem cùm perrexisset, tanta vehementia cum eo egit, vt eius sententia ab Eurybiade fuerit comprobata, actúmque vt illic permanentes pugna nauali res decerneretur. At Xerxes superatis Athenis Mardonium tentandi gratia ad duces sui exercitus mittit sciscitatum singulos, prælium nauale facerent nec ne: & postquàm ad Xerxem sunt relatæ sententiæ, vt pluribus sententiis staretur, iussit naualem parari exercitum. Classiarij vbi nuntiatum est illinc esse soluendum, classem Salaminem versus ducunt. vbi Salaminem appulerunt, mox Græci naues omnes soluunt, in quos mouentes omnes continuò Persæ sunt inuecti. conseruntur manus. multitudo regiarum nauium ad Salaminem à Græcis expugnatur, partim ab Athenienſibus corrupta, partim ab Aeginetis, vt potè Græcis seruato ordine ac loco pugnantibus: Persis incompositè & inconsultè agentibus, vt non ab re fuerit talem eis rem contingere, qualis contigit. Cognita sua clade Xerxes, de fugiendo consilium capit: cauens tamen imprimis, vt neque à Græcis, neque à suis fugiens cõspiciatur. Aggerem in Salamine moliebatur educere, nauésque Phœnicum onerarias, vt pro rate ac muro essent, innectebat: ac tanquam aliam pugnam naualem facturus, ad bellum instruebat. Tunc cogitauit The-

miſtocles facilè poſſe adduci regem vt relicta incolumi Græcia in Perſidem cum reliquo ſuo exercitu reuerteretur. Itaque tanquam ineundæ gratiæ cauſa, Xerxi enuntiat, Græcos conſilium agere pontis rumpendi, quem per mare ædificari curauerat: proinde niſi velit ſe grauiori periculo obiicere, illico è Græcia migrandum, priuſquàm tranſeundi occaſio intercluderetur. ille audito nuntio, fugæ ſtatim ſe parat. Cæterùm vbi fugiens offendit pontem vi tempeſtatis abſciſſum, mare nauicula traiecit, extremo etiam vitæ diſcrimine propter concitatum vehementia fluctuum mare. Hæc victoria animum totius Græcie auxit. In pugna rex ipſe non adfuit, ſed cùm paucis nauibus in littore remanens, conflictus ſpectator tantùm fuit. Gloria pugnæ ab omnibus Græcis Themiſtocli delata eſt, quòd eius conſilio parta victoria tota Græcia ſeruata eſt. Cæterùm decedens Xerxes reliquit in Græcia Mardonium ducem cum tercentum millibus militum, ídque ea de cauſa, quòd eius conſilio adductus rex contra ſententiam reliquorum principum in Græciam conceſſerat. ſed breui tempore totum hoc negotium direptum eſt. ſuperati enim à Græcis Perſæ ſuccubuerunt, trucidato etiam Mardonio. Hic fuit tantæ expeditionis exitus. Finito hoc bello Græciæ ciuitates potentia & amplitudine imperij augeri cœperunt. Xerxes terror antea gentium, bello in Græcia infeliciter geſto etiam ſuis contemptui eſſe cœpit, & cùm paulatim collaberetur illius & maieſtas & authoritas, Artabanus Perſiæ ab eo præfectus in ſpẽ regni adducitur. Huic aderãt ſeptẽ fortiſſimi liberi. Is regiã, quæ iure amicitiæ ſemper ei patebat, ſub occaſum ſolis ingreditur. Xerxẽ inopinato caſu aggreditur, eúmq; atroci vulnere cõfodit: & ne à plebe ipſe continuò dilaniaretur, fingit regẽ à Dario ipſius Xerxis

filio, qui erat adoleſcens, quò maturiùs regno potiretur, occiſum. Addit ſceleri ſcelus. Necem Xerxis ad Artaxerxem filium Xerxis defert. Darium paricidij reum agit. crimen expoſtulare, vt Darius pœnas paricidij luat. Addit oleum camino. Artaxerxes indignam patris necem miſeratus, Darium incautum ferro ſuperat. Iam de perdendo Artaxerxe Artabanus cogitat. Inſidias ſibi parari Artaxerxes præſentit, volénſque futurum anteuertere periculum, timénſque ſibi à filiis Artabani, parari exercitum iubet, recogniturus & numerum militum, & in armis induſtriam ſingulorum: & cùm inter cæteros Artabanus armatus adeſſet, eum Artaxerxes gladio traiecit, anno à creato orbe ter milleſimo quingenteſimo decimo quarto, vt Bibliander annotauit. Artaxerxes, qui Darius Longimanus dictus eſt, quadraginta regnauit annos, Olympiade ſeptuageſima octaua. Hoc tempore Macedonum rex erat Perdiccas vndecimus eorum rex. Eſdras ſacerdos apud Hebræos inſignis agnoſcebatur. Hac ætate pontifex maximus habitus eſt Neliaſſib filius Ioachim. Fuit Eſdras eruditiſſimus legis diuinæ omnium Iudæorum, qui de captiuitate remearant in Iudæam, in diſciplinis magiſter. Empedocles & Parmenides phyſici philoſophi clari habentur. Pherecydes Syrus hiſtoriarum ſcriptor agnoſcitur. Cratinus & Plato comœdiarum ſcriptores inſignes agnoſcuntur. Illo quoque tempore Romani iura, ex quibus duodecim tabularum leges conſcriptæ ſunt, per legatos ab Athenienſibus petierunt, & poſtea trecenteſimo ſecundo anno ab vrbe condita, decemviri his legibus interpretandis creati ſunt. Eo quoque tempore Euripides tragœdiarum ſcriptor clarus habetur. Democritus Abderites, & Hippocrates medicus,

Gorgias Hispiaschus & Proclytus philosophi clari habentur. Huc vsque Hebræorum diuinæ scripturæ, & annales temporum continent. Ea verò quæ apud eos post hæc gesta sunt, ex libris canonicis Machabæorum, ex libris Iosephi, & Africani, excipienda sunt. Circa hæc tempora Olympiade octogesima octaua, Pericles moritur. vltimo anno octogesimæ octauæ Olympiadis Plato nascitur, & Socrates clarus habetur. Sunt qui hoc tempore septuaginta hebdomadas à Daniele conscriptas enumerari censent, quæ annos quadringentos & nonaginta continent, & Neronis regno explentur. Sub Nerone obsideri Hierusalem cœpta, secundo postea Vespasiani anno capitur. Quæ omnia latiùs Eusebius in suis historiis prosequitur. Huic Artaxerxi dextera manus longior fuit sinistra, vnde illi Longimani cognomen. Philo Iudæus eum Darium Longimanum vocat. Aduertendum est tamen quod Strabo libro decimo, & Guillelmus Budæus libro de Asse quarto annotauit, Darium, qui obtruncatis Medis à septem primoribus viris Persiæ regno præpositus est, Longimanum appellari, vt suprà in Dario annotauimus. Hic Iudæis potestatem extruendi templi denuò concessit, Esdrámque sacerdotem Hierosolymam redire permisit, qui sacræ scripturæ dispersos libros in ordinem redegit, vt secundo Esdræ libro latiùs aperitur. Artaxerxe defuncto, Darius Nothus sola affinitate Longimano iunctus, (neque enim filius Longimani fuit, sed eius sororem sibi connubio iunxerat) rex Persarum creatur. Bibliander eum Xerxis filium mauult. alij mortuo Artaxerxe, Xerxem secundum, filium Artaxerxis regnasse malunt, quem post mensem & quindecim dies Sogdianus interfecit. Eusebius eum regnasse menses octo mauult. hunc

Ctesias, qui his vixit temporibus, inter Persarum legitimos reges non numerat. hic Darius Nothus nouem & decem regnauit annos, vt Dionysius, & Eusebius volunt. Ctesias hunc Ochum vocat, regnasséque eum annos triginta quinq; author est, anno, vt Bibliander annotauit, à creato orbe term illesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Olympiade, vt Eusebius vult, octogesima nona. Dum Darius Nothus Persicis rebus satagit, Aegyptus à Persis defecit, & in Aegypto regnauit Amarthæus annos sex. Alcibiades profugus abiit ad Tisaphernem. Euripides & Sophocles moriuntur. Macedonum rex erat Orestes. Dario Notho ab hac luce subtracto superfuerunt duo liberi. primogenitus Artaxerxes Mnemon dictus est, cui pater testamento regnum reliquit. Cyro secundo genito ciuitates, quibus præfectus erat, testamento legauit. sed Cyro patris iudicium, iniuria visa est. Ideo armis furtim collatis fratrem adoriri statuit. Quod vbi resciuit Artaxerxes, accersitum ad se fratrem compedibus aureis vinxit: quem postea cùm dimisisset, aperta professione bellum parauit, auxilia vndique contrahens. Et cùm sorprelij vtrumque fratrem pugnæ obtulisset, prior Artaxerxes à fratre vulneratur, quem cùm equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus à cohorte regia oppressus interficitur. Sic victor Artaxerxes, & præda fraterni regni, & exercitu potitur. Dum hæc in Perside geruntur, Græcia omnis velut in sua viscera tela conuertit, frequentibúsque incursionibus omnis ager diripitur: villæ incendio flagrant: omnia quasi senio labefactata collabuntur. Tunc Artaxerxes Mnemon legatos in Græciam mittit, per quos iubet omnes ab armis discedere: qui aliter fecerit, hunc pro hoste habiturum: quo accepto mandato fessi tot intestinis bellis Græci, paruêre. Hoc

anno Roma à Gallis Senonibus capta est. Huic Artaxerxi ex pellicibus, centum & quindecim liberi fuêre: sed tres tantùm legitimo matrimonio suscepti, Darius scilicet, Ariazates, & Ochus. Ex his Artaxerxes pater Darium primo genitum viuens regem designat: nihil sibi ablatum existimãs quod in filium contulisset: sed filius post noua paternæ pietatis exempla interficiendi patris consilium capit. Dum patri insidias parat, deprehensus cum sociis pœnas paricidij Diis paternæ maiestatis vltoribus dedit. Postea Artaxerxes Mnemon morbo ex dolore contracto decessit. Eusebius in historiis hunc Artaxerxem Mnemonem putat illum esse, qui ab Hebræis Assuerus, & à septuaginta interpretibus Artaxerxes vocabatur. quod Zonaras, & Bibliander non probant: vt supra in Dario Hystaspis discussimus. Regnauit hic Artaxerxes Mnemon cognominatus annos quadraginta. Auspicatus est regnum tertio nonagesimæ tertiæ Olympiadis anno, vt Eusebius vult, ab orbe creato ter millesimo quingentesimo septuagesimo tertio. Sub hoc rege Eusebius author est historiam, quæ in libro Ester continetur, conscriptam fuisse. Hoc quoq; tempore Isocrates rhetor agnoscitur. Democritus moritur Olympiade nonagesima quarta. Alcibiadem Pharnabasus interimit, Olympiade nonagesima quinta. Hoc rege in Perside regnante, Athenienses viginti & quatuor literis vti cœperunt, cùm antea sexdecim tantùm vterentur. Xenophon filius Gryllí & Ctesias clari habentur. Socrates hausto veneno extinguitur. Diogenes Cynicus agnoscitur. Plato philosophus in pretio habetur, & Olympiade centesima tertia Aristoteles decimum octauum annum agens, Platonis auditor est. mortuo Artaxerxe Mnemone, Ochus Artaxerxis filius duodecimus Persarum

sarum rex designatur. Qui timens similem coniurationem, quæ patri contigerat, regiam cognatorum cæde, & strage principum replet, nulla sanguinis habita ratione: sed hæc frustra. eadem enim crudelitate à præfecto quodam familiari suo interimitur. Is vrbem Sidoniam condidit, & Aegyptum, quæ defecerat, ad Persidis monarchiam iterum adiecit. Hunc Ochum, Artaxerxem Eusebius nominat: Bibliander Ascaram quoque dictum ait. Regnauit annos sex & viginti, rebus præclarè gestis parum memorabilis. Vixit Olympiade, vt Eusebius vult, centesima tertia: anno ab orbe condito, vt Theodorus Bibliander annotauit, ter millesimo sexcentesimo decimo tertio. Eo tempore Philippus vigesimus secundus Macedonum rex erat. Hoc quoque tempore Romæ Camillus Gallos, qui Romanis bellum intulerant, prælio fudit: Demosthenes orator agnoscitur, & postea omnium fama celebratur. Æschines iam orator celeberrimus agnoscebatur. Plato moritur, post quem Academiam Speusippus rexit. Mortuo Ocho Arsames (ab Eusebio Arces nominatur) Ochi filius, adhuc puer rex decimus tertius designatur. Qui vbi adolere cœpit, interimitur, postquàm quatuor regnauit annos, Olympiade centesima vndecima, vt Eusebius annotauit, anno ab orbe creato ter millesimo sexcẽtesimo quadragesimo. Hoc tempore Iaddus Iudæorum maximus Pontifex clarus habetur. Speusippus, qui Academiam post Platonem rexerat, moritur: cui successit Xenocrates. Eadem Olympiade centesima vndecima Alexander vigesimus tertius Macedonum rex creatur. Cum hoc Arsame totum genus clarissimi herois, & regis Darij extinctum est, & regnum Persarum translatum ad externum principem. Iustinus istius Arsamis nõ meminit, sed ab Ocho-

progeniem Persarum regum finem accepisse author est, vt libro decimo tradidit. Eusebius longè aliter hanc regum Persarum seriem recensет, vt postea discutietur. Finita regum Persarum legitima sobole populus electione nouum regem creauit, Darij nomine, ne quid regiæ maiestati deesset, honoratum: qui ab Ocho antea princeps Armeniæ ob insignem in rebus bellicis virtutem factus erat. Eusebius hunc Darium quartum decimum & nouissimum Persidis regem non ex externa regum Persarum progenie satum existimat: quod & Philippus Melanchthon in Arsame Persarum rege comprobauit, sed Arsamis regis filium esse censet: & eum sex annos regnasse scribit: anno ab orbe condito, vt Theodorus Bibliander supputauit, ter millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, Olympiade, vt Eusebius vult, centesima vndecima. Carion mauult anno ab orbe condito ter millesimo sexcentesimo trigesimo quarto. Hoc tempore Manasses frater Iaddi Pontifex Iudæorum templum in monte Garizin construxit. Alexander Magnus cognomine, aduersus Illyrios, & Thracas feliciter dimicans subuersis Thebis in Persas arma corripuit sequente Olympiade, quæ fuit centesima duodecima. Manlius Romanorum consul filium suum, quòd contra imperium in hostem pugnauerat, virgis cæsum securi percussit. Anno postea ob orbe condito ter millesimo sexcentesimo quadragesimo nono victus Darius ab Alexãdro est: & quia hæc rerum series in Macedonico imperiò latè tractatur, non agam prolixiùs. Diuitiæ, quas Darius huius belli tempore in manu habebat, initio huius monarchiæ à nobis amplè declaratæ sunt. superest vt luxus castrensis sui ministerij recenseatur. Parmenio ad regem Alexandrum scribens de thesauris repertis sic scribebat: Pal-

lucas inueni canendi peritas, & musicæ variæ artifices, ad regis oblectationem intentas numero trecentas vndetriginta: viros coronamentorum artifices sex & quadraginta, coquos ducentos & septuaginta, septem figulos ad culinarum instrumentum in castris fingendum vndetriginta, lactarios pistores tredecim, potionum temperatores, concinnatorésque liquorum decem & septem, vnguentarios insuper quadraginta. Si igitur tantus splendor fuit, támque copiosus in statiuis, & castris apparatus: quantum concipere animo possumus eum fuisse apparatum, qui Babylone aut Susis à Persepoli fuit? quod Guillelmus Budæus libro de Asse tertio latiùs prosequitur. Fuerunt in Persico imperio reges Deum rectè colentes Darius Medus, Cyrus, Artaxerxes Longimanus. Hi laudãtur in libris Danielis, & Esdræ: vt Philippus Melanchthon in Arsame rege Persarum annotauit. Hic fuit finis Persici imperij. Liquidò constat regnum Persarum à capta per Cyrum Babylone, vsque ad occasum vltimi Darij habere annos ducentos & triginta, qui ex Hieronymi patris sentẽtia ad amussim excutiuntur: & temporis supputatio certior est ex eo, quòd Eusebius libro octauo Demõstrationis Euangelicæ refert Alexandrum Macedonẽ mortuum Olympiade centesima decima tertia, anno ducentesimo trigesimo sexto regni Persarum: si enim sex anni monarchiæ Alexandri adiiciantur ad ducentesimum trigesimum annum, peruenietur ad initium Persicæ monarchiæ. Ptolomæus numerat à prima Olympiade annos quadringentos quadraginta & sex, & dies nonaginta & sex ad destructionem Persicæ monarchiæ fluxisse. Sunt autem Olympiades centum & vndecim, & anni duo cum parte anni tertij centesimæ duodecimæ Olympiadis. certum verò est, & consensu plurimo-

rum authorum longè receptum, Cyrum & Darium Persicam monarchiam condidisse, Olympiade quinquagesima quinta: ideo sunt Olympiades quinquaginta quatuor subtrahendæ, vel anni ducenti & sexdecim: & relinquuntur anni ducenti & triginta, & dies aliquot pertinentes ad primum Alexandri annum, & Macedonicæ monarchiæ. Carion initio tertiæ monarchiæ, Persarum regnum durasse tantùm centum nonaginta & vnum annum author est, & trecentos viginti annos ante Christum natum, anno à creato orbe ter millesimo sexcentesimo trigesimo quarto. Darius igitur ab Alexandro victus omnibus suis regionibus amissis, vitam pariter & totam monarchiam Persarum perdidit: errauitque huius tam potentis regni fortuna per diuersos casus, vsque ad annum à creato orbe quater millesimum centesimum octuagesimum nonum, & ad annum nostræ salutis ducentesimum vigesimum octauum: quo tempore Vrbanus decimus sextus Romanus Pontifex Romæ erat, vt historia Ecclesiastica libro sexto capite decimo octauo tradidit, & Romanum imperium Alexander regebat, cuius mater Mammea audita Origenis fama ex Antiochia eum ad se accersiuit, vt historia Ecclesiastica libro sexto, capite decimo sexto fusiùs enuntiat. Artaxerxes Persa Artabanum Parthorum regem obtruncauit, regnúmque Persis restituit, & regnauit annos quindecim. cœpit regnare anno Alexandri Romani imperatoris quarto, vt Agathius libro de bello Gothorum secundo, & quarto fusiùs tradidit. Claruerunt ea tempestate viri doctissimi, qui Aurelio Alexandro Seuero vigesimo sexto imperatori à consiliis fuêre, vt Fabius Sabinus, Domitius Vlpianus, Aelius Gordianus, Iulius Paulus, Pomponius, Alphenus Africanus, Florẽtinus, Martianus, Callistratus,

Hermogenes, Venulcius, Triphonius, Metianus, Celsus, Proculus, & Modestinus: hi omnes fuere iuris professores, & discipuli Papiniani: quæ omnia Lamprydius copiosè discussit. Alexander imperator hunc Artaxerxem Persarum rege bello vicit, & de eo triumphauit. quo autem anno id acciderit, in tanta authorum diuersitate coniicere vix facile possumus. Herodianus ad nonum Alexandri annum hanc victoriam referre videtur. plerique Alexandrum multitudine Persarum victum existimarunt. Secundus Persarum rex fuit Sapores, anno à creato orbe quater millesimo ducentesimo quinto. Anno verò salutis nostræ ducentesimo quadragesimo tertio, quo anno Beryllus Bostrenæ vrbis Episcopus in errorem de æternitate Christi delapsus ab Origene emendatur, vt historia Ecclesiastica capite vigesimo quarto tradidit, Romæ Antherus decimus septimus Ecclesiæ Episcopus præest. Persecutio aduersus Ecclesiarum sacerdotes à Maximino suscitatur, quæ cum eius imperio pariter & cœpit & desiit, vt Ecclesiastica historia capite vigesimo, & Orosius libro septimo, capite decimo nono fusiùs prosequuntur. Anno salutis nostræ ducentesimo quinquagesimo nono, Sapores Syriam, Ciliciam, & Cappadociam populatur: cui Valerianus Romanorum imperator cum validò exercitu occurrit, & in Mesopotamia prælio commisso victus ac captus est, & in Perside miserabili seruitute consenuit, anno salutis nostræ ducentesimo sexagesimo secundo. Odenatus Palmyrenorum rex Orientis occupat imperium, & Persas maximo prælio vicit & excidit, ita vt ad Ctesiphontem fugato Sapore Persarũ rege castra locaret, vt Pollio fusiùs prosequitur. Is Odenatus totius Orientis imperium obtinuit, & anno sequenti à

Gallieno in imperij consortium assumitur, Augustúsq; dictus est anno Christi ducentesimo septuagesimo quarto. Ormidates tertius Persarum rex creatur, & anno Christi ducẽtesimo septuagesimo quinto Varanes quartus rex Persarum designatur: cui in regno successit Varanes huius nominis secundus, quintus Persarum rex. Hic à quibusdam historicis Narceus dicitur. Dum hæc in Perside geruntur, Paulus Samosatenus vltimo Antiochiæ Episcoporum habito concilio hæreticus damnatur, & in Episcopatu subrogatus est ei Dõmus Demetriani filius, cúmque Paulus cedere dignitati nollet, authoritate Aureliani manu publica ab Episcopatu detrahitur, vt Ecclesiastica historia capite vigesimo sexto fusiùs tradidit. Hoc quoque tempore Aurelianus imperator cùm aduersus Christianos nouam meditaretur persecutionẽ, fulmine, quod iuxta eum comitésque eius ruebat, nihil ad meliora flexus, sed scriptis iam mandatis in Christianorum perniciem flexus à suis occiditur, vt Eusebius, & Orosius libro septimo, capite vigesimo sexto, & Ecclesiastica historia capite septimo fusiùs annotarunt. Eo tempore Manichęorum hæresis à Manete quodam in commune humani generis malum exoritur, vt Ecclesiastica historia libro septimo capite vigesimo septimo annotauit. Caius quoque Romæ summo Pontificis magistratu defungitur. Francis verò Clodius trigesimus secundus Francorum rex erat. Et anno Christi ducentesimo, nonagesimo quarto Varanes huius nominis tertius, sextus Persarum rex creatur, cui anno nostræ salutis ducentesimo nonagesimo quinto successit Narses, septimus Persarum rex, qui regnauit annis septem, & mẽsibus nouem. Hic anno Christi trecentesimo Mesopotamiam & Armeniam acri bello concussit, & anno Christi trecentesimo secundo Misdates Persarum rex octauus, regnauit annos septem, menses nouem: & anno salutis nostræ trecentesimo decimo, Sapor Persarum rex nonus in vtero matris coronatus, regnauit annos septuaginta. Hoc tempore Lactantius Firmianus Crispi Cæsaris Magister, vir omnium illius temporis eloquentissimus claruit, sed adeo pauper vt plerunque etiam necessariis indiguerit, vt Eusebius fusiùs tradidit. Hoc eodem tempore Constantinus pacem Christianis restituit, qui Byzantium Thraciæ vrbem ampliss imis muris circundedit, multísque nouis & splendidis ædificiis ornauit, & ex nomine suo Constantinopolim dixit, Romæ Pacatiano & Metilio Consulibus. Dum hæc in Romano imperio geruntur, Sapor Persarum rex Christianos execrabili clade prosequitur. hinc bellum Persicum, de quo Pomponius Lætus fusiùs scripsit, anno Christi trecentesimo sexagesimo quarto, Sapor Syngaram & Bambycam deletis Romanorum legionibus expugnauit. Anno Christi trecentesimo octuagesimo Artaxerxes decimus Persarum rex creatur, qui regnauit annos vndecim. Hoc tempore Ambrosius Mediolanensis Episcopus multa de fide Christiana doctissime, vt Cassiodorus testatur, scripsit: Concilium Constantinopoli congregatur, vt Tripartita historia capite duodecimo scribitur, & Concilium occidentalium Episcoporum Romæ, & lex lata de fide Nicena suscipienda, de qua Tripartita historia capite septimo, & Codice Iustiniani de summa Trinitate & fide Catholica. In ea tamen temporis supputatione est nonnihil controuersæ supputationis. anno Christi trecentesimo nonagesimo primo, Sapores vndecimus Persarum rex regnat annos quinque, cui anno

trecenteſimo nonageſimo ſexto ſucceſſit Varanes. Circa hæc tempora pater Auguſtinus beati Ambroſij diſcipulus Hipponenſis Epiſcopus in Aphrica ordinatur, & poſtea anno Chriſti 434. Auguſtinus diem clauſit extremum, vt Diaconus libro primo tradidit. Claudianus poëta inſignis habetur. Anaſtaſius trigeſimus ſeptimus Romanus Epiſcopus eſt. Imperij ſceptra moderatur Valentinianus, cui Franci tributum pendere negant. Romani Francorum ditionem inuadunt, à Treuerenſibus cladem accipiunt: inde nouum bellum natum. Anno Chriſti quadringenteſimo nono, Iſdigertes decimus tertius Perſarum rex creatur, & anno quadringenteſimo vigeſimo primo Paulus Oroſius hiſtoriam conſcripſit. Hoc quoque tempore Faramundus dux Orientalis Franciæ omnium Francorum conſenſu rex declaratur. regnat annos ſeptem, alij vndecim malunt, ſed errore: quia ante Honorium imperatorem obiit, vt libro primo Paulus Aemilius teſtatur. Anno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo Varanes decimus quartus Perſarum rex eſt. Hic Chriſtianos nefando odio proſecutus eſt. Hinc bellum grauiſſimum inter Romanos & Perſas exoritur: & anno quadringẽteſimo quadrageſimo ſeptimo, Varanes huius nominis quintus patri in Perſarum regno ſucceſſit: hoc tempore Eutychiana hæreſis Conſtantinopoli exoritur. Annianus Aurelianenſis Epiſcopus claret, & Merouæus Francorum rex ſuccedens patri regnauit annos duodecim, alij decem malunt, & ſic errori in annis Faramundi medentur. Hoc tempore Athila Hunnorum rex Aurelianum obſidet. Huic Perſarum regi anno quadringenteſimo nonageſimo quarto ſucceſſit Perozes, de cuius regno & morte

morte fuſiùs ex Procopio accipe, cui ſucceſſit Valens decimus ſeptimus Perſarum rex. decimus octauus rex fuit Canades. decimus nonus Perſarum rex annumeratur Lambaſes, quẽ Procopius Blaſen nominat. Anno quingenteſimo tertio Canades opera vxoris è vinculis ereptus, Hunnorum auxilio regno reſtituitur, mox Armeniam irrupit. Amidam, Meſopotamiam cepit. Anaſtaſius biennio pòſt Amidam recepit, & cum Perſis inducias pepigit, vt Agathius & Procopius fuſiùs edocent. interea Canades Chriſtianos in Perſide perſequitur, quoſdam poplite eneruauit, qui tamen poſtea ambulauerunt. Anno quingenteſimo vigeſimo tertio bellum cum Perſis exarſit, & anno quingenteſimo vigeſimo ſexto fœdus inter eos percutitur. Anno quingenteſimo trigeſimo tertio Coſroes in Perſide regnat, anno quinto Iuſtiniani imperatoris, & pacem cum Iuſtiniano iniit, fide tamen fracta Coſroes Ciliciam & Syriam inuaſit, & Antiochiam vi oppugnauit, vt Procopius ſcripſit. Anno quingenteſimo ſeptuageſimo quarto Hormiſda in Perſide regnat, & anno quingenteſimo ſeptuageſimo nono Perſæ à Tiberio vincuntur. Caſtra & regina cum omni ſupellectili in Romanorum manus deiiciuntur. Romani vſque ad Caſpios populantur. Anno poſtea quingenteſimo octuageſimo nono Coſroes Hormiſdæ filius, capto patre, Perſarum regnum inuaſit, & regnauit annos nouem & triginta. Anno ſexcenteſimo ſeptimo Perſæ Meſopotamiam, & Syriam cepere. Palæſtinam & Phœniciam populantur, & Armeniam, Cappadociam, Galatiam, & Paphlagoniam capiunt, vſque ad Chalcedonem omnia populantes. Perſæ Edoſſam & Capeſſam ceperũt. Romanos vicerunt. Anno Chriſti ſexcẽteſimo decimo quinto Perſæ Paleſtinam Hieroſolymámq; capiunt.

Zachariam patriarcham cum ornamentis & populo abducunt. Anno sexcentesimo decimo septimo Persæ Carthaginem capiunt. Cosroës Heraclio pacem superbè negat, & Ancyram Galatiæ capit, & subactos à se populos tyrannide premit. Anno sexcentesimo vigesimo tertio Heraclius Persidem ingressus, Cosroëm in Mediam prosequitur, incendiis & cædibus omnia complens, & Persæ ab Heraclio vincuntur. Anno sexcentesimo vigesimo sexto Zeibi Turquorum Cazarorum dux Persas inuadit, instigante Heraclio. proximus rex Persarum anno sexcentesimo trigesimo octauo creatur Siroes, cui successit Adhesir, & occiso Adhesire regnat in Perside Sarbaras, cui suffectus est Bornarim Cosrois filius, & nouissimo loco, anno sexcentesimo vigesimo primo Hormisda nouissimus Persarum rex fuit. qui victus à Saracenis, quorum Amiras rex erat, finem regno imposuit. Sic anno salutis nostræ sexcentesimo trigesimo quarto Persarum regnum à Saracenis excipitur, & ingens schisma in Ecclesia oriẽtis exoritur, quo in Christo vnica tantùm natura contra Chalcedonẽsem synodũ asserebatur, vt Annales tradiderũt. Hoc tempore Heraclius Romanorum regebat imperium. Bonifacius quartus Romanus est Pontifex. Dagobertus regnum Franciæ regit. Breui post tempore Saraceni Bahanem præfectum Syriæ cum copiis cædunt. Damascum vi oppugnant. Aegyptum ad pendendum tributum cogunt. Hierosolyma post biennij obsidionem à Saracenis capitur, & omnem Syriam imperio premunt. Antiochia iuris Saracenorum fit, & sic regnum Persarum, quod tot annos cum maximo imperio floruerat, in Saracenorum ditionem deiicitur. Anno postea à Christo nato millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, Hussacassani Armeniæ, & Persarum imperator Turcas acri clade superat, vt Paulus Aemilius fusiùs prosequitur, & anno Domini millesimo quingentesimo quinto Sophi Persarum rex cum Turcis in Asia congressus, multa eorum millia occidit, & anno millesimo quingentesimo decimo quarto Sophi Turcas in maiori Armenia magna strage vicit. & anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Sophi duplici clade Turcas in oriente afficiunt: éstque hodie regnum Persarum diuitiis, & virorum robore potens.

DE MACEDONICI REGNI ORIGINE ET EXCIDIO.

CRAECIAE nationi vicina est Macedonia. Hæc hodie pro magna parte Albania dicitur, quæ in Epirum vsque porrigitur, olim à rege Ematho Emathia appellata. Ab initio Macedoniæ regnum angustum, & paruum, sed regum virtute, & vulgi prudentia latissimè propagatum est, vt Eusebius annotauit. Liuius libro quinto quintæ Decadis Macedoniam obscura admodum fama, vsque ad Philippum Amyntæ filium fuisse ait. Inde per eum creuisse, Europæ se tamen finibus continuit. Græciam omnem & partem Illyrici & Thraciæ amplexus. Liuius & Eusebius Macedonum exordiuntur regnum à Cranao primo rege, anno à Troia capta trecentesimo septuagesimo primo, quo tempore Procas Syluius decimus quartus

Latinorum rex erat, Assyriorum regnum Arbaces in Medos transtulerat, Hebræis verò Ozias rex imperabat, Atheniensium rex erat Agemmestor, Corinthiorum Alexander. Hic primus adunatis gentibus variorum populorum veluti vnum corpus Macedoniæ fecit, crescentique regno valida incrementorum fundamenta constituit, & Macedoniæ nomen stabiliuit. Is (vt Sabellicus ait) Oraculi iussu cum Græcorum multitudine in eam terram venisset, vbi cadentis imbris strepitu, densáque caligine capras ad oppidum fugientes sequutus, Ediſſam vrbem improuiso accessu occupauit, illam Aegeam siue Aeglem appellauit illis, qui eum locum incolebant, finibus illius territorij pulsis, vnus in omnium locum successit, tum demum populis illius imperio assuescere coactis legitimi regni formam, & quasi Macedoniæ corpus deliniauit. Philippus Melanchthon nomen Macedoniæ factum esse à Kittin author est. fuit autem Kittin filius Iauan, & sacri libri affirmant Alexandrũ ortum esse ex Kittin. Herodotus reges Macedoniæ ab Hercule originem traxisse vult. Guillelmus Langeius ordinis Gallici miles auratus, libro Gallicæ historiæ tertio author est, Bremon postquàm arte Furij Camilli pulsus est Roma, in Macedoniam acies suas cruore Romano adhuc madentes traduxisse, vbi Belgius Gallici exercitus ductor Ptolomæum Macedoniæ regem ferro superauerat regníque sceptra sibi adscripserat. Cùm Macedones rebellassent, aliúmque regem Sosthenem sibi asciuissent, omnem Macedoniam ferro & igne absumpsisse, vt in Gallica historia fusiùs discutietur. Regnauit Cranaus primus in Macedonia annos octo & viginti. Eusebius & Glareanus huius regis successorem & Macedoniæ regem Cœnum recensent, qui regnauit in Macedo-

nia anno à Troia capta trecentesimo nonagesimo quarto, dum Amulius Syluius decimus quintus Latinis rex est, Ozias verò duodecimus rex Hebræorum regno potitur, Hieroboam duodecimus Israëlitarum rex est, Aegyptiorum rex erat Psammius, Atheniẽsium sceptra moderabatur Aeschylus, Corinthiorum rex erat Automenes. Tertio loco, vt Eusebius & Glareanus authores sunt, regnauit in regno Macedonum Tyrimas Olympiade secunda, anno à Troia capta quadringentesimo duodecimo. Iustinus libro sexto Perdiccam proximè post Cranaum regnasse author est, quod & Sabellicus probat, Olympiade vndecima, anno ab vrbe condita decimo septimo. Plerique ex recentioribus eum primũ Macedoniæ regem contendunt: vtcunq; sit, huius regis tempore regnarunt in Media Medidus, in Iudea Ezechias, in Aegypto Aethiops, Romę Romulus, Athenienſiũ rex erat Aesimedes, Lydorum Alyattes, Quintus Macedonum rex fuit Argeus, Olympiade vigesima quarta. Hoc tempore Chalcedon condita perhibetur. Dum Argeus in Macedonia regnat, Romæ Tullus Hostilius rex est, Iudæis Manasses, Aegyptiis Merres, Athenis Leocrates, in Lydorum regno Gyges. Argeo in regno Macedonum successit Philippus Olympiade trigesima tertia, anno ab vrbe condita centesimo nono. Huius Philippi sexti Macedonum regis tempore regnarunt Romæ Ancus Martius, Thales Milesius Physicus philosophus agnoscitur, quem vixisse aiunt vsque ad quinquagesimam octauam Olympiadem. Medorum rex erat Cyaxares, Iudæorum verò rex erat Iosias. Prophetarunt eo tempore Hieremias & Sophonias. Aegyptiorum rex erat Psammeticus, Lydorum rex erat Ardys. Septimus Macedoniæ rex fuit Europs, Olympiade quadragesima tertia. Hoc

tempore Medis Astyages, Iudæis Ioachim, post quem Eliachim. Hoc tempore Daniel, Azarias, & Misaël prophetarunt. Romæ regnabat Tarquinius Priscus. Postea regnauit, vt plerique ex nostris tradiderunt, Alcetas, Olympiade quadrageſima ſeptima, quo tempore Romæ regnat Seruius Tullius ſextus Romanorum rex, Medis Astyages imperat, Nabuchodonoſor rex Chaldæorum Hieroſolymis captis, templo incenſo, Iudæa potitur. Corinthiorum regnum deſtruitur, Lydorum rex Alyattes eſt. Solon Draconis legibus, extra eas, quæ ad ſanguinem pertinebant, antiquatis, iura ſua conſtituit. Iuſtinus Amyntam regem eo ordine quo nos Perdiccam poſuimus, recenſet. Poſtea regnauit Alexander, quo ſublato regnauit Amyntas annos quinquaginta. Hoc tempore Cyrus Medorum deſtruxit imperium, Astyage rege Medorum ſubuerſo. Nabuchodonoſor moritur: cui ſucceſſit in imperio Euilmerodach. Ieſu filius Ioſedech, & Zorobabel clari habentur, qui & principes fuerũt Iudæorum, qui regreſſi ſunt in Iudæam. Romæ Seruius Tullius regnabat, & in Aegypto Amanſis, nouiſſimus Lydorum rex Crœſus fuit. Amyntas relictis Alexandro, Perdicca, & Philippo tribus liberis, fatis conceſſit. huic ſucceſſit primogenitus Alexander, qui inter prima regni initia bellum ab Illyriis pacta mercede, & Philippo fratre dato obſide, redemit: vt Iuſtinus & Curtius tradiderunt. At Diodorus Amyntam Illyriis, qui eum bello fuderant, ſtipendium pendere, & obſidem Philippum cæteris filiis iuniorem dare compulſum fuiſſe ait. Interiecto tempore Alexander per eundem Philippum obſidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat: quæ res Philippo incrementa maxima egregiæ virtutis dedit. ſiquidem triennio Thebis obſes

habitus prima pueritiæ rudimenta in vrbe ſeueritatis antiquæ, & in domo Epaminondæ ſummi & philoſophi & imperatoris depoſuit: ſic Iuſtinus & Curtius. Diodorus verò Illyrios Philippum obſidem Thebas cuſtodiendum miſiſſe mauult, eámque ciuitatem curam adoleſcentis Epaminondæ demandaſſe: paulò pòſt Alexander inſidiis Euridicæ matris appetitus occubuit, cui ſucceſſit ſecundo genitus frater Perdiccas, qui paulò pòſt ſimili inſidiarum fraude, relicto paruulo filio, deiicitur. Philippus poſtea diu non ſe regem, ſed pupilli tutorem egit: at vbi grauia cœperunt prorumpere bella, populúſque ſerum auxilium in expectatione infantis cõſpexit, Philippum ad ſceptra Macedoniæ capeſſenda cõpulit: & ingreſſus imperium, magna de illo omnibus expectatio ſuborta eſt, Olympiade centeſima quinta, Romæ Conſulibus Genutio & Lucio Aemilio, vt Diodorus & Curtius tradiderunt. Euſebius hunc Philippum vigeſimum & ſecundũ Macedoniæ regem annumerat, reges Macedoniæ hac rerũ ſerie recenſens, Cranaus, Cœnus, Tyrimas, Perdiccas, Archeus, Philippus, Europs, Alcetas, Amyntas, Alexander, Perdiccas, Oreſtes, Archelaus, Pauſanias, Amyntas, Argeus. Alexander, Ptolomæus, Perdiccas, Philippus. ad Philippum redeo. Expectatio quam concepit de Philippo Macedonicus populus, eum non fefellit: cùm enim Græciæ ciuitates interſe præliis maderent, & quædam regem Philippum Macedonem in ducem elegiſſent, quò aliis potentiores eſſent: breui factum eſt, vt Philippus tam has quàm illas vrbes adiecerit regno, variis vſus aſtutiis. Primùm illi cum Athenienſibus certamen fuit, quibus per inſidias victis, metu belli grauioris cùm interficere omnes poſſet, incolumes ſine pretio dimiſit, deinde vrbem nobiliſſimam Lariſſam capit, Theſſaliámq;

omnem oppugnat, & dum contentiones ciuitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter & victores subire regiam seruitutem coëgit: quod Thebanorum & Phocensium bellum satis ostendit. Cappadociam vniuersam suo annectit imperio. His ita gestis, fortè euenit vt cùm duo fratres reges Thraciæ disceptationũ suarum iudicẽ Philippum elegissent, is more sui ingenij ad iudicium, veluti ad bellum inopinantibus fratribus instructo exercitu superuenit. vtrũque non iudicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliauit. Plinius libro secundo, capite vigesimo septimo vexatam summopere Græciam à Philippo Olympiade centesima septima author est. deinde Epirum quoque sibi audientem fecit, expulso Epiri rege. sic & regi Scythiæ bellum indixit, cuius ditio protendebatur ab aquilone vsque ad eum locum, vbi Danubius in mare sese effundit. inæstimabilem rapinam abduxit, tantásque equitum & militum copias in vnum collegit, vt etiam Persidis rex sibi timeret, qui imperium suum ampliauerat vsque ad Ponticum mare. Interea Philippus totis viribus nititur, vt totius Græciæ dux deligatur, & ciuitatibus Græciæ denuntiat, aliqua se cupere de communi omnium commodo consultare. Conuentus Corinthi habitus est, in quo multa de bello contra Persas renouando loquutus, spem bonam eius rei omnibus faciens, animos eorum qui conuenerant ad negotium comprobandum induxit, nouissiméque à Græcis omnibus dux, & potestatis summæ imperator appellatus, apparatum magnum inire cœpit copiarum, quæ contra Persas ducendæ essent. Imperato igitur ciuitati cuiuis militum numero, quem instruere deberet ad bellum Persicum, in Macedoniam reuersus est, Quinto Publio, & Aemilio Mamerco Romæ cõsulibus. Interea Attalum & Parmenionem

menionem cum parte copiarum in Asiam præmisit. Cleopatræ ex Olympiade vxore filiæ, Alexandro Epirotarum regi desponsatæ nuptias celebrare instituit, vtq; plures ex Græcia ad geniale epulum conuenirent, magnificentissima certamina, & conuiuia ad amicos, & hospites excipiendos lautissima facere decreuit, maximè cupiens humanitatem suam Græcis testatam esse, atque pro beneficio traditi imperij benigna saltem oratione eis gratias rependere. Interea dum hæc omnia parantur, Pausanias iræ, quam concoquebat, adduxit auxilium, dilationem nullam interponens. In ipsis certaminibus vim Philippo inferre tali modo instituit. Parauit equos ad portas vrbis, dein ad theatri abditum se recepit cum gladio, quem occultum tenebat. Ibi dum Philippum, qui omnes, qui aduenieb ant, in theatrum intromittebat, speculatoribus procul amotis, eum solum relictum conspicit, ad eum cucurrit, & ad latera vulnere adacto mortuum eum prostrauit, ad portásque, vbi fugæ equi parati erant, properè contendit. Statim verò qui pro rege soliti erant excubare, partim ad regium corpus, partim se ad regis persecutorem insequendum effuderunt: sed Pausanias prægressus, equo insiliens facilè insequentes fefellisset, ni inter currendum vite quadam hærente ad calcem retentus decidisset, vbi eum conantem de terra surgere inuadentes confoderunt. Sic dies lætitiæ destinatus, fœdus luctu funeris fuit. Hic Pausanias primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat, cuius indignitati hæc etiam fœditas accesserat: nam perductum in conuiuio solutúmque mero Attalus non suæ tantùm, sed & conuiuarum libidini velut vile scortum subiecerat, ludibriúmque omnium inter æquales reddiderat. Hanc rem ægreferens Pausanias, querelam sæpe ad Philip-

pum detulerat, & cum variis illusionibus non sine risu desereretur Pausanias, iram in ipsum Philippum vertit, vltionem, quam ab aduersario non poterat, ab iniquo iudice exegit. Comminiscuntur scriptores & alias admissæ huiusce cædis rationes. Fuerat antea Philippus dum vrbem Methonem oppugnabat, ictu sagittæ dextro oculo orbatus, & redeunti à Scythia Philippo cùm Triballi occurrissent prohibentes eum itinere, magno vulnere in femore sauciatus est, taléque vulnus extitit, vt per corpus Philippi eius equus interficeretur. Vixit annos septem & quadraginta. regnauit quinque & viginti annos, fuítque vigesimus tertius Macedoniæ rex, vt Iustinus, Diodorus, & Curtius tradiderũt: vel vigesimus secundus, vt cæteri maluerunt. Dum Philippus Macedonico regno potiebatur, Persarum reges fuerunt Artaxerxes, qui & Ochus dictus est, duodecimus Persarum rex, & eius filius Arses. Romæ Furius Camillus Gallos, qui Romanos bello lacessebant, fudit. Demosthenes & Aeschines oratores omnium fama celebrantur. Plato moritur, post quem Academiam Speusippus tenuit, & post eum Xenocrates. Iudæorum pontifex maximus Iaddus clarus habetur, vt Eusebius, Bibliander, & Marianus Scotus latiùs tradiderunt. Extincto Philippo, Alexander annum agens vigesimum, anno ab vrbe condita, vt Curtius tradidit, quadringentesimo vigesimo sexto, Consulibus Caio Sulpitio, & Lucio Papyrio, vt Diodoro placet, Olympiade centesima vndecima, vt Eusebius annotauit, anno ab orbe creato vt Theodorus Bibliander scripsit ter millesimo sexcentesimo quinquagesimo, à reditu Nehemiæ ex Babylone in Iudæam anno octingentesimo octauo, cùm in Iudæa põtifex esset Iaddus, vt Philippus Melanchthon ait, Macedonici

regni infulis ornatur. Marianus Scotus regnum Alexandri ad ter millesimum octingentesimum sexagesimum sextum annum ab orbe condito reponit. Huius regis tempore Manlius Torquatus Romæ Consul filium suum, quòd contra imperium patris pugnasset, virgis cæsum securi percussit. Hoc quoque tempore Romani, Samnites in colonias deduxerunt. Hoc quoque tempore Epicurus & Anaximenes clari habentur, vt Eusebius tradidit. Alexander iam à prima adolescentia documenta quàm plurima dederat præeminentis & crescentis virtutis. Cùm Philippus Bucephalum equum tredecim talentis emisset, vt Aulus Gellius (qui sub Adriano vixit) libro quinto tradidit, quæ monetæ ratio si ad nomisma Gallicum referatur, septem coronatorum millia cum octingentis coronatis efficiet, vt Guillelmus Budæus libro de Asse quarto annotauit. Plinius tamen Bucephalũ equum à Philonico Pharsalio nouẽ millibus aureorũ & sexcentis coronatis emptum mauult: cúmque eum ob innatam ferociam Philippus sub claustris præferratis asseruari iussisset, tantáq; ferocitate æstuaret, & omnibus tantæ formidini esset, vt omnes conspectum eius refugerent, equiso à Philippo mandatum accepit, de equo illo abiiciendo & perdendo. Tum Alexander ad se equum deduci iubet, quem cùm mira arte sine verberibus tractasset, tandem equum ad cursum admisit, tum caldaribus vsus est, & molliter flexis habenis cùm equum reduxisset, Philippus Alexandri dissilientis ab equo caput osculatus flens inquit: Aliud ô filj par regnum quære, quoniam te iam Macedonia non capit. Hunc equum Alexander vsui suo quotidiano asseruauit, donec cùm in Iudæa bellum produceretur, morbo Bucephalus equus absumptus est, & huius equi extincti memoriæ Bucephalon vrbem in Iu-

dæa Alexander cõdidit, vt libro nono Curtius annotauit. Is vbi regno Macedoniæ præficitur, Poloponnesum proficiscitur, vbi totius Græciæ habito cõcilio contra Persas imperator designatur. sed paruo pòst interiecto temporis interstitio Alexander resciuit multas Græciæ ciuitates rebus nouis studere: Athenienses enim non ampliùs Græciæ imperium Macedoni cuipiam concedi volebant: Ambracienses authore Aristarcho præsidium à Philippo impositum repulerant, vrbémque ad gubernationem popularem traduxerant. sic Thebani ne ampliùs Græcorum imperium penes Macedones esset, decreuerunt. Arcades nec Alexandrum imperatorem deligendum censebant, Argiui, Elei, & Lacedæmonij pro libertate tuenda consurrexerant. ipse tamen Alexander adhuc adolescens omnes has difficultates dicto citius præter omnium expectationem dissoluit: nonnullos comi & blanda oratione demulcens, quosdam terrore iniecto ad officium reuocans, reliquos vi compellens ad imperium adegit. Thessali communi totius Thessaliæ decreto ipsum Græciæ ducem assumunt. Superatis Thermopylis coëgit Amphictyones vt cunctis eorum suffragiis Græciæ dux decerneretur. Ambracienses ad ditionem suam tuendam adegit. Athenienses legatos ad eum mittunt veniam deprecantes, quòd in eo duce nominando tardiores fuissent. Alexander benignè legatos excipiens magno metu eam Rempublicam liberauit. Corinthios blando sermone sibi submisit. Quo honore impetrato cum suis copiis in Macedoniam rediit. sed hominum ignaræ mentes nihil certi consilij in rebus humanis capiunt. Statim atque Alexander conspectu Græciæ sese abstulit, ecce Thebani ad Arcadas, Argiuos, & Aeoles, legatos mittũt, vt auxilio pro libertate repetenda sibi essent. Athenienses decretum quidẽ in

eam sententiã suadente Demosthene fecerunt, sed dissimulatione omnia transmittentes, expectabant quã in partem belli illius fortuna flecteretur. Quibus rebus ab Alexandro cognitis, ex Thracia cum amplissimis copiis aduenit. Habebat Alexander peditũ vltra triginta millia, equitũ verò ad tria millia. Is cùm Thebanis se contemptui esse animaduertisset, decreuit eorũ vrbẽ funditùs euertere, vt qui defectionibus studebant, terrerentur, & tribus continuis diebus quæ ad oppugnationem instruendam pertinebant, parauit: postea atroci pugna eos adoritur. Cæduntur Thebani, anno quarto centesimæ & vndecimæ Olympiadis, ampla illa vrbs dat ruinam. nihil in tota vrbe fuit immune à direptione: pueri & virgines cum eiulatu magno parentum nomina inuocantes, passim trahebantur. familiæ cum tota stirpe, in vniuersúmque tota ciuitas in captiuitatem rapitur, maxima hominum nece patrata, omníque vrbis loco cadaueribus repleto, locus haud vllus videbatur fore, qui ad tam dirum spectaculum non commoueretur. Cæsorum Thebanorum numerus fuit supra sex millia, captis triginta millibus. Tandem factum est decretum de vrbe euertenda, & captiuis venundandis. quæ vrbis direptio magnum terrorem vniuersæ Græciæ iniecit. His actis Alexander Athenas legatos misit, qui decem oratores, qui populum ad defectionem adhortabantur, dedi peterent. Conuocato Athenienstium populo, Demadis consilium populo placet. Is legatus ad Alexandrum mittitur, qui eloquentiæ suæ viribus omnia sedauit, & Alexander culpam his qui in se peccarant condonauit. Quibus consummatis rebus in Macedoniam reuertitur. Romæ Consules tunc erant Caius Sulpicius & Lucius Papyrius. Thebas postea longo temporis interstitio Cassander Antipatri filius magna dili-

gentia reſtaurauit, vt Diodorus tradidit. Rebus Europæ ſic compoſitis, Alexander copias ex Europa in Aſiam traducere quàm maximis poteſt itineribus contendens, Helleſpontum proficiſcitur, Græcia cum Macedonia Antipatro (cui ex amicis maximè fidebat) commiſſis. In exercitu eius fuere triginta duo millia peditum, & non ſuprà, quinque millia equitum, nauéſque centum & octoginta: & ad tam periculoſum bellum non iuuenes robuſtos, nec primo ætatis flore elegit, ſed veteranos, pleroſque etiam emeritæ militiæ, vt non tam milites, quàm magiſtri militiæ dicerentur. Ordines quoque nemo niſi ſexagenarius ducebat. Cognita à Dario, qui decimus quartus à Cyro, Orientis monarchiam regebat, qui ſe regem regum, & Deorum conſanguineum profitebatur, Alexandri in Aſiam profectione, ſatrapis ſuis mãdauit, vt Alexandrum infantem, puerum, Dariiq; famulum virgis cæſum ad ſe adducerent. Hi præſidia munitiſſima viginti millium peditum, & totidem equitum ad Granicum amnem (qui Troadem à Propontide diſterminat) collocarunt. Hæc præſidia Alexander, & ſua arte, & Macedonum virtute proſtrauit, ac vicit. In eo conflictu Perſarum viginti millia peditum, equites verò ducenti & quinquaginta cæduntur. Macedonum verò non plus triginta & quatuor deſiderãtur. Mox Sardis, maritimi Barbarorum imperij propugnaculũ, in Alexandri poteſtatem deiicitur, omnéque Lydorum regnũ Alexandro audiens eſt. Epheſus Alexandri imperio annectitur. Miletum ſibi reſiſtentem oppugnauit. Halicarnaſſum vrbem permunitam obſidet, cámque vi maxima oppugnatã ſolo adæquauit. Et Lyciæ Pamphyliæq; rebus compoſitis, ad vrbem Celænas exercitum admouit, vrbéque illa potitur. arcem verò, quæ diligenti cuſtodia aſſeruabatur, oppugnat.

Hi qui adoriebantur, vbi nihil præſidij in Dario conſtitutũ experiuntur, Alexandro ſe permiſere. Gordium vrbem pari interuallo inter Ponticum & Cilicium mare diſtantem, regiam Midæ ciuitatem in ditionem ſuam redegit. Inde Paphlagoniam ingreditur prouinciam, iámque ad vrbem Ancyram ventum erat, cùm omnis hæc regio Alexandri ditioni adiicitur. ſic & Eneti fecerunt. Tunc Darius, non ſecus quàm par erat, motus, ſtatuit ipſe per ſe decernere: quippe quæ per duces ſuos acta erant, omnia damnabat, ratus pluribus curam, omnibus defuiſſe fortunam. Igitur caſtris ad Babylonem poſitis, vniuerſas copias in conſpectum dedit. Erant Perſarum centũ millia, è quibus eques triginta millia implebat. Medi equitum decem millia, peditum quinquaginta millia complebant. Bactrianorum equitum duo millia fuere, peditum decẽ millia ſequebãtur. Armenij quadraginta millia miſerant peditum, additis ſeptem millibus equitum. Hyrcani ſex millia militum expleuerant, Dernices quadraginta millia peditum, quos duo millia equitum comitabãtur. A mari Caſpio octo millia peditum venerant, equites duocenti. His copiis triginta millia Græcorum mercede conducta, adiecta erant. Darius vbi numerum copiarum recenſet, caſtra ad Euphratem moueri iubet. Interea Alexander ſuperata Cappadocia Ciliciã petit. Arſames, qui Ciliciæ præerat, igne & ferro Ciliciã vaſtat, vt hoſti ſolitudinẽ faciat: & quicquid vſui eſſe poterat, corrumpit, ſterile, ac nudum ſolum, quod tuéri nequibat, relinquens. Alexander iter cœptum peragit. Iſſon vrbem deſertam à Barbaris capit, ad quam omnes copias admouit, quia non alius locus prælio aptior cenſebatur. Ei Darius ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, occurrit. Claſſicum canitur. Conſeruntur

manus. primæ acies miſcentur. Alexandri, dum non ſolùm ſummi imperatoris, ſed & ſtrenui militis officia exequitur, dextrum femur mucrone perſtringitur. Equi, qui Darij currum regebant, haſtis confodiuntur. At ille in equum, qui ad hoc ſequebatur, imponitur. Inſignibus quoq; imperij ne fugâ proderent indecorè abiectis. Tum verò cæteri diſſipantur metu, & quæ cuique patebat ad fugam via erumpunt, arma iacientes, quæ paulò antè ad tutelam corporum ſumpſerant. Inſtabat fugientibus eques à Parmenione miſſus, & in dextro cornu Theſſalus miles vehemẽter vrgebat, iã ad fœminas peruenitur, quibus quo chariora ornamẽta erãt, violentiùs detrahebãtur. Captiuæ fiũt mater & cõiunx Darij. In hoc prælio cæſa ſunt Perſarũ peditũ centũ millia, equitũ verò decẽ millia. Ex Macedonibus verò quatuor & quingenti ſaucij fuere, triginta omnino & duo ex peditibus deſiderati ſunt, equitũ centũ quinquaginta interfecti. Alexãder vbi claudi diẽ vidit, in caſtra paulò antè à ſuis capta peruenit. Coniugẽ Darij, quã nulla ætatis ſuæ, pulchritudine corporis vincebat, adeo ipſe non violauit, ſed ſummam adhibuit operam, ne quis captiuo corpori illuderet, omnémque cultum fœminis reddi curauit. His confectis rebus, Alexander Parmenionem Damaſcum, vbi erant regiæ Darij gazæ præmiſit. Darius fugiens Vnchas peruenit, vbi exceperunt eum Græcorum quatuor millia, cum quibus ad Euphratem contendit, id demum fore ipſius credens, quòd celeritate præripere potuiſſet. At Alexander caſtra mouit ad vrbem Marathon, qua potitus in Phœnicem deſcendit, & Byblon oppidum traditum recepit. Inde Sidona peruentum eſt. erat ea vrbs vetuſtate famáque conditorum inclyta. Iam tota Syria, iam Phœnice quoque (excepta Tyro) Macedonum erant.

erant. Tyrus & claritate, & magnitudine ante omnes Syriæ Phœnicéſque memorabilis, facilius ſocietatem Alexandri acceptura videbatur, quàm imperium. Ad eam rex caſtra metatus eſt. Tyrij loco ſatis fiſi, obſidionem ferre decreuerunt. Hæc ſeptimo menſe poſt quàm oppugnari cœpta eſt, Olympiade, vt Euſebius annotauit, cẽteſima duodecima, anno ſexto Alexandri, in Alexandri poteſtatem deiicitur. Cõdita ea vrbs ab Agenore, literas prima aut docuit, aut didicit. Coloniæ eius pene toto orbe diffuſæ ſunt. Carthago in Aphrica: hinc Virgilius, Punica regna vides, Tyriam & Agenoris vrbem: In Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum. Dum hæc aguntur, Darius ad vires reparandas, bellúmque renouandum intendit animum. Duces ergo copiarum Babyloniam conuenire, Beſſum quoque ducem Bactrianorum, quàm maximo poſſet exercitu coacto, deſcendere ad ſe iubet. Interea Alexander vrbem Gazam obſidebat, in cuius obſidione duobus vulneribus ſauciatus eſt. Obſidio hæc non tam claritate vrbis nobilitata eſt, quàm geminato regis periculo. Poſtquàm Alexander à Gaza caſtra mouit, in Aegyptum peruenit. Deinde pedeſtribus copiis duces ſuos Peluſium miſit: ipſe cum expedita delectorum manu Nilo amne vectus Memphim appropinquat, cuius præſidio Aſtaces Prætor à Dario relictus, octoginta talenta Alexandro, omnémque regiam ſupellectilem tradidit. Eodem flumine vectus à Memphi ad interiora Aegypti penetrat, compoſitíſque rebus, nihil ex patrio Aegyptiorum more mutauit. Iouis Ammonis oraculum ſalutauit. Inde rediens ad Mareotidem paludem venit, & elegit ſibi locum, vbi Alexandriam vrbem condidit, anno ab vrbe condita quadringenteſimo vigeſimo octauo. Romæ conſulibus, vt Liuius libro octauo docet, C.

Petilio & Lucio Papyrio, septimo regni Alexandri anno, vt Eusebius annotauit. His confectis negotiis egrediens Aegypto, præfecit huic prouinciæ Aeschylum Rhodium, & Peucesten Macedonem, quatuor millibus militum in præsidium regionis eis datis. Interea Darius omnia longinquarum regionum auxilia Babyloniam contrahi iusserat. Bactriani, Scythæq;, & Indi conuenerant. Nam & cæterarum gentium copiæ partibus illis simul affuerunt. Cæterùm cùm dimidio fermè maior esset exercitus, quàm in Cilicia fuerat, Babylone copias mouit. à parte dextra erat Tigris nobilis fluuius, læuam tegebat Euphrates, exercitus Mesopotamiæ campos impleuerat. Satropacem præmisit, vt regionem, quã esset Alexander aditurus, popularetur. Curtius libro quarto author est, cùm Alexander ad Arbellam castra metatus esset, qui vicus est Assyriæ, Persarum clade & Alexandri victoria nobilis, legatos Darij iterum ad Alexandrum ad pacem petendam venisse, & redimendum matrem Darij cum duabus virginibus. mandata autem Darij & conditiones huiuscemodi attulerunt: quæ conditiones Darij incredibilem opulentiam, & Alexandri inauditam animi fiduciam atque celsitudinem nõ acceptæ ostendere potuerunt. verba legatorũ hæc apud Curtium leguntur. Quid opus est armis, inter quos odia sublata sunt? Antea Darius imperio tuo finem destinabat Halym, qui Lydiam terminat: nunc quicquid inter Hellespontum & Euphratem est, in dotem filiæ offert, quam tibi matrimonio iungit. Ochum filium, quem habes, pacis & fidei obsidem retine. Matrem & duas filias virgines redde. pro tribus corporibus triginta millia talentûm auri, precatur accipias. Alexander legatis excedere tabernaculo iussis, quid placeret, ad consilium refert. Diu nemo, quid sentiret, ausus

est dicere, incerta regis voluntate. cúmque Parmenio conditiones non aspernendas contendisset, ingrata oratio regi fuit, qui respondens ait, & ego, inquit, pecuniam, quàm gloriam mallem, si Parmenio essem. nunc Alexander de paupertate securus sum, & me non mercatorem memini esse, sed regem. Hactenus Curtius. Plutarchus decem millia talẽtûm oblata fuisse dicit, non adiecto auri, vel argenti. Guillelmus Budæus libro de Asse quarto mendum in his codicibus inesse existimat. nullæ enim opes eam summam æquare potuissent. Ad rem redeo. Alexander omnis periculi, tum multitudinis contemptor, spretis pacis conditionibus, Dario fit obuiam. Ad vndas Tigridis fluminis concurritur, quod à celeritate, qua fluit, Tigris nomen accepit: quia Persica lingua, Tigris sagittam significat. Darius in hac pugna curru vehebatur. Alexander equo vehitur. Darius fuga saluti suæ prospexit. media fermè nocte Darius Arbellam peruenit. Cecidere in eo bello Persarum quadraginta millia, Macedonum verò minus quàm trecenti desiderati sunt. Alexander hanc victoriam maiore ex parte virtuti suæ, quàm fortunæ debuit. Alexander Arbella & Memnio vrbibus potitus, ab Babylonem castra mouet, cui procedenti Mazæus cum adultis liberis, qui ex acie in vrbem confugerat, supplex occurrit, vrbem, seque dedens. Diutius Alexander in ea vrbe, quàm vsquam constitit. triginta & quatuor diebus saginato exercitu, arci Agathone præposito, ipse in regionem, quæ Satrapene vocatur, pedem promouit: & cùm Susam appropinquaret, Abulites regionis illius præfectus, filium obuiàm misit, traditurum se vrbem promittens. rex benignè iuuenem recepit, & vrbem ingressus, incredibilem ex thesauris summam pecuniæ egessit. Susam vrbem Archelao cum præ-

sidi o trium millium militũ tradidit custodiẽdam. Xenophilo arcis cura demandata est. Exinde quartis castris peruenit ad flumen Pasitigrin. Pòst in Vxiorum regionẽ deuehitur. Finitima Susis est, & in primã Persidẽ excurrit. Madathes erat huius regionis Præfectus, qui vltima experiri maluit, quàm fidẽ Dario fallere. Erat in obsidione huius vrbis non solùm cũ hoste, sed etiam cum loco dimicandum. Tandem & longa, & aspera obsidione Madathes cum arce in Alexandri ditionem detruditur. sed regis clementia nõ Madathi solùm ignouit, sed omnes & deditos & captiuos libertate donauit. Vrbẽ reliquit intactã, agros sine tributo colere permisit. Quæ omnia ab Alexãdro Darij mater impetrauit. Posteà continuato itinere, ventum est in Mardonum gentem bellicosissimã, & multùm à cæteris Persis cultu vitæ abhorrentẽ, qua domita Alexãder trigesimo die postea quàm à Persepoli profectus erat, eodẽ rediit: & cùm inter scortorum greges cœnaret, ex scortis vna Thais, & ipsa temulenta regi persuadet, se maximam apud Græcos initurũ gratiam, si regiam Persarum igne absumat. Huius scorti adhortatio omnes cõuiuas mouet, oritúrq; extẽplo inter eos murmur, quòd Græcis illatas iniurias à Dario & Xerxe nõ vlciscerentur, & regię Persarũ vrbi faces non submitterentur. Iam omnes incaluerant mero. itaque surgunt temulenti ad incendium vrbis, cui armati pepercerent. Primus Alexander ignem regiæ iniecit. tum conuiuæ & ministri, & pellices regiæ incendium mittunt. Regia celeriter igne concepto latè fudit incendium. Inter primos rex ipse faces aggerebat. Hunc exitum habuit regia totius Orientis, vnde tot gentes antè iura petebant. Patria tot regum, & vnicus quondam Græciæ terror. Iam Alexander Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pisidem, Ciliciam, Syriam, Phœnicẽ, Armeniam, Persidem, Medos, Parthienem habebat in potestate, anno sui regni octauo, Olympiade centesima decima tertia, vt Eusebius annotauit: & iam totius Orientis imperij radiis coruscabat. Paucæ admodum prouinciæ supererant, quæ illum vnicum regnatorem Asiæ non agnoscerent. Hyrcania, Bactria, Sogdiani, Dahæ, Massagetæ, Sagæ, atque Indi restabant. Darius adire Bactriam iam decreuerat, sed veritus ne celeritate Alexandri interciperetur, consilium, itérque mutauit: præsentis periculi casus suorum corda simul, & animos horrore perstrinxerat. Nabarzanes Hyrcaniæ præfectus, & Bessus Bactriæ prorex societate inita Darium per milites, quibus ambo præerant comprehendere, & vincire statuunt, ea mente, vt si Alexander ipsos persequeretur, tradito Dario eorũ rege inirent gratiam victoris: sin autem effugere potuissent, interfecto Dario regnum sibi occuparent, bellúmque renouarent. Quod consilium Darium non latuit. Patron enim Græcorum dux insidias, quæ in caput regis parabantur, præsensit, rémque omnem regi aperuit, eumenixè rogans, vt in Græcorum castris tabernaculum suum statueret, & Græcis corporis sui custodiam committeret. Bessum & Nabarzanem regi insidiari. Diem illum aut regi, aut paricidis vltimum futurum. At Darius satis sibi exploratam Græcorum fidem respondit, nunquam tamen à popularibus suis recessurum. quicquid sors tulisset malle inter suos perpeti, quàm transfugam fieri. Scire se perire, si saluum eum esse sui milites nolint. Patron desperata regis salute ad eos, quibus præerat, rediit. At Bessus, qui in necem regis conspirauerat, cùm Bactriani vt eis imperatum à Besso erat, armati paratíque essent, regem adoritur, & captiuum, sau-

ciúmque regem in ſordidum vehiculum pellibus vndique contectum imponit. Pecunia regis ſimul, & ſupellex quaſi iure belli diripiuntur. Ne tamen honos regi non haberetur, compedibus aureis Darius rex vincitur. Iumenta quæ Darium vehebant, nullo regente diſcedunt, & tandem in quadam valle conſiſtunt, æſtu & vulneribus fatigata. Non procul aberat fons, ad quem Polyſtratus Macedo hauriendæ aquæ gratia diuerterat. Is vbi fontem appropinquat, tela iumentorũ deficientium corporibus infixa cõſpicit, & ſemianimum hominis corpus, cùm propius acceſſiſſet, in ſordido vehiculo ſitum reperit: atque Darium, multis quidem vulneribus confoſſum, adhuc tamen reſpirantem, eſſe cognouit. Tum Darius Alexandrum per Polyſtratum rogat, vltionem ſceleris erga ſe patrati, non ſolùm ſua, ſed exempli omnium regum cauſa, non negligat: hæc, & plura volentem dicere, accepta Polyſtrati manu, morte occubuit. Quibus Alexandro nuntiatis, ad corpus demortui perueniens, tam indignam tanti regis necem, lachrymis proſequutus eſt: demptáque ſibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu, ad matrem Syſigambim patrio regióque more in maiorum ſuorum tumulis inferendum miſit. Hoc edito facinore, Nabarzanes Hyrcaniam, Beſſus Bactriam, paucis equitum comitantibus petunt. Alexander in vrbe nomine Hecatompylos ſtatiua habuit, commeatibus vndique aduectis. Alexander paricidas proſequi ſtatuit. Iam ventum erat ad vrbem Hyrcaniæ, in qua regia Darij fuit. Huic Nabarzanes, accepta ab Alexãdro fide, occurrit, dona ingentia offerens: inter quæ Bagoas erat ſpecie ſingulari ſpado, atque in ipſo flore pueritiæ, cui & Darius fuerat aſſuetus, & mox Alexander aſſueuit: eiúſque maximè precibus motus, Nabarzani ignouit, & regioni, quam antea obtinuerat, præfecit. His peractis rebus dum Alexander Bactriam aggredi conſtituit, Nicanor filius Parmenionis ſubita morte correptus, magno omnium deſiderio periit. Rex ante omnes mœſtus cupiebat quidem ſubſiſtere, funeri affuturus, ni penuria cõmeatuum inſtitutũ interrupiſſet. Philotas, vt defuncto fratri iuſta perſolueret, vice regis relinquitur. Rex quàm maximis poteſt itineribus in Bactriã contendit. Interea nouo facinore exercitus terretur. Demetrius regij corporis cuſtos, Peculaus, Nicanor, Aphobetus, Loceus, Dioſemus, Archepolis, & Amyntas inſidias regi parant. Intra triduum mortem eius pollicentur. Erat illius conſilij particeps Dymnus, qui Nicomacho adoleſcenti, cuius amore æſtuabat, ſcelus omne detexit. Hic Nicomachus nulla annexa mora, Ceballino fratri quæ à Dymno acceperat, refert. Statim Ceballinus ante regiæ veſtibulum (nec enim ei aditus propius patebat) conſiſtit, operiens aliquem ex prima cohorte, à quo intromitteretur ad regem. Seſe primus offert Philotas, Parmenionis filius. Huic Ceballinus inſidias, quæ regi parabantur, detexit: quas ſine cunctatione regi nuntiandas rogabat. ſed hæc fruſtrà. Nullũ enim verbũ ad regem factum à Philota eſt. Poſtero die Ceballinus veniente Philota in regiã, præſtò eſt, intrantémque admonet rei pridie communicatæ. Ille curæ ſibi eſſe reſpõdit, ac ne tum regi quæ audierat, aperit: tum Ceballinus nobili iuueni, cui nomen erat Metron, ſcelus, quod parabatur, retexit. Hic ad regem rem omnem ſtatim defert. Mittuntur extemplò ad comprehendendum Dymnum regij ſatellites, & interim percontatur Alexander à Ceballino, quæ noſcenda erant, ordine cuncta cognoſcens. Inter hæc Dymnus malè

sibi conscius, non ignarus quam ob causam accerseretur à rege, gladio se vulnerauit: & eo vulnere saucius in regiam defertur. Vbi ad regis tribunal sistit, vultu à regis conspectu auerso, edito gemitu egit animam. Philotas quòd biduo præparatas insidias in caput regis non retexisset, minutæ maiestatis reus agitur, quòd cùm de salute principis ageretur, credulus esse debuerat, ita vt vana quoque deferentes admittere debuerit. Itaque Philotas in publica vincula coniicitur. Macedonicus populus duabus legibus in hanc rem conscriptis regebatur, altera erat vt de capitalibus rebus reges inquirerent, in iudicio nihil regum potestas valebat, nisi prius valuisset exercitus authoritas. Diluebat Philotas accusationem: scelus ad se delatum à puero, qui neque testem, neque pignus iudicij exhibere poterat: amatoris, qui erat Dymnus, & scorti Nicomachi fidem suspectam habuisse: si ad regem hæc detulisset, verebatur ne multis amicorum regis crearet periculum. Lite hac longè latéque discussa, Philotas tormẽtis subiicitur, qui in tormentis scelus in caput regis paratum aperuit. veritate disiuncta, ipse & omnes qui à Nicomacho nominati erant, saxis obruuntur. Altera Macedonum lex erat, qua cauebatur, vt propinqui eorum qui regi insidias parauerant, cum proditoribus necarentur. Hanc legem Alexander propinquis coniuratorum remisit. Philotas vltimis cruciatibus victus, Parmenionem patrem, coniurationis in regem initę principem detulerat. Rex exitium Parmenioni interminatur. Polydamas & Cleander mandatum regis excipiunt, quo extrema omnia Parmenioni parabantur. Cleãder gladio latus Parmenionis, deinde iugulum ferit. satellites qui personam Cleandri circunstabant, exanimem confodiunt. Ad regem caput Parmenionis mittitur. Hic exitus Parme-

Parmenionis septuagenarij fuit, militiæ domíque clari viri. Multa sine rege prosperè, rex sine illo nihil magnæ rei gesserat. Iuuenis, ducis, & sæpe etiam gregarij militis munera explicuit. acer consilio, manu strenuus, charus principibus, militibus acceptior. primus Asiam regi aperuerat. omnium periculorum regis particeps semper fuerat. Alterum in acie cornu semper defenderat. Philippo quoque ante omnes amicus, & Alexandro imprimis fidus extiterat. His ita peractis rebus, Alexander in Ariaspos, qui & Euergetæ dicuntur, castra mouit. sexaginta diebus gentem Euergetarum domuit. relicto qui eis imperaret, Amenide, Arachosios (quorũ regio ad Ponticum mare pertinet) subegit. Ibi exercitum, qui sub Parmenione fuerat, sibi adiunxit. Sex millia Macedonum erant, & ducenti nobiles, & quinque millia Græcorum, cum equitibus ducentis. Postea rex gentem ne finitimis quidem, & vicinis satis notam, cuius incolæ Parapanisadæ vocabantur, cum exercitu intrauit, eámque prælio fudit. Nunc ad proditores Darij diuertendus est sermo. Bessus, qui vices Darij Bactrianis gerebat, proditionis suæ mercedem regium Bactrię sceptrum sibi ascripserat. Is verbis ferox, & parto per scelus Bactriæ regno superbus, vbi Alexandrum faucibus Bactriæ iam hærentem intellexit, regis celeritate perterritus, Sogdianos adire cõstituit. Venturos sibi promittens in auxilium Chorasmios, Dahas, Sagásque, & Indos, & vltra Tanaim incolentes Scythas. Dum hæc infelici fato delirat, Spitamenes, & Catanes dissimulatione omni posthabita personam eius circunstant, & frustrà repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni insigni, laceratáque veste, quam spoliis occisi Darij induerat. Ille deos sui sceleris vltores adesse confessus palàm est. Illi Bessum equo impositũ

Alexandro obtulerunt. Alexander ad eum conuersus ait, Cuius ferae rabies animum tuum occuparat, cùm regem de te optimè meritum priùs vincire, deinde occidere sustinuisti? Sed huius paricidij mercedem falso regis nomine persoluisti. His dictis Oxyatrem fratrem Darij, quem inter corporis custodes habebat, propiùs iussit accedere, & ei Bessum tradidit, vt eum cruci affixum, mutilatis auribus & naribus sagittis configeret, asseruarétque corpus, vt ne ab auibus quidem cõtingeretur, donec omnino extinctum iaceret. Oxyatres omnia sibi curae fore pollicetur. Caeterùm supplicium eius distulit, vt eo loco, quo ipse Darium occiderat, supplicium sumeretur. Atque statim Alexander Bactriam peruenit. ipse Bessum Ecbatana duci iussit, & interfici. Simili fato Nabarzanes, alter Darij paricida, concidit: qui cùm se fide data Alexandro impunitatem tanti sceleris consecutum putaret, ab Alexandro defecit, exercitúmque Ariorum collegit. Huic Erygius, qui copias Alexandri in Arios ducebat, occurrit. Commissum iam erat praelium inter Macedones, Ariósque, cùm Satibarzanes, qui Barbaris praerat, pugnam segnem vtrinque aequis viribus stare vidisset, in primos ordines adequitauit, demptáque galea, inhibitis qui tela iaciebant, si quis viritim dimicare vellet, prouocauit ad pugnam, inquiens nudũ se caput in certamine habiturum. Non tulit ferociã Barbari Erygius, dux Macedonici exercitus, grauis quidem aetate, sed & animi, & corporis robore nulli iuuenum post ponendus. Is galea dempta caniciem ostentans: Venit, inquit, dies, quo quales milites Alexander habeat ostẽdam. Nec plura locutus, Satibarzanem ferro medio gutture transfixit. Praecipitatus equo Satibarzanes moritur. Interea dum haec aguntur, Cyropolis vrbs à Perdicca, &

Meleagro mandato regis obsidetur, & cùm Macedones ad petendum pabulum incõposito agmine egrederentur, à Barbaris, qui de proximis montibus decurrerunt, opprimuntur. viginti millia latronum erant, quos dum Alexander obsidet, inter promptissimos dimicans, sagitta ictus in medio crure fixa reliquit spiculum. Barbari deditionem faciunt. Hinc Memacenorum vrbem rex obsidet, captámque diripi iussit. Postea ad Cyropolim rediit, quae à Perdicca & Meleagro obsidebatur: in illius vrbis obsidione rex ad vltimum periculum deiicitur: nam ceruix eius saxo ita icta est, vt oculis caligine offusa collaberetur, ne mentis quidem compos posteaquàm conualuit, adhuc tamen recens à vulnere, ad vrbem Maracanda exercitum mouit. His rebus celerrimè terminatis ad Tanaim amnem rediit, ibíque vrbem, cui Alexandri nomen indidit, extruxit. Inde in Scythas castra mouit. Illi frequenti & copioso exercitu obuiam Alexandro fiunt. Vincuntur Scythae. Haec expeditio deficientem magna ex parte Asiam, fama tam opportunae victoriae domuit. Inuictos Scythas esse crediderant, quibus fractis nullam gentem Macedonum armis parem esse confitebantur. Itaque Sacae misere legatos qui pollicerentur deditionem. Mouerat eos regis non tam virtus bellica, quàm clementia in deuictos Scythas: quippe captiuos omnes sine pretio remiserat. Continuata regis virtute, Sogdiani vincuntur. Vna erat Petra, quam Arimazes Sogdianus cum triginta millibus armatorum custodiebat, alimentis antè congestis quae tantae multitudini vel per biennium suppeterent. Hanc arcem Alexander obsidione premit, nullámque conditionem deditionis accepturũ se iurauit. Arimazes tandem arcis praefectus, desperatis magis quàm perditis rebus, cum propinquis nobilissimísque gentis suae de-

ſcendit in Alexandri caſtra, quos omnes verberibus affectos ſub ipſis radicibus petræ crucibus rex iuſſit affigi. Multitudo deditorum incolis nouarum vrbium cum pecunia capta dono data eſt. Tutela petræ regioníſque, quæ oppoſita eſſet ei, Artabazo commiſſa eſt. His actis rebus, Alexander Bazariam peruênit. Venationibus ferarum per aliquot dies impendit operam, quatuórque millibus ferarum deiectis, ibi cum toto exercitu epulatus eſt. Inde Maracãda reditum eſt. vbi accepta ætatis excuſatione ab Artabazo, prouinciam eius deſtinat Clito. Iam iter in poſterum diem parabatur. Rex ſolemni epulo excepit ſuæ aulæ proceres, in quibus Clitus, qui ad Granicum amnem nudo capite regem pugnantem clypeo ſuo texerat, Rhoſaceris manum capiti regis imminentem, gladio amputauerat, vetus Philippi miles, multíſque operibus bellicis clarus. In eo conuiuio cùm rex multo incaluiſſet mero, militiæ ſuæ peritiam pluribus verbis cœpit extollere, quæq; ipſe geſſerat celebrans inſolentiùs, res geſtas Philippi patris obterere. Hos ſermones, mente quaſi furiata, non tulit Clitus. Philippi acta, belláque in Græcia geſta commemorat, ipſum in viros, Alexandrum in fœminas inciſſe, aiens. Miſcuit ſermoni ſuo Parmenionis egregias laudes, Attali necem regi obiiciens, irridebátque Alexandrum, quòd ſe Iouis, non Philippi filium comminiſceretur. Addebat & pleraque alia, quæ Alexandri ſtomachum tam vehementer mouerunt, vt niſi prohibitus à Ptolomæo & Perdicca fuiſſet, lancea, quam ex manibus armigeri cuiuſdam arripuerat, Clitum adhuc eadem linguæ intemperantia furentem confodiſſet. Verùm magis dilata, quàm abſumpta fuit regis ira. Cùm enim Clitus de conuiuio ſine lumine exiret, rex latus eius haſta transfixit, morientíſque ſanguine aſperſus: I nunc, inquit, ad Philippum, Parmenionem, & Attalum. At rex poſtquàm ira mente diſceſſit, ebrietate diſcuſſa, magnitudinem ſceleris ſacra æſtimatione perſpexit. videbat egregium bello virum, ſui ſeruatorem corporis, à ſe occiſum. his & pluribus aliis doloribus pertæſus Alexander, haſtam è corpore iacentis euulſam detorſit in ſemetipſum, eámque iam admouerat pectori, cùm aduolarunt vigiles, & repugnanti è manibus extorſerunt, alleuatúmque in tabernaculum deferunt. Ille humi proſtrato corpore, gemitu, eiulatúque miſerabilis, laniare os vnguibus non ceſſabat. Hoc cruciatu tota nox abſumpta eſt. Triduũ rex iacuit incluſus. Quem vbi armigeri corporíſque cuſtodes, & aulæ proceres mortem ſibi conſciſcere decreuiſſe cognouerunt, vniuerſi in tabernaculum irrumpunt, diúque precibus ipſorum reluctatum ægrè vicerũt, vt cibum caperet. Et vt minus eum necis Cliti puderet, iure occiſum Clitum Macedones decernunt. Hinc in regionem, quam Nauram appellant, rex cum toto exercitu venit. & cùm Dahas ſtatuit adoriri, Alexandro ſeſe dedunt. His compoſitis, tertio menſe ex hybernis mouit exercitum, regionem, quæ Gabaza appllatur, aditurus. Hinc in Parthiam caſtra mouit, vbi primùm barbaricam veſtem induit, cuius rei aſpectus Macedones non parua moleſtia affecit. Ex captiuorum multitudine triginta millia adoleſcentum ſelegit, quos literas Græcas diſcere iuſſit, & Macedonica inſtrui armatura. Roxanam accepto pane (hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum pignus inter connubiales ludos) ſibi matrimonio iunxit, è captiua geniturus, qui victoribus imperaret. Exiſtimauit ad ſtabiliendum regnum pertinere, Perſas & Macedones connubio iungi: hoc vno modo pudorem victis, & victoribus ſuperbiam

detrahi posse. Hephæstion Barbaricum, quo rex vtebatur, deferebat. hunc Alexander vocabat Alexandri amicum. Craterus autem patriis indumentis vti semper perseuerauit. hunc Alexander regis amicum dicere consueuerat. Intraturus in Indiam, cùm sarcinis currus onerati essent, suis primò, deinde amicorum, ignem iniecit. Postea Macedonum omniũ currus incendi iussit. Iam suis erat terribilis, & in eos, qui deliquerant, absque clementiæ spe animaduertebat. Interea rex venationi ferarum adiecit animum, & cùm conspectui Alexandri sese obtulisset aper immensæ magnitudinis, quem rex ferire destinauerat, Hermolaus puer nobilis ex regia cohorte aprum ferro absumpsit, quam necem apri, & ablatã sibi feriendi occasionem rex ægreferens, verberibus Hermolaum cædi iussit. Sostratus huius pueri amore ardebat, qui cùm laceratum vulneribus corpus Hermolai conspexit, occidendi regem consilium iniit: & in sceleris societatem asciuit Nicostratum, Antipatrum, Asclepiodorum, Philotam, Anticlem, & Epimenem. Hi omnes coniurati nocte ad portas regis vigiles excubant, & confodere regem, fide inter eos data, statuunt. Epimenes fratri suo Eurylocho rem omnem aperit. Extemplò fit ad regem concursus. Rex animi & corporis sopore discusso, vbi intellexit in eam ipsam noctem sibi insidias parari, Eurylocho quinquaginta talentis, & fratri impunitate impartitis, sceleris authores vinctos asseruari iubet: quibus in regiam adductis, causáq; latè disjuncta, Hermolao primùm omnia confitente audito, & rege omnia, quæ sibi obiiciebantur, confutante, consilium dimisit, traditque damnatos hominibus, qui ex eadem cohorte erant, iussit. Illi excruciatos necauerunt. Illud obiter non est exempli causa prætermittendum. Erat in aula Alexandri Callisthenes, quẽ

non vt participẽ facinoris nominatum esse cõstabat, sed solitũ pucrorum sermonibus vituperantiũ, criminantiúmque regẽ faciles præbere aures. Is reus paricidij in regẽ arguitur, initi tamen in regem consilij innoxius. Eo nihilominus nomine, quo faciles aures adhibere solitus erat criminationibus, quæ in regẽ à pueris deferebãtur: & quod quidã adiiciebant, cùm Hermolaus apud eum quoque verberatum se à rege conquerebatur, dixisse Callisthenem, meminisse debere eos iam viros esse, ídque an ad consolandam patientiam verberum, an ad incitandum iuuenis dolorem dictum esset, in ambiguo fuit. Callisthenes tortus interiit. Alexander Indiæ fines ingressus, gentium reges illi occurrunt imperata facturi. Illum tertium Ioue genitum ad ipsos demissum memorantes, patrẽ Liberum, atque Herculem fama cognitos esse, ipsum coràm adesse, cerníque. Rex benignè exceptos sequi iussit, atque cœptum peragit iter. Ad Nysam vrbem peruenit. Ibi castra locat. eam superat. Hinc ad regionem, quæ Dædala vocatur, peruenit, qua superata Acadera transit. Inde ad Mazagas venit. Ibi lustrans qua ex parte vrbem illam adoriretur, sagitta vulneratur. In suram incidit telum, cuius spiculo euulso, admoueri equum iussit: quo vectus ne ligato quidem vulnere, non segnius destinata exequitur. Cæterùm cùm crus saucium penderet, & cruore siccato frigescens vulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur: se quidem Iouis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire. Non tamen se prius recepit in castra, quàm cuncta prospexit, & quæ fieri vellet, edixit. Venit ea vrbs, sicut & alia multa oppida deserta à suis, in Alexandri ditionem. Ad Porum regem cùm venisset, præmisit Cleocharem, existimans ipsum quoque ad nominis sui famam, ad deditionem posse compelli. Illi mandato Alexan-

dri præcipiebatur, vt ſtipendium penderet, & in primo finium ſuorum aditu occurreret regi. Porus alterum ex his facturum ſe reſpondit, vt intranti regnum ſuum præſtò eſſet, ſed armatus. & Alexandro ad amnem Hydaſpem occurrit, tranſitu prohibiturus Alexandrum, octoginta quinque ei elephantos obiiciens, & vltra eos trecentos currus, & peditum triginta ferè millia. Ipſum vehebat elephantus ſuper cæteras belluas eminens. Commiſſa pugna, fit Alexander ſuperior. Equus eius multis vulneribus confoſſus, deficiens procumbit, poſito magis quàm effuſo rege. Itaque mutato equo hoſtem premit, Porúmque pluribus vulneribus ſaucium, & animam quaſi agentem reperit. Ad quem Alexander, quæ amentia, inquit, te coëgit rerum mearum cognita fama belli fortunæ te committere? cui Porus reſpondit, quia perconctaris, reſpondebo eadem libertate, quam interrogando feciſti. Neminem me fortiorem eſſe cenſebam. Meas enim nouerã vires, nondum expertus tuas: te fortiorem eſſe, docuit belli euentus. Sed ne ſic quidem parum felix ſum, tibi ſecundus. Rurſus interrogatus quid ipſe victorem ſtatuere debere cenſeret: Quod hic, inquit, dies tibi ſuadet, quo expertus es quàm caduca ſit felicitas. Alexander magnitudinem Pori interritam, ac ne fortuna quidem infractam, non miſericordia modò, ſed etiam honore excipere dignatus eſt: ægrúmque curauit, non ſecus quàm ſi pro ipſo pugnaſſet. Confirmatum, contra omnium ſpem in amicorum numerum recepit. Mox donauit ampliore regno, quàm antè tenuerat. Continuato labore rex Hydroatem amnem appulit. Hinc ad regnum Sophitis peruentum eſt. Illius regionis regulus deditionem facit. Inde ad Phelegam regem decurritur, qui regnum Alexandro offert, nihil, quod imperaret detrectans, biduum apud eum ſubſtitit.

Hinc

Hinc Alexander Gangaridas & Pharraſios, eorúmque regem Aggrammen adoriri deliberauit, & habita oratione Macedones hortatur, vt animis ad hoc patrandum bellum adſint. Macedones metu attoniti in terram ora deflexerant: primò fremitus, deinde gemitus quoque oritur. Cœnus auſus eſt propius ad tribunal accedere. Quem vt videre milites detrahentem galeam capiti, hortati ſunt vt exercitus cauſam ageret. Is corpora Macedonum exanguia, tot vulneribus cõfoſſa, tot cicatricibus putrida, regem intueri precatur. Iam omnibus equos deficere. Macedones omniũ victores, omniũ inopes eſſe. Inſtrumẽta belli omnia conſumpta eſſe. Iã Macedones, ſubacta omni ex parte India, decurrunt in illud mare, quod rebus humanis terminũ voluit eſſe natura. Vt finẽ orationi Cœnus impoſuit, clamor vndiq; cum ploratu oritur, regem, patrẽ, dominum, confuſis vocibus appellantium. Iámq; & alij duces, præcipuéque ſeniores, quibus ob ætatem & excuſatio honeſtior erat, & authoritas màior, eadem precabantur. Itaque inops conſilij, deſiluit è tribunali, claudíq; regiam iuſſit, omnibus præter aſſuetos, adire prohibitis. Paulò poſt Cœnus morbo abſumptus eſt. rex in regionem Oxidracarum venit, oppidúmque Oxidracarum obſidet. Indus duorum cubitorum ſagittam ſuper latus dextrum infixit. Quo vulnere ſaucius, magna vi ſanguinis emicante, remiſit arma moribundo ſimilis, adeóque reſolutus, vt ne ad vellendum quidem telum ſufficeret dextra. Itaque ad expoliandum corpus, qui eum vulnerauerat, alacri gaudio accurrit. Quem vt inicere corpori ſuo manus ſenſit, liquentem reuocauit animum, & nudum hoſtis latus ſubiecto mucrone hauſit. Tandem Peuceſtes per aliam oppidi partem deturbatis propugnatoribus, muri veſtigia perſequens, regi ſuperuenit.

Subit inde Timæus, & paulò pòst Leonatus, hinc Aristonus superuenit. Indi quoque cùm intra mœnia Alexandrum esse comperissent, omissis cæteris, illuc concurrerunt. Timæus multis aduerso corpore vulneribus acceptis, egregiáque edita pugna cecidit. Peucestes quoque tribus iaculis confossus, non se tamen, sed regem scuto tuebatur. Leonatus dum auidè ruẽtes barbaros submouet, ceruice grauiter icta semianimis ante regis pedes procubuit. Iam & Peucestes vulneribus fatigatus, submiserat clypeum. Inter hæc ad Macedones, regem cecidisse fama perlata est. Terruisset alios, quod illos incitauit. Namque periculi omnes immemores, perfregere murum, inde irrupere in vrbem. Quisquis illis occurrebat, ab illo vulneratum regem credebant. Non fœminis, non decrepitis, non infantibus parcebatur. Tandemque internecione hostium iustæ iræ parentatum est. Rex in tabernaculum defertur. Medici lignum hastæ corpori fixum, ita ne spiculum moueretur, abscindunt. Corpore deinde nudato animaduertunt hamos inesse telo, nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse, quàm vt secando vulnus augerent. Critobulus inter medicos artis eximiæ, in tanto periculo territus, manus ad mouere metuebat, ne in ipsius caput parùm prosperæ curationis recideret euentus. Quod rex ex illius vultu agnoscens, Quid, inquit, quódque tempus expectas, & non me quàm primùm hoc dolore saltem moriturum liberas? an times ne reus sis, cùm insanabile vulnus curandum susceperis. Medici latiùs vulnus aperiunt, & spiculo euulso ingens sanguinis vis manare cœpit, linquíque rex animo, & caligine oculis offusa veluti moribundus extendi. Tandem constitit sanguis, paulatímque animum rex recepit, somnóque paulisper quiescere cœpit. Postea rex curato vulnere, nec dum obducta cicatrice, cùm audisset cõualuisse apud barbaros famam mortis suæ, nauigio solũ mutauit, & Sabracas adiit, validã Indiæ gentem, quę populi, non regum imperio regebatur. Hi legatos ad Alexandrum mittunt gentem dedituros. His in fidẽ acceptis, limites eorum, qui Musicani appellantur, intrauit: quibus in ditionem redactis, vrbi eorum præsidiũ imposuit. Inde Præstos, Indiæ gentem adoritur. Oxycanus rex illis erat, qui se munitæ vrbi cum magna popularium manu incluserat. Hanc Alexander tertio die, quam cœperat obsidere, oppugnauit. Quarto deinde die peruenitur ad oppidum, quà iter erat in regnum Sabi. Nuper rex se dediderat, sed oppidani detrectabant imperium. Barbari, vt prima eos victoriæ spes fefellit, se ipsos vrbémque dediderunt. Hinc ad proximam gentem Pathalyam peruentum est. Rex erat Mœris, qui vrbe deserta in montes profugerat. Itaq; Alexãder vrbe potitur, agrósque populatur. Hinc ad mare decurritur, postquàm nõ antè vincere desiit, quàm rubro mari incluſus, quod vinceret defuit. Rebus Asiæ omni ex parte absolutis, solus atque vnicus rex Asiæ Alexander erat. Ipse animo infinita complexus, statuerat, omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infensus: inde Numidiæ solitudinibus peragratis, cursum Gadis dirigere. Ibi namque columnas Herculis esse fama vulgauerat. Hispaniam deinde, quam Iberiam Græci à flumine Ibero nominant, adire, & Alpes superare, & in Italiam pergere, vnde in Epirum breuis cursus est, & sic vniuerso orbe domito, Macedoniam victor omnium gentium redire. Dum huic peragendo negotio Mesopotamiæ prætoribus, Cyriorúmque regibus cura carinarum demandatur, deuenitur ad Pasargadas. Gens est illa Persica, vbi rex Antipatri loco,

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRA

Macedonibus Theſſalum, & Thracibus Craterum præeſſe voluit. Antipatrum, qui his prouinciis præeſſe conſueuerat, cum ſupplemento tyronum in Crateri locum vocauit. Iampridem Alexandro literæ redditæ erant ab Olympiade matre, & viciſsim ab Antipatro, quibus mutuas inter ipſos ſimultates perceperat. Mater Antipatrum affectati regni reum agebat: Antipater Olympiadem multa præter ipſius decorum gerere ſcripſerat. Itaque Antipater ſe euocari valde iniquo animo ferens, Alexandrum veneno perimere decreuit. Peractis his rebus Alexander ad Ecbatana Mediæ profectus, regni neceſſaria diſpoſuit. Reuertenti Babyloniam, Chaldæi vates occurrerunt, monentes ne Babyloniam ingrederetur. Quibus ſpretis, quò deſtinauerat ire pergit. Nuntiabatur enim ei legatos ex diuerſis terrarũ partibus Babyloniam confluxiſſe, eiúſque aduentum expectare. Adeo totum orbem nominis eius terror inuaſerat. Quò cùm veniſſet, legatos omnes benignè exceptos domum remiſit. Iiſdem ferè diebus conuiuium apud Theſſalum Medium inſtitutum eſt, ad quod rex quoque vocatus, venit. Ibi primo potu ſumpto, repentè velut telo confixus ingemuit. Elatus è conuiuio ſemianimis, tanto dolore cruciatus eſt, vt ferrũ in remedia poſceret. Amici cauſam morbi, intemperiem ebrietatis diuulgarunt. Re vera autem inſidiæ fuerunt. Antipater enim præparatum venenum Caſſandro filio, qui cum fratribus Philippo & Iolla regi miniſtrare conſueuerat, dederat. Hi potum regis præguſtare ſoliti, in aqua frigida venenum habentes, eam præguſtatæ potioni regis ſupermiſerunt. Plinius libro naturalis hiſtoriæ trigeſimo, capite vltimo ait vngulas tantùm mularum repertas, nec aliam vllam materiam, quæ non perroderetur à veneno Stygis aquæ: cùm id dandũ Alexandro Magno Antipater mitteret, nõ ſine Ariſtotelis cõſilio excogitatum eſt, quod in maximã ipſius infamiam redũdat. Quarto poſteà die, cùm iam natura Alexandro finem vitæ faceret, detractum anulum digito Perdiccæ tradidit, addito mãdato, vt corpus ſuum ad Hammonem ferri iuberet. Quærẽtibus ſuæ aulæ proceribus, quem hæredẽ regni ſui ſcriberet: reſpõdit, eum velle regno potiri, qui omniũ optimus eſſet. Interrogatus etiã quando cæleſtes honores ſibi haberi vellet: reſpõdit, cùm ipſi felices eſſẽt. Hæc ſuprema Alexãdri vox fuit, & paulo pòſt extinguitur. Hæc Curtius. Philippus Melanchthon Alexandrum veneno non ſubtractũ mauult, ſed cùm vocatus ad conuiuium largiùs bibiſſet, ſubitò ſenſiſſe magnũ cruciatum inter ſcapulas, vbi orificium ventriculi alligatũ eſt ſpinæ dorſi, ſicut vſitatum eſt in eo loco cruditates ſentiri. Inde & febrem ſequutam fuiſſe, in qua etiam non abſtinuerit à vino. Initium febris fuiſſe decima octaua die Iunij, cúmque ægrotaſſet dies vndecim, die viceſimo nono mortuum fuiſſe. ſic Melanchthon. Mortuus eſt anno regni ſui duodecimo, menſe ſeptimo. Regnauerat in Chaldæa ad Babylonem poſt Darium quinque annos, vndecim menſes. Commendatur à prophetis Hieremia, & Daniele, vt qui acerrimus & feliciſſimus imperator fuerit. Daniel hircum depingit, à quo victus aries proſternitur, & ipſe clarè oſtendit hircum Græcorum regem eſſe, Perſarum arietem. Cœpit regnare Alexander anno ab orbe condito ter milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo, anno primo centeſimæ & vndecimæ Olympiadis. Mortuus eſt primo menſe Olympiadis cẽteſimæ decimæ quartæ, ante Chriſtum natum annis trecẽtis viginti quatuor. Vixit annos triginta duos, & menſes octo, vt Melanchthon ſuis in hiſtoriis ſupputauit. Ptolomæus à

morte Alexandri vsque ad mortem Iulij Cæsaris, ducentos octoginta duos annos enumerat. Vt tamẽ illud nõ omittatur, venenum quod in Macedonia gignitur, quo periisse Alexandrum plerique authores tradiderunt, tale esse constat, vt ferrum quoque exurat, & vngula iumenti tantummodò contineri possit. Stygem appellant fontem, ex quo pestiferum virus emanat. Hic finis fatorum Alexandri fuit. Equidem vt heroum olim gesta memorabilia non sine Theseo facta fuisse dicuntur, id etiam apud Græcos prouerbio attestante: sine sapientia & literarum peritia asserere non dubitarunt antiqui, nullos vnquam populos rerum potitos extitisse. siquidem nec Assyrij Chaldæis, nec Persę Magis, nec Macedones literis Græcis, nec Alexander Aristotele caruisse memorantur. Quin etiam ipse Homero quasi puluino indormire gaudebat, capitéque incumbere eius poëśi, eiusdémque Iliadem gloriæ armis assequẽdæ instrumentum esse dictitabat. Athenæus libro decimo de temulentia loquens, inter maximè vinosos homines Alexandrum enumerat: authorem autem citat Ephippium: Erat, inquit, inter Macedones Proteas bibendi certamine clarus. Hunc in conuiuio Alexãder poculo bicõgio prouocauit. Cùm igitur Alexander bibisset, Proteas rege multùm laudato, qui egregiè tantum calicem exsorbuerat, & ipse quoque eadem fide atque integritate bibit, vt ab omnibus plausu exciperetur. Mox Proteas eodem poculo cùm regem prouocasset, bibißétque Alexander generosè, conatus iterum calicem eundem ducere, cùm partem iam traxisset, resupina in lecti puluinar ceruice, poculum manibus emisit. quo ex certamine in valetudinem incidit, à qua tãdem iugulatus est, vt Ephippius tradidit, qui ab aliis historicis in hoc dissentit, qui eum veneno sublatum malunt. quod

& Guillelmus Budæus libro de Asse quinto latiùs prosequitur. Fuit in conuiuiorum apparatu mirabilis. Diodorus ait Alexandrum in nuptiis Statyræ Darij filiæ, quam Susis matrimonio sibi iunxit, epulum nouem millibus conuiuarum fecisse, & vnicuique ad libamina peragenda auream phialam donasse. Arrianus libro sexto ait Alexandrum Susis sibi nuptias amicísque celebrasse: ipsum enim sibi maximã natu filiarum Darij accepisse, nomine Barsinen: vt autem Aristobulus ait, cum hac Paryśatin quoque minimam natu regis Ochi duxit, cùm etiam antè Roxanem vxorem duxisset, Oxyartæ Bactriani filiam: Barsinésque sororem Drypetin Hephæstioni dedit, vt filios Hephæstionis, sororis filios appellarit. tum Cratero, & Perdiccæ, & Eumeni aliísque primoribus Macedonum connubio iunxit filias principum Persidis, & Mediæ ad octoginta numero, omnibúsque dotes dedit: deinde omnes alios, qui vxores Persides & Asianas duxissent, nomina dare iussit, qui supra decem millia inuenti sunt, omnibúsque ab ipso donationes propter nuptias factæ. Apparatum nuptiarum, quas sibi & amicis celebrauit splendidissimo luxu, Chares historicus, & post eum Athenæus describunt. Siquidem in eodem conclaui duos & nonaginta thalamos sternendos iussit. Erat autem conclaue pergrande, centenarij lectisternij facile capax, in quo singuli lecti toralibus strati genialibus, erat impensa vicenûm minarum argenti: inter quos visendus erat lectus regius, pedibus aureis fultus. Epulum autem nuptiale in aula temporaria factum fuit, excitatis tentoriis singulari splendore, & opulentia. huius aulæ ambitus quatuor stadiorum erat, id est duûm millium & quadringentorum pedum, vel passuum quadringentorum octoginta. firmamentum autem præstabãt

columnæ vicenûm cubitorum, partim aureis laminis, partim argenteis contectæ. Insuper lapillis preciosis distinctæ, tum ambitum ipsum cingebat Babylonica stragula, aurea textura distincta. Nuptiarum celebritas diebus quinque instaurata, cùm interim & musici artifices, & scenici, & omne genus acroamatum in medium prodirent, sui quisque specimen artificij præbentes. Qui Alexandri diuitias, & liberalitatem ad amussim excutere voluerit, à Budæo libro de Asse quarto abundè requirat. In tanto rege vitio vertuntur superba vestis mutatio, desideratæ humi iacentium adulationes, fœda supplicia, inter vinum & epulas cædes amicorum, vanitas ementitæ stirpis, qui se Ioue genitum profitebatur. Dum Alexander in toto Asiæ imperio solus dominatur, Romæ triumphabant Marcus Valerius Coruinus, Caius Martius Rutilius, Caius Sulpitius, Titus Manlius Torquatus, Quintus Publius Philo, Lucius Papyrius Cursor, Quintus Fabius Maximus, duo Decij, Lucius Volumnius, & Marcus Curius. In quolibet horum, vt vult Liuius libro nono, tum indoles eadẽ, quæ in Alexãdro erat, animi ingeniique: tum disciplina militaris iam inde ab initio vrbis per manus tradita, in artes perpetuis præceptis ordinata. Ita reges gesserant bella, ita deinde regum exactores, ita deinceps Fabij, Quintij, Cornelij, ita Furius Camillus. Extincto Alexãdro de successore deligendo plurimus fit sermo, sex continuis diebus discutitur hoc negotium. Consilio principum imperium ita diuidi placuit, vt Aridæus Philippo genitus, Alexandri frater summam imperij obtineret, & Perdiccas cum rege esset, copiisque præesset, quæ regem sequerẽtur. Satrapiam Aegypti, Aphricæ gentiũ, quę in Alexandri ditione erant Ptolomæus consequitur. Laomedonti Syria

Syria cum Phœnicia data, Philotæ Cilicia obuenit: Antigono, Lycia, Phamphylia, & maior Phrygia assignatur: Cassandro, Caria: Menandro Lydia per principum distributionem assignatur: Cappadociæ & Paphlagoniæ præficitur Philon, Thraciam Lysimadus obtinere iussus est. Qui Indiæ, quique Bactriis, & Sogdianis, cæterisque Oceani, aut rubri maris accolis præerant, idem ius obtinuerunt. Regnum Macedoniæ Antipater & Græciã inuasit, interfectis omnibus quicunque Alexandrum etiam longinqua cognatione contingebant. Cæterùm corpus Alexandri à Ptolomæo, cui Aegyptus cesserat, Memphin, & inde paucis pòst annis Alexandriam translatum est. Sic Quintus Curtius decem libris, quos de Alexandri rebus conscripsit, testatus est. Iosephus Hebræus author libro Antiquitatũ duodecimo, extincto Alexandro, Græciæ monarchiam in quinque partes dispertitam author est, quarum Antigonus Asiæ imperium obtinuit, Babylonia verò cum continentibus prouinciis Seleuco obuenit, Lysimacho verò Hellespontí imperium cessit, Ptolomæus Soter Aegyptum sortitus est. Carion nouissimus author ait, cùm visum esset Domino nostro ex Alexandri monarchia quatuor principes oriri, vt ex Danielis prophetia constabat, nimirum, vt hirci illius, qui Alexandrum præsagiebat, vnico cornu præeunte, quatuor alia cornua enascerẽtur, quod exponit Angelus de quatuor regnis post Alexandrum institutis. quæ quatuor regna illis principibus, qui Philippo & Alexandro sanguine iungebantur, cessere. Perdiccas verò, qui à regio sanguine alienus erat, regni priuatur honore. Seleucus Syriæ rex creatus est, Ptolomæus Aegypti. sic Antigono Asiæ regnum contigit. Cassander in Macedonia & Græcia imperat. Hic in Macedonia nefandis ho-

micidiis se polluit. Olympiadem Alexandri matrem necari iussit. Roxanam Alexandri coniugem capi & obseruari fecit. Tandem relictis duobus liberis vita fungitur. hi fuere Antipater, vt aliqui nominant, Eusebius Antigonum nominat. Is a Lysimacho, qui iuxta Hellespontum regnabat, & socer eius erat, occiditur. Alter fuit Alexãder, qui à Demetrio occisus perhibetur. Sic finis in Macedonico regno sobolis Cassandri. Tandẽ regnũ Macedoniæ Demetrio Antigoni filio cessit. ab hoc Demetrio Antigoni filio originem duxerũt omnes reliqui Macedoniæ reges. Nam hic consilij boni particeps, in publicis rebus tractandis felix fuit. Ab eo Antigonus, ab Antigono Philippus, à Philippo Perseus, qui nouissimus Macedoniæ rex perhibetur. De quibus sigillatim agendum. Interea ad Perdiccam diuertendus est sermo. Is sub nomine Aridæi fratris Alexandri, & hoc prætextu moliebatur monarchiam sibi ascribere, idq; technis primùm honestis, deinde aperta vi cœpit attentare. Ambiebat sororem Alexandri Cleopatram: at Antipater, qui Macedoniæ imperabat, præsentiens dolum, qui parabatur, his nuptiis intercessit. Hæc ferè prima fuit occasio belli, quod inter Alexandri successores postea exarsit. Perdiccas Ptolomæum inuasit in Aegypto, vbi statim à suis militibus confoditur. Extincto Antigono Philippus regni Macedonici sceptra moderatur. Hic bello cum Romanis infelicibus auspiciis gesto, causam ruinæ Macedonico imperio attulit. hic Philippus cùm Athenienses obsidione premeret, anno, vt vult Liuius ab vrbe cõdita, quingentesimo quadragesimo quarto, Publio Sulpitio Galba, & Caio Aurelio Consulibus, paucis mensibus post pacem Carthaginensibus datam, & Athenienses per legatos auxilium à Senatu petiissent, Senatúsque censuisset ferendum,

plebe (quòd tot bellorum perpetuus labor grauis esset) dissentiente, tenuit patrum authoritas, bellúmque id contra Philippum Publio Sulpitio consuli demandatur. Qui exercitu Romano in Macedoniam traducto equestribus præliis feliciter pugnauit. Philippus magno periculo defunctus fuga saluti suæ prospexit. nam ruente equo saucius præceps ad terram aatus haud multùm abfuit quin iacens opprimeretur. saluti fuit eques, qui raptim ipse desiluit, pauidúmque regem in equum subiecit. Rex circumuectus per paludes peruias, inuiásque trepida fuga in castra se recepit. consulibus posteà Sexto Aelio Peto, cuius meminit Iureconsultus in Titulo de origine iuris, & Tito Quintio Flaminio, Macedonicum bellum Flaminio mandatur. Is Flaminius filius fuit illius Flaminij, qui ad Trasimenum contra Hannibalem pugnans periit, vt author est Plutarchus in Hannibale. hic vt Philippo in Epiri faucibus obuiàm occurrit, Philippũ bello fudit, diruptísque castris coëgit eum, in sua regna relicta Græcia se recipere. Quintius Flaminius superata Elatia in Phocide ciuitate, cum Achæis fœdus percussit, & sic duæ nobilissimæ ciuitates Argi & Corinthus, quæ in potestate regis erant, societate populo Romano iungũtur: quartus iam annus à decreto bello Macedonico agebatur. primum annum Sulpitius Consul quærendo regem eiúsque exercitum bona ex parte absumpserat, Velleus Consul congrediẽs cum hoste, re infecta reuocatus fuerat. Quintius Flaminius rebus diuinis Romæ implicitus, maiorem anni partem consumpserat: ita tamen eo tempore quo Macedoniam appulit, res gesserat, vt si aut maturiùs in prouinciam aduenisset, aut hyems magis sera fuisset, Philippum regno detrudere potuisset. Ideo cùm Cn. Cornelius Cethegus, & Quintius Minutius Cõsules crea-

rentur, Tito Quintio Flaminio prorogatum est imperium, donec successor aduenisset. Paulò pòst Lucius Furius Purpurio, & M. Claudius Marcellus Consules creantur, exitu eius anni literæ à Tito Quintio Flaminio venerę, se signis collatis cum Philippo rege in Thessalia pugnasse, hostiúmque exercitum fusum fugatúmque. Hæ literæ in Senatu, deinde ex patrum authoritate in concione sunt recitatæ. Breui pòst tempore à Tito Quintio legati & ab rege Philippo Romam venerunt. cùm Macedones quæcunque Senatus censuisset, id regem Macedonésque facturos dictitarent, decem legati, more maiorum, quorum ex consilio Quintius Flaminius imperator leges pacis Philippo daret, imperiúmque Tito Quintio prorogatur. Post paucos dies decem legati ab Roma venerunt, quorum consilio pax data Philippo est in has leges, vt omnes Græcorum ciuitates, quæ in Europa, quæq; in Asia essent, libertatem ac suas peculiares leges haberent, quæ earum sub ditione Philippi erant, præsidia ex his Philippus deduceret, captiuos transfugáque redderet, Philippus naues omnes tectas Romanis traderet, maximè regiam vnam mirabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, né ve bellum Philippus extra Macedoniæ fines iniussu populi Romani gereret. præterea mille talentúm Populo Romano daret, vt Liuius libro secundo quartæ decadis recenset. Sic pax petenti Philippo cum vniuersa Græciæ libertate à Romanis data est. Philippus duobus liberis educatis, quorum alter Perseus, alter Demetrius fuit, seditiones inter eos cooriri animaduertit. Demetrius cõfictis criminibus fraude Persei, paricidij & affectati regni reus agitur: quæ res stomachum Philippo patri vsque adeò mouit, vt non potuerit iracundiam continere, priusquàm veneno

eum tolli iussit. At vbi compertum habuit calumniosam in Demetrium accusationem falsis Persei artibus adinuentam, mœrore tabescens, dum secum agit quomodo de Perseo supplicium sumi posset, & eodem tramite quo modo Antigonum fidum & antiquum amicum regno Macedoniæ donare posset, ab hac luce subtrahitur. Philippo extincto, Perseus regni Macedoniæ sceptro insignitur, anno ab vrbe condita quingentesimo septuagesimo quinto, Consulibus Lucio Manlio, & Quinto Fuluio. & postea anno ab vrbe condita quingentesimo octuagesimo primo, Consulibus Lucio Posthumio Albino, & Marco Popilio, legati Aetolia ad Senatum missi, de Perseo Macedonum rege graues detulerunt querelas, nuntiantes Perseum iam viuo patre bellum concoctum in animo voluentem, omnes nõ modò gentes Græciæ, sed ciuitates etiam legationibus mittẽdis, pollicendo plura quàm præstare posset, ad bellum solicitare. Eodem ferè tempore Eumenes Romam venit, in Senatum intromissus causam sui itineris esse dixit, vt coràm moneret Senatum, vt Persei conatibus obuiàm iret. Orsus inde à Persei consiliis causam omnem aperuit, & dolum qui parabatur, apertissimis verbis retexit. Eius oratio à Liuio libro secundo quintæ decadis latè transcribitur. Anno postea quingentesimo octuagesimo tertio ab vrbe condita, Consulibus Publio Licinio Crasso, & Caio Cassio Longino, non Roma tantùm, nec Italia, sed omnes reges qui ex Europa in Asiam venerant, conuerterunt oculos ad curam Romani ac Macedonici belli. Ariarates Cappadocum rex in omnia belli pacísque pericula se consociarat Romanis. Antiochus omnia per suos legatos Senatui pollicebatur. Ptolomæus rem & operam Romanis offerebat. Massinissa Numidiæ rex

frumento Romanos adiuuabat, & auxilia cum elephantis Migaseno filio suo duce mittere ad bellum parabat. Colex Thrax Odrisarum rex euidenter Macedonum partis erat, Prusias Bithyniæ rex statuerat armis abstinere, euentum expectare. Publius Licinius Crassus bello Macedonico præficitur, quadraginta quinque remibus à Romanis bellum nauale geritur. Summa totius exercitus Persei, nouem & triginta millibus peditum constabat. Erant equitum quatuor millia. sextus & vigesimus annus agebatur, ex quo petenti Philippo pax data erat. & per id omne tempus à grauioribus præliis Macedonia quieta fuerat. eo anno prima pugna ad Calicinum tumulum fuit. qua primo congressu Perseus superior fuisse traditur. Inde paucis pòst diebus ad Phalannem agrum, cùm perspexisset rex sine vllo armato præsidio Romanos passim vagantes per agros, improuisò eos adortus multos compressit. Non multo postea decurso temporis interstitio, Consul regem Perseum ad Mopsellum adoritur, quo prælio octo millia Macedonum cecidere, Romanorum supra quatuor millia desiderata. Consul contentus modico successu in castra copias reduxit. Hæc dies Romanorum reficit animos, & Perseum percutit. Anno postea ab vrbe condita quingentesimo octuagesimo sexto, Consules Romæ creantur Lucius Aemilius Paulus secundùm, septimo decimo anno postquàm primo consulatu functus erat, & Licinius Crassus. Belli Macedonici cura Aemilio obuenit. hæc Aemiliorum familia à Numa Pompilio originem traxit: siquidem Numa genitis quatuor liberis, vni ex illis Mamerci nomen indidit, quem Aemilium cognomine vocitauit. Hinc antiqua Aemiliorum Romanis familia, vt Plutarchus in Numa fusiùs prosequitur. Hic statim

iam ab initio sui Consulatus vires in Macedoniam traiecit, & noua lege vigiles scutum in vigiliã ferre vetuit: non enim in pugnam vigil ire iubetur, vt armis vtatur, sed ad vigilandum: vt cùm senserit hostiũ aduentum, recipiat sese, excitétq; ad arma alios. Antiquum vigilũ vsum nouo more mutauit. hinc ad Enipeum amnem, vbi Persei castra metata erant, pedem promouit, neutro imperatorũ volente. fortuna, quæ plus cõsiliis humanis pollet, contraxit certamen. flumen erat non magnum, præsidium ex vtraque ripa positum erat, pugna inter vtramque aciem exoritur. vincunt Romani. Perseus cum paucis fuga se subtraxit. Consul nuntiis victoriæ Quinto Fabio filio, & Lucio Lentulo, & Quinto Metello cum literis Romam missis, spolia iacentis hostium exercitus peditibus concessit, equitibus prædam circumiecti agri, dum ne amplius duabus noctibus à castris abesserent. Deinceps omnis ferè Macedonia dedita in Romanorum ditionem deiicitur. Perseus Samothraciam vrbem proficiscitur. ibi cum tribus liberis à C. Octauio captiuus rapitur. inde. Cn. Octauius regem in castra ad Aemilium consulem misit. Hic finis belli Macedonici, cùm iam quadriennium continuum bellatum inter Romanos ac Perseum fuisset. Trigesimus nonus à Cranao, qui primus in Macedonia regnauit, rex Perseus numeratur. Quinto Fuluio & Lucio Manlio Consulibus, Macedoniæ regnum Perseus accepit, & à Senatu rex appellatus est. Regnauit annos vndecim. Macedonum, vt iam prædiximus, imperiũ vltimum terræ terminum implcuit, & vsque ad Indiam, qua terrarum vltimus finis rubrum mare amplectitur, peragrauit. tum maximum in terris Macedonum regnum nomẽ accepit. sic Liuius libro quinto quintæ decadis recenset. Eusebius in historiis Perseum octauũ & trigesimũ Macedoniæ

rege enumerat, ſub quo defecit Macedoniæ regnum, Olympiade centeſima quinquageſima tertia, anno ab vrbe condita quingenteſimo octuageſimo octauo, Macedonia in prouinciam redacta eſt leges additæ, vt liberi eſſent Macedones, legibus ſuis vterentur, annuos crearent Magiſtratus, tributum dimidium eius, quod regibus pependiſſent, Romano populo penderetur, & poſthac in quatuor partes ſcinderetur Macedonia. Et quoniam in hoc Macedoniæ regni exitio dictum eſt, Macedoniæ regnum in prouinciam redactum eſſe, hæc mihi magnopere viſa ſunt pertinere ad intelligendam rationem Romani principatus. Strabo Græcus author, qui Auguſti & Tiberij temporibus vixit, libro decimo circa finem ait, quoniam Romani terræ habitabilis optimam quamq; regionem ac celeberrimam obtinẽt, omnes ante ſe populis imperitantes ſupergreſſi, Europam fermè omnem tenẽt, præter eam eius partem quæ vltra Danubium protenditur, & eas gentes littorales, quæ inter Rhenum, & Tanaim ad Oceanum vergunt. Aphricæ autem ora, quæ nobis obuerſa eſt, omnino eis paret. reliqua autem Aphricæ pars, ægrè habitatur. ſimiliter Aſiæ omnis ora, quæ in os vergit, à Romanis imperia accipit, niſi ſiquis Achæorum, Zygorum, & Eniochorum rationem habendam putet, aut eorum regiones in numero habendas qui & latrocinia exercent. vniuerſa autem hæc regio, quæ Romanis paret, partim à regibus tenetur, partim Romani ipſi tenent, & prouincias appellant, in quas & Præſides & Quæſtores mittunt, qui tributa exigant: in quibus tamen liberæ quædam ſunt ciuitates, quarum nonnullæ in Romanorum amicitiam ea lege venerunt, nonnullis & ipſi poſtea honorem habentes, libertate eas donauere. Sunt & dynaſtæ quidam ſub eis, id eſt potentatus, nomine

nomine dominantes, & Phylarchi, id eſt tribuũ præfecti, & ſacerdotia obtinentes. Hi quidem ipſi legibus quibuſdã ſuis viuentes, prouinciæ autem aliàs aliter, nec ſemper iiſdem finibus diuiſæ ſunt: ſiquidẽ cùm Cæſar Auguſtus poſtquàm ei à patria imperij ſummã, & pacis belliq; arbitriũ perpetuum demandatũ eſt, in duas partes vniuerſam ditionẽ partitus eſt: quarũ vnã ſibi, alterã populo tribuit. & ſibi quidẽ quancũq; militari preſidio ſubegerat, retinuit, vt regiones barbaras, & gentibus nondum ſubactis finitimas: populo autem eam partẽ cõceſſit, quæ paci acquieſcens, facilè ſine preſidio in officio retinetur. rurſus vtranq; partẽ in prouincias cõplures diſtribuit, quarũ alteræ prouinciæ populi dicebãtur, in quas populus cõſules vel prætores mittebat: alias autẽ prouincias Cæſar obtinebat, ad quas regendas partim cõſulares, partim prætores mittebat. Hinc Suetonius in Auguſto, prouincias validiores, & quas annuis magiſtratuũ imperiis regi nec facilè, nec tutũ erat, ipſe ſuſcepit: ceteras procõſulibus ſortitò permiſit. Et hæc cùm de regno Macedoniæ in prouinciã redigẽdo occurrit ſermo, dicere venit in mentẽ. cætera in Romanorũ monarchia latiùs aperientur. Ad rẽ vnde digreſſi ſumus, redeo. Superata Macedonia, de ea Aemilius Paulus, intercedente & vehementiſſima oratione reluctante Seruio Sulpitio Galba, triũphauit, & Perſeum cum tribus filiis ante triumphalem currũ duxit, cuius rei lætitia, ne ſolida ei cõtingeret, duorum filiorũ funeribus inſignita eſt. Breui pòſt tempore Andriſcus vltimæ ſortis homo, Perſei ſe regis filium aſſerens, & mutato nomine Philippus vocatus, multis ad falſam eius nominis famam velut ad veram euntibus, contracto exercitu totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupauit: & à Pſeudophilippo exercitus Romanus vexatus eſt,

donec illum exercitum cum eius rectore Lucius Tremellius quæstor bello fudit, & disrupit. Sic finis Macedonici imperij, anno ab vrbe condita sexcentesimo vndecimo, Lucio Cecilio Metello, & Fabio Seruilio consulibus. Et Macedoniæ regnum gestarum rerum magnitudine glorioſum, cuius regum vnus Alexander Magnus Asiæ partem maximam, & Europæ nõ minimam subegit, aliquantò minùs septingentis annis, à Cranao scilicet vsq; ad Perseum, quem Paulus Aemilius dux Romanus in triumphum glorioſissimum duxit, protractum est. Hæc est Macedonia, terrarum imperio potita quondam: hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniã, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucasum transgressa: hæc in Bactris, Medis, Persis dominata, toto oriente possesso: hæc etiam Indiæ victrix, per vestigia Liberi Patris atque Herculis vagata. Hæc eadem est Macedonia tot regnis ab Alexandro aucta, cuius vno die Paulus Aemilius Romanus Imperator octoginta duas vrbes direptas vendidit. Tantam differentiã sortis præstitere duo homines, Alexander scilicet & Aemilius. Quod Plinius Naturalis Historiæ libro 4. Cap. 10. fusius prosequitur.

DE REGNORVM GRAECIAE ORIGINE ET EXCIDIO.

AD tertium Iaphet filium nunc nobis diuertendus est sermo. Ion, vel Ionam nomen sortitus est, Ioniósque omnes à suo nomine dixit. quæ nominis appellatio longè latéque patet: nam sub eo nomine omnis Græcia postea comprehensa traditur, vt Iosephus Antiquitatum libro primo, & Zonaras libro item primo, capite quarto tradiderunt. Cuius latæ amplæq; dominationis duodecim regionibus elenchus luculentissimè describitur. Peloponnesus, Attica, Corinthiaca, Laconica, Messenica, Eliacorum prior, Eliacorũ posterior, Achaia, Arcadia, Bœotica, Ionia, & Thessalia. de omnibus his speciatim agẽdum. Itaq; ab antiquioribus sumemus exordium, vt quæque regio sese erexit. In Græcia fuit Sicyoniorũ regio, quæ primò Aegialea dicta est, postea Apia, postea Sicyonia, & postea Peloponnesus, nouissimè Morea. Primus Sicyoniorũ rex fuit Aegialeus, anno à creato orbe bis millesimo centesimo septimo, vt Marianus Scotus annotauit, vel vt Theodorus Bibliander maulut, anno à creato orbe millesimo octingentesimo septuagesimo quarto, quo tempore in Assyria regnabat Ninus, in Aegypto verò Thebei, vt Eusebius tradidit, imperabant. Hæc Sicyoniorum regio primi regis ab initio nomem sortita, & ab Aegialeo Aegialea dicta. Sicyoniorum secundus rex fuit Europs. Regnauit annos quadraginta & quinq;, anno à

creato orbe ſecundum ſupputationẽ Mariani Scoti, bis milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto. Huius regni vigeſimo quinto anno naſcitur Abraham. In Aſſyria regnabat Ninus. Zoroaſtes magnus Bactrianorũ rex eo tempore clarus habebatur. Thebei Aegyptiis imperabant. Hoc quoque tempore, vt Marianus Scotus tradidit, Tribeta filius Nini à Semiramide eiectus de regno Aſſyriæ, in Galliis Treuerim vrbem condidit. Tertius Sicyoniorum rex Stelchin traditur, qui viginti regnauit annos, vt Euſebius annotauit, anno bis milleſimo ducenteſimo ſecundo. ſi vera eſt Scoti annumeratio, Bibliander procul ab hoc calculo abeſt. Eo tempore exoritur, regnum Cretæ, & primus rex fuiſſe perhibetur Cres indigena, inde Creta nomen accepit. Hic Noſum ciuitatem in Creta condidit, & Cybeles Matris templum. Quartus Sicyoniorum rex Apis fuit, à quo Apia, quæ prius Aegialea dicebatur, nomen accepit. Aſſyriorum rex tunc erat Ninus Nini & Semiramidis filius. Sicyoniorum quintus rex fuit Thelaſion, cuius regni tempore moritur Noë. Abraham ex Agare ancilla Iſmaëlem genuit, à quo Iſmaëlitarũ populi, qui poſtea Agareni, & nouiſſimo loco Saraceni dicti ſunt. Sextus Sicyoniorum rex Aegidius perhibetur, quo tempore regnabat in Aſſyria Analius. hoc quoque tempore Sodoma & Gomorra ſuccenduntur. Iſaac filius Abrahæ ſexagenarius genuit gemellos duos, primus Eſau, qui & Edom dictus, à quo gens Idumæorum: ſecundus Iacob, qui poſtea Iſraël, à quo duodecim Iudæorum tribus Iſraëlitæ dictæ perhibentur. Hoc quoque tempore Argiuorum regnum exoritur, cuius regni primus rex Inachus ſcribitur. Itaque authore Euſebio, tempora Patriarchæ Iudæorum Iſraëlis, & Inachi eadem fuere. Iuſtinus Martyr in Paræneticõ ait,

temporum Ogygis & Inachi, quos terra natos quidam ex veſtris exiſtimauere, Moſis hiſtoriæ meminerunt. vt ductoris & principis Iudæorum, & ita Caſtor Chronographus de Argiuorum regni origine loquitur. Anni regum Argiuorum ab Inacho vſque ad Tenelanthum nouiſſimum Argiuorum regem, ſunt quadringenti, vt Marianus Scotus ſupputauit. Euſebius Argiuorum regno ſublato in Mycenas tranſlatum illud exiſtimauit. Octauus Sicyoniorũ rex Leucippus fuit, anno, ſi vera eſt Mariani Scoti ſupputatio, bis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octauo. Quo tempore in Aſſyria Belochus, in Theſſalia Theſſalus, Argis Phoroneus ſecundus rex, Inachi & Niobes filius, qui leges primus iuráque conſcripſit, vt Euſebius ſuis in hiſtoriis annotauit. Sicyoniorum nonus rex fuit Meſappius. Decimus Eratus, anno ab orbe creato bis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo, qui regnauit annos ſeptem & quadraginta. Huius regni tempore, Iacob filius Iſaac natus in terra Chanaam. prophetiſans de Chriſto, & de vocatione gentium obiit in Aegypto, anno ætatis ſuæ centeſimo quadrageſimo ſeptimo, & ſepultus in Cariatharbe. Aſſyriorum tunc rex erat Baleus, & poſt eum Altades. Argiuorum tertius rex erat Apis, cuius tempore Sparta condita eſt à Sparto filio Phoronei, & poſt eum in Græcia regnauit Argus, quo regnante Græcia habere ſegetes cœpit, aliunde ſeminibus aduectis, quod Marianus Scotus latiùs perſequitur. Aegyptiis Chebron eo tempore imperabat. plerique Prometheum in hæc tempora reponunt, à quo homines factos comminiſcuntur, & re vera cùm ſapiens eſſet, à feritate incolarum, & nimia imperitia ad humanitatem & ſcientiam, hominum animos arte quàm maxima protrahebat. Vnde-

cimus Sicyoniorum rex fuit Plemmeus, qui regnauit annos octo & quadraginta, anno vt Scotus voluit ab orbe creato bis milleſimo quingenteſimo vigeſimo quarto. Hoc tempore regnabat in Aſſyria Manithus. Huius regis tempore Ioſeph moritur: poſt cuius interitum, Hebræi Aegyptiis ſeruierunt annos centum quadraginta & quatuor. Aegyptiorum reges Pharaones tunc omnes dicebantur, non hoc proprium nomen habentes, ſed pro dignitate tũc reges vtebantur, vt Cæſares hodie Auguſti appellantur. Sicyoniorũ rex duodecimus fuit Orthropolis, qui tres & quadraginta regnauit annos, quo tempore in Aſſyria regnabat Machaleus, Argis Craſſus. Quintus eorum rex Atlas frater Promethei præcipuus aſtrologus, ob eruditionem huius diſciplinæ cælum ſuſtinere affirmatus eſt. his regnantibus Syrus fuiſſe perhibetur indigena, à cuius nomine Syria nomen accepiſſe Euſebius, & Scotus authores ſunt. His quoque tẽporibus Amram genuit Moſem, anno ab orbe condito bis milleſimo ſexcenteſimo primo, vt Marianus Scotus annotauit. Theodorus Bibliander rectiore calculo natiuitatem Moſis ad bis milleſimum trecenteſimum ſexageſimum octauum ab orbe condito annum refert. Hoc quoque tempore Epidaurus condita traditur, & Theſſaliæ regnum exoritur, primũſque Emon rex creatur ordine ſucceſſiuo. Decimus tertius Sicyoniorum rex creatur Marathus, qui triginta regnauit annos. Athenienſium eo tempore regnũ enaſcitur. In Achaia, quæ nunc Attica nuncupatur, primus Athenienſiũ rex fuit Cecrops, qui & Diphyes dictus perhibetur. Hic quinquaginta regnauit annos, à cuius regno vſque ad Troiæ euerſionem lapſi ſunt anni trecenti ſeptuaginta quinque: à Cecrope vſque ad primam Olympiadem numerantur reges

decem & ſeptem principes verò, quos tantùm mors finiebat, viginti. Huc vſque exordium regnorum Peloponenſium, Argiuorum, Theſſaliæ, & Atticæ attigimus: nunc ex ordine omnia ea regna contingentia ſunt excutienda. Itaque procul dubio Moſis, & Cecropis primi Athenienſium regis eadem fuere tempora. Porro iſte eſt Cecrops Diphyes indigena, ſub quo primùm in arce oliua orta eſt, & Athenienſium vrbs ex Mineruæ appellatione ſortita eſt nomen. Hic primus omnium Iouem Deum appellauit, ſimulacra reperit, victimas immolauit, nequaquam iſtiuſmodi rebus in Græcia vnquam viſis. Cætera quoque quæ apud Græcos mira iactantur, poſteriora Cecropis annis deprehenduntur: ſi autem Cecropis, conſectariè & Moſis, qui iiſdem temporibus vixit: poſt hũc enim ſcribitur diluuium Deucalionis. Diluuium in Teſſalia fuit anno Deucalionis octuageſimo ſecundo, non ſolùm ex imbribus, ſed quòd obturatis montibus caſu flumina impleuerunt, & ſubſecuto terræ motu apertis oſtiis montium aquę in alueos reuerſæ ſunt, vt Beroſus fuſiùs, & Demophon libello de æquinoctis proſequuntur. Euſebius in tempore ſatis conuenit. Sic incendium Phaëthontis, quod in Græcia ſub Phaëthonte rege factum eſt poſt terræ motum Theſſaliæ. Erichthonius, Vulcani & Terræ filius. Dardanus, qui Dardaniam condidit, de quo Homerus, Quem primum genuit cæleſti Iuppiter arce. Porro Liber, Amphion, Muſæus, Orpheus, Perſeus, Caſtor, & Pollux, Mercurius, cæteríque Dij gentium, omnes poſt Cecropem fuere, vt Euſebius libro decimo, capite tertio de Præparatione Euangelica tradidit. Cecrops Athenas in Eubœa condidit, anno à creato orbe bis milleſimo quadringenteſimo nono: anno verò ante vrbem conditam octingenteſimo decimo, vt Marianus Scotus an-

notauit. Dum Cecrops Athenis regnat, Marathius in Peloponneſo, in Theſſalia Hemon regnant. Troyphas ſeptimus Argiuorum rex eſt, in Creta regnabat Cydon, Sparetus decimus & ſeptimus Aſſyriorum rex erat. Hic Syros & Phœnices ſubegit, vt Beroſus fuſiùs proſequitur. Ad Sicyoniorum reges redeo, qui & ſi nihil dignum memoria egerint, ſilentiõque iuſtè præteriri poſſint, eſt tamen eorum linea quaſi perpendiculum Græcæ hiſtoriæ. Decimus quartus rex Sicyoniorum enumeratur Marathus, & quintus decimus Ericheus, decimus ſextus Aſtades. Hoc tempore Corinthus condita eſt, quæ prius Epirus vocabatur. hoc tẽpore Hebræorum Iudex Othoniel creatur. Bithynia conditur à Phœnice. Phœnix, & Cadmus de Thebis Aegyptiorum in Syriam profecti apud Tyrum & Sidonem regnarunt. In Creta hoc tempore regnabat Aſterius. Athenienſium Pandion quintus rex erat, Rhadamanthus & Sarpedon reges ſunt Lyciorum. Decimus ſeptimus Sicyoniorum rex fuit Epopeus. tunc Aoth Iudex Hebræorum ex tribu Ephrain fuit, Argis Pelops regnabat, in Dardania regnauit Erichthonius filius Dardani, Minos verò filius Europæ regnabat in Creta. ſic ex ordine regnauit in Sicyoniorum regno Laomedon decimus octauus rex annos quadraginta, Argiuis Abas duodecimus rex eſt, & Proteus decimus tertius. In Dardania regnauit Tros, qui Troianis nomen dedit, anno vt Marianus Scotus vult, ab orbe condito bis milleſimo octingenteſimo vigeſimo ſeptimo, vel vt Theodorus Bibliander mauult, bis milleſimo quingenteſimo nonageſimo. In Aſſyriorum regno hoc tempore regnauit Lamprydes. Decimus nonus Sicyoniorũ rex fuit Sicyon, à quo populus Sicyoniorum nomen accepit, qui primo Aegialei dicti. Hoc tempore

pore Argiuorum decimus quartus rex fuit Acriſius, Athenienſium ſeptimus rex fuit Cecrops. Vigeſimus Sicyoniorum rex Polybus numeratur. Hoc tempore Argiuorum reges defecerunt, qui duraverant ab Inacho primo Argiuorum rege, vſque ad Acriſium quartumdecimum, & nouiſſimum regem Argiuorum, quingentis quadraginta quatuor annis, & in Mycenas imperium transfertur: vbi regnatum eſt ſub regibus primùm, Perſeo, ſecundò Steleno, tertiò Euryſtheo, quartò Atreo, quintò Thyeſte, ſextò Agamemnone, ſeptimò Aegiſtheo, octauò Oreſte, nonò Thimaſene, decimò Penthilo & Comete vſq; ad Heraclidarum deſcenſum. Nunc ad Sicyoniorum reges, vnde digreſſi ſumus, flectendus eſt ſermo. Eo tempore quo Sicyoniorum rex fuit Polybus vigeſimus rex, & quo quoque tempore Argiuorum regnum defecit, Athenienſium octauus rex Pandion, Aſſyriorum rex erat Panias, Hebræorum Iudex erat Deborra ex tribu Nephtalim, Aegyptiorum rex erat Rameſes. Vigeſimus primus Sicyoniorum rex fuit Inachus, qui regnauit annos duos & quadraginta. Hoc tempore Tyrus conditur, ante ædificationem templi Salomonis annis ducentis & quadraginta, vt Ioſephus libro Antiquitatum tertio ſcripſit, & Marianus Scotus probat. Vigeſimus ſecũdus Sicyoniorũ rex fuit Phestus, vigeſimus tertius fuit Adractus, vigeſimus quartus fuit Polyphides, & Aegyptiorum rex erat Ammenemes. Hoc tempore ſcribitur Theſeum Helenam rapuiſſe, quam rurſus fratres receperunt, capta matre Theſei, eo peregrè profecto. Bellum quoque Amazonum contra Thebas paratur. Illo quoque tempore Minos leges ac fora conſtituit. Athenienſium duodecimus rex erat Meneſtheus, Mycenis imperabat Agamemnon, cuius regni duodecimo octauo

Troia capitur. Vigesimus quintus Sicyoniorum rex fuit Pelasgus, Atheniẽsium Demophon, Mycenarum rex est Aegisthus. Nouissimus Sicyoniorũ rex fuit Zeuxippus, cuius tẽpore Sãson vixisse traditur, & illud tẽpus Theodorus Bibliã der ad bis millesimũ septingentesimũ octuagesimum sextũ ab orbe creato annũ reiicit. Hoc quoq; tẽpore, vt Eusebius annotauit, Hectoris filij Iliũ receperunt, eis Heleno subsidiũ ferente, eiectis ab Ilio Antenoris posteris. Apud Latinos Ascanius relicto nouercæ suæ regno Lauinij, Albã longã cõdidit, & Syluium Posthumum fratrem suum, Aeneæ ex Lauinia filium summa pietate educauit. Hic finis regni Sicyoniorum, quod ab Aegialeo, vsque ad Zeuxippum vigesimũ sextum regem durauerat octingentis sexaginta duobus annis. Post hoc constituti sunt Sacerdotes Carnij, qui triginta tribus annis præfuerunt, post quos Sacerdos constitutus est Charidemus, qui Persas bellantes non sustinens fugit. Huc vsque liber Iudicum finit. Nunc vt omnis Græciæ historia ex ordine excutiatur, ad Ionios, vnde initiũ sumpsit hæc historiæ enarratio, redeamus. Vt iam ex Iosepho & Zonara prædiximus, omnis Græcia sub Ionico nomine olim cõprehensa traditur. Hos subegit Crœsus, primúsque è Barbaris Græcos ad pendendum tributum adegit. Porrò subegit Iones & Aeoles, eísque tributum indixit, cùm ante eius imperium vniuersa Græcia libera fuisset: non enim qui vetustiores expeditiones antè egerant, vrbes expugnauerant, sed per incursiones prædas abigebant. Hæc Ionia post Basilicum aliquot se ambagibus sinuat, & primùm à Possidio promontorio inflexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, olim dictum Branchidæ, nunc Didymi. Miletum, vrbem quondam Ioniæ totius, bellipacísque artibus principem, vtcunque Ioniam vocant: & Latinum montem, Endymionis à Luna (vt ferũt) adamati fabula nobilem. Deinde rursus inflexa, cingit vrbem Prienem, & Gessi fluminis ostium: móxque vt maiore circuitu, ita plura complectitur. Ibi est Panionium sacra regio. Ibi Ephesus, & Dianæ clarissimũ templum, quod Amazones consecrasse traduntur, & pleraque alia promontoria, quæ Pomponius Mela libro primo latiùs prosequitur. De insignioribus huius Ioniæ regionis locis nunc nobis habendus est sermo, & ab oraculo Branchidæ sumemus exordium. Strabo inquit post Possidonium Oraculum Apollini Didymæo sacrum, apud Branchidas à Xerxe incensum, quemadmodum omnia templa, Ephesio excepto. & nomen Branchidæ à Brancho Thessalo ortum testatur. dictum est quoque Branchidæ Oraculum Didymi, eo quòd Apollo Didymus dictus perhibetur, quòd ex vno fonte lucis, gemino sydere spatia diei & noctis illustrat, vt Macrobius libro Saturnalium primo edocuit. Miletum verò vrbem quondam Ioniæ totius belli pacísque artibus principem, Mileum condidisse quidam existimauerunt, vt Strabo annotauit. Hæc totius Ioniæ clarissima fuit, bis conflictata à Persis, postea Alexander eam maxima vi oppugnans, ab ea maxima arte excluditur. Ab ea Thales Milesius nomen accepit, Olympiade, vt Eusebius libro decimo, capite tertio de præparatione Euangelica tradidit, quinquagesima: Glareanus Olympiade trigesima quinta mauult. Cuius vrbis Cadmus ciuis fuit, qui primus prosaicã orationem adinuenit, authore Plinio libro quinto. Fuit in Ionia Ephesus vrbs insignis, quondã clarorum virorum genitrix. Alij eam ab Androdo Codri Athenienſium regis filio conditam volunt, alij ab Amazonibus conditam malunt, vt Strabo libro institutionum se-

cundo, & Plinius libro quinto latiùs prosequuntur Ex ea ortus fuit Hipponax poëta, Parrhasius pictor, & Apelles, quanuis eum Ouidius Coum hoc versiculo malit,

Si venerem nunquam Cous pinxisset Apelles.

Fuit in ea Dianæ templum spectatissimum, cuius meminit Plinius libro penultimo, capite decimo quarto. De eo templo conscripsit librum Democritus. Est in Ionia nobile emporium. huius nomen Priene Biante alumno nobile, qui patria aliquando ab hostibus incensa, cùm reliqui omnes fugientes quippiam rerum suarum asportarent, quæsitus ipse cur nihil efferret: omnia, inquit, mea mecum fero, summas diuitias in animo statuens. Meminit huius loci Cicero in Paradoxis. Iones olim Nisea & Atticam obtinebant. Poëta omnes Atticam incolentes Athenienses appellat. Cúmque de finibus Peloponnenses & Iones disceptarent, inter se pepigerunt vt columnã ædificarẽt in eo (vbi professi cõuenerant) loco, qui circa Isthmũ est, cui inscribebatur titulus, vt pars Peloponnesum respiciens hæc Peloponnesus esset non Ionia, pars verò Megaram aspectans, hæc non Peloponnesus, sed Ionia. hæc Ionia & Attica regio in quatuor partes diuisa traditur. quod Strabo libro nono in principio latè tradit. Athenæ ciuitas liberalium artium, & Philosophorum mater, qua nihil habuit tota Græcia clarius, fuit inter Achaiam & Macedoniam, in regione, quæ Attica appellatur, quæ & Ionia dicta est: prisca enim lingua Attici Iones vocabantur, & ab eis Iones illi profecti sunt, qui in Asiam colonias deduxerunt, vt Strabo libro octauo in principio annotauit. Athenas Cecrops condidit, vnde & Cecropia dicta est, & postea ab Athi Athenarum rege, qui Cecropi in regno successit, Attica est appellata: & postea à Mopso Mopsopia, & à Ione Xanthi

filio, vel vt Iosephus scribit, à Iano, Ionia. Postremo à Minerua Athenæ. Nam & Græci Mineruam Ἀθηνᾶ vocant, vt Sebastianus Mũsterus latiùs prosequitur. Cecropem autem fabulosa antiquitas duplicis naturæ finxit, quia primus mares fœminis matrimonio iunxit, vt Cælius Rhodiginus libro decimo, capite vigesimo quinto tradidit. Athenienses statim ab initio pueros ita erudiebant, vt nandi vsum, propter naualia bella, & literas condiscerent. Fabulantur Iustinus libro secundo, & Cælius Rhodiginus libro decimo, capite vigesimo quinto, ab iis vsum lanificij, olei, vini, arãdi, serendique frumenta hominibus glande vescentibus præmõstratam rationem: cùm tamen ex his quæ suprà annotauimus constet, rerum illarum rationem & exordium aliunde allatum, Athenienses origine gloriantur, quippe neque aduenæ, neque passim collecta populi colluuies originem vrbi dedit, sed in eodem nati solo quod incolunt, & quæ illis sedes, eadem origo est. Iustinus libro secundo Cecropem primum Athenien sium regem ante aquarum alluuiem reponit; quod Eusebius libro decimo, capite tertio de Præparatione Euangelica non probat. Cecropi in Athenarum regno successit Cranaus, cuius filia Athis, Attice regioni nomen dedit. Posteà regnauit Amphitryon, qui primus Mineruæ vrbem sacrauit, & ciuitati Athenas nomen dedit. per ordinem deinde successionis regnum ad Erichthonium descendit, qui, cùm maxima siccitas omnem ferè orbem præter Aegyptum peruasisset, attulit ex Aegypto frumenti plurimam copiam, ob idque beneficium ab eis rex constituitur, vt Diodorus libro primo de fabulosis antiquorum gestis latiùs enarrauit. Post hunc successit in regno Athenarum Aegeus, post Aegeum Theseus, post Theseum Demophon, qui Græcis aduersus

Troianos auxilium tulit. Nouissimus Atheniẽsium rex Codrus perhibetur, post quem Athenis nemo regnauit, sed principes siue magistratus, quos mors finiebat. Horum primus Medon Codri filius, secundus Agastus, tertius Archippus, quartus Terpsippus, quintus Phorbas, sextus Mezades, septimus Diognetus, octauus Pheredus, nonus Ariphron, Decimus Thespieus, vndecimus Agamnestor, duodecimus Aeschylus, decimus tertius Ascamenon, decimus quartus Carops, decimus quintus Aesimedes, decimus sextus Elidicus, decimus septimus Hippomenes, decimus octauus Leocrates, decimus nonus Absander, vigesimus Eryxias. Hi viginti magistratum gerentes quoad vixerunt regnarũt, durauitq; is regnandi mos vsque ad vigesimam & secundam Olympiadem, dum Romæ Tullus Hostilius regnat, quo tempore Athenienſium regnum omni ex parte collabitur, & Athenis annui nouem principes constituti, viri ex nobilioribus vrbis electi, vt latiùs Eusebius in historiis prosequitur. Tunc ciuitati nullæ leges erant, sed libido regum pro legibus habebatur, donec Draco Olympiade trigesima sexta, vt Eusebius libro decimo, capite tertio de præparatione Euãgelica scripsit, legibus Athenas fundare incepit, & postea Solon Olympiade quadragesima septima, vir iustitia insignis, veluti nouã ciuitatem legibus cõdidit. Multa ad laudẽ huiusce ciuitatis Athenarũ Cicero in oratione pro Lucio Flacco cõscripsit, vt fulgurantis eloquentiæ cuiusdam & sapientiæ exquisitioris augustius sacrarium. Quæ tamen tam nobilis ciuitas in plerisque à linea deerrasse agnoscitur: nam munerum, & lucri inexplebilis ardor ita ciuium animos occupauit, vt vulgò iactatũ sit, Atticum vel morientem, manum porrigere. Aristophanes in Nebulis, Athenienſium impudentiam infamat. dicuntur

hi quandoque adulatorum adulatores. Plutarchus scribit tũ ad iram, tum ad misericordiam fuisse lubricos Athenienses, ac suspiciones arripere celeriter, quàm edoceri per quietem maluisse. hi longè à Romanorum grauitate disiuncti traduntur. Copiosos autem Athenienses fuisse ex Thucydide iudicari potest, qui libro secundo Periclem eorum ducem ita inducit de eorum opibus differentem, confidere eos debere, nec incursu hostium perterrefieri: bello enim gerendo, consilio, & vi pecuniæ, plurima obtineri. Athenienſibus sexcentorum talentorum obuentionem annuam esse, quæ quotannis ferè tributi nomine à sociis eorum pensitaretur præter alios prouentus: præterea signati argenti in arce sex talentorum millia. fuisse autem aliquando nouem millia septuaginta, ex quibus in publicas extructiones erogatum fuisse, quod nunc illi summæ desit. Guillelmus Budæus libro de Asse quinto hæc sex millia talentũm, tricies sexies centenis millibus aureorum nostrorum æstimat. Athenæus libro duodecimo scribit Duridem in historiis prodidisse, Demetrium Phalereum cùm Athenis Reipublicæ administrandæ præesset, mille ac ducẽta talenta quotannis in potestate habuisse. Budæus satis cõstare inquit reditus publicos Athenarum mille & ducentorum talentũm fuisse. Tantis opibus hæc ciuitas creuerat, vt legatur Athenis Isocratem rhetorem viginti talentis orationem vnam vendidisse. Plutarchus author est, Demosthenem in eadem vrbe totidem talentis, vnius diei reticentiam vendidisse Harpalo, qui Alexandrum Magnum fugiens se Athenas contulerat. historia ab Aulo Gellio libro decimo aliter refertur, hoc tamen penè conuenit, quòd Demosthenes nocte aureo calice accepto, cum viginti talentis argenti, in concionẽ postridie veniens collo lana & fasciis obligato, cùm censere

iuberetur, & pro concione dicere quid de Harpali postulatis statuendum esset, nutu ostenderit se irraucuisse, nec proloqui posse. quo tempore hi qui munere Harpali corruptum esse sciebant, dixerunt concionatorem hominem & popularem non angina, sed argentangina laborare. Athenæ paruum oppidum, nunc cum arce fortissima Sethine hodie dicuntur, à Mahumete octauo Turcarum imperatore in Turcarum ditionem deiectæ. huic vicina Peloponnesus est, cuius reges supra cùm de Sicyoniorũ regibus ageremus, latè à nobis discussi sunt. Nunc de regione illa speciatim agendum. Hæc totius Græciæ quondam arx dicta est: nam præter habitantium in ea gentium nobilitatem, & potentiam, ipse loci situs principatum designat. Hæc tenui Isthmo adhæret continenti. nunc Morea dicitur. In ea est Laconia, quæ & Lacedæmonia dicitur, habens claram & potentem ciuitatem, quæ Sparta dicta est, ab Sparto Phoronei filio. Huius principes olim Menelaus, & Agamemnon fratres. Porro Arcadia in media Pelopõneso est sita. Strabo libro septimo inquit Peloponnesum priusquàm Græci incolerent, à Barbaris habitatam fuisse. itidem ferè & Græcia vniuersa priscis temporibus Barbararum nationũ habitatio fuit. Hisce Lycurgus legislator centum annis ante primam Olympiadem leges dedit, vt Eusebius libro decimo, capite tertio de præparatione Euangelica tradidit, nihil in alios vlla lege sancians, cuius non ipse primus in se documenta edidisset. Hic legibus firmauit imperium, populum in obsequia principum, principes ad iustitiam inferiorum firmans, parsimoniam omnibus suadens, existimans laborem militiæ, assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. emi singula non pecunia, sed compensatione mercium iussit. auri argenti'ue vsum velut omnium scelerum

scelerum materiam sustulit, administrationémque Reipublicæ per ordines diuisit, regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia, senatui custodiam legum, populo sublegandi senatum, vel creandi quos vellet magistratus potestatem permisit. Tandẽ & nouissimo loco hæc regio primò Aegialea dicta, postea Apia, postea Sicyonia, postea Peloponnesus, & posteriore loco Morea. Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo secundo Amurates Turcarum rex Senicus more prædecessorum oppugnauit Thessalonicam, & bonam partem Græciæ: obsedit quoque anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo nono Belgradum, deinde anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, vicit Christianorum exercitum, ad lacum Vernensium, non procul à Bosphoro. Fuêre in exercitu illo Christianorũ, Vngari, Valachi, Poloni, rex ipse Poloniæ, Cardinalis Iulianus, & Vngariæ Pontifices multi, & circiter triginta millia equitum, qui cum Vngariæ rege & Iuliano Cardinale occubuere. Ex hac victoria elatus tyrannus maxima vi oppugnauit Pelopõnesum, & murum Isthmi Corinthiaci deiecit, qui putabatur esse vnicum Peloponnesiorum præsidium. Est in Græcia Achaia duplex, altera ora quædam Peloponnesi ab Achæis sic dicta, altera verò Achaia extra Peloponnesum est, quæ alio nomine Hellas dicitur. sunt in ea multæ paruæ nationes, vt Bœotia, Phocis, Attica: in Phocide est Parnassus mons in cuius australi latere est Delphi ciuitas, vbi templum est Apollinis. Templum illud & ciuitatem non muri, sed præcipitia & naturalia præsidia defendunt: in rupis anfractu media ferme montis altitudine planities est, atque in ea profundum terræ foramen, ex quo frigidus spiritus vi quadam velut vento in sublime expulsus,

mentes vatum in vecordiam vertit, impletaq; Deo responsa consulentibus dant: hinc Persius, Nec in præcipiti somniasse Parnasso Memini, vt sic repête poëta prodirem. Bœotiæ verò descriptionem, situm, & gentis originem Strabo libro nono latissimè prosequitur. Sunt in Græcia linguarum differentiæ. istas ipsas quatuor esse constat, Ionicam eandem quam priscam illam Atticam asserunt veteres: eius enim ætatis Attici, Iones vocabantur. Et ab eis Iones illi profecti sunt, qui in Asiam colonias deduxerunt, eam, qua docti loquebantur, linguam vsurpantes Ionicam. Doricam verò eam esse constat, quam Aeolicam tradunt. Omnes enim extra Isthmũ habitantes, exceptis Athenienſibus, & Megarenſibus, & Parnassi accolis Dorienſibus, Aeolici nuncupabantur. Cúmque Dorienſes pauci forent, agrúmque durum incolerent, impermixtam conſeruauerunt linguam, alióſque mores. Hoc idem Athenienſibus obtigit, qui tenuem admodum tellurem, aſperúmque incolebant agrum, quam ob cauſam nullis afflictos populationibus, & Aborigines exiſtimatos eſſe teſtis eſt Thucydides, cùm eandem omni tempore terram poſſiderent, à nullo prorſus eiecti: nempe cuius cupiditate obtinendæ nemo teneretur. Hoc idem nec alterãdæ linguæ, gentíſque permutandæ cauſam extitiſſe teſtantur veteres. Hoc modo cùm Aeolicorum exteriùs Iſthmum inualeſceret multitudo, & qui interiùs pridem fuerant, Aeolica gens erat: Poſtea cùm Iones ex Attica littus occupaſſent, & Dorienſes Heraclidæ reduxiſſent, qui Megara condiderunt, in vnum commixti ſunt. Multa quoque in Peloponneſo ab illis ædificata ſunt oppida. rurſus Achæi, natio Aeolica Ionas expulerunt. Vnde in Peloponnenſo gentes duæ reſtitêre, Aeolica videlicet, ac Dorica, quicũque ſanè minus ſeſe cum Dorienſibus implicuerunt, vt Arcadibus & Eleis obtigit, Aeolico ſermone vtebantur. Alij verò mixtam ex ambobus habuêre linguam, hi minùs, hi ampliùs Aeolicis verbis vtentes, feréque ciuitates alio, & alio loquebantur modo, ſed omnes Doricè fari videbantur, quæ omnia Strabo libro octauo latiùs proſequitur.

DE GALLOGRAECIS.

ILLIVSQVE GENTIS REGNI ORIGINE ET EXCIDIO.

PRIMOGENITVS filiorum Iaphet, Gomer dictus eſt, qui pater & origo Gomeritarum fuit. Ij Galatei nuncupati ſunt, & poſtea Gallogræci dicti, vt Ioſephus libro Antiquitatum primo, capite ſexto, & Zonaras libro item primo, capite quarto tradiderunt. Eorum regio fuit Galatia, quam Gallorum aliquos populos occupaſſe Plinius libro quinto, capite duodecimo teſtatur, & Ptolomæus libro quinto, tabula prima Aſiæ indicat, Strabo quoque libro quarto Tectoſages à Narbonenſi Gallia, Toliſtobogos verò & Throcinos à Celtis Galliæ partibus profectos, Phrygiam Cappadociæ & Paphlagoniæ vicinam occupaſſe ſcribit. Tanto olim robore Galli valuerũt. Meminit horum & Liuius libro octauo quartæ decadis. Guillelmus Langæus libro ſecundo Gallicæ hiſtoriæ author eſt, cùm Francion Hectoris filius ducta vxore filia Rhemi Gallia-

rum regis, coacta Gallicæ nationis frequenti copia, in Phrygiam Gallicum exercitum traduxisset, expulsis Antenoris liberis, fratres suos in patria regna remisisse, & ne postea sedibus patriis pellerentur, Gallos, quos secum in eam militiam adduxerat, in ea regione constituisse, qui regnum Galatiæ erexerunt, à Galliáque Galatia dicta. Pater Hieronymus ait, cùm ex bona parte totius orientis ora, lingua Græca uteretur, Galatas tamen Gallicam linguam semper retinuisse. Ij Galatæ postea Gallogræci dicti sunt, vt Pomponius Mela libro primo tradidit, hincque Galatia Gallogræcia est appellata, vt Strabo libro quinto latiùs prosequitur. Hæc Galatiæ regio ab occasu Bithyniam amplectitur, à meridie Pamphyliam contingit, vt Ptolomæus libro quinto in prima, & quinta Asiæ tabulis latiùs tradidit. Plinius libro quinto capite trigesimo secundo author est, Ambianos Celtis comites fuisse, quando ea Galatiæ prouincia à Celtis occupata fuit. Ij Galatæ primùm Verbum veritatis ab Apostolo acceperunt, sed vbi primùm Apostolus ab eis euanuit, à pseudoprophetis circumuenti, in legem & circunciſionem uersi, collapsi sunt. Eos Apostolus ab Epheso, epistola ad eos conscripta, reuocat ad veritatis fidem. Ij fortitudine feritatéque præpollentes, omnem fermè Asiam decurrentes, Cimmerij quoque dicti sunt, qui paulò pòst corrupto nomine Cimbri sunt appellati. Ij sunt qui Roma capta cùm Delphici Apollinis templum spoliassent, magnam Europæ partem, & non paruam Asiæ tributariam fecêre, agris eorum, quos subegerant, possessis: Qui in Græciam transierant, Gallogræci sunt nominati. postremò plures, magnósque Romanorum exercitus attriuerunt. noxios homines quinquennio seruatos Diis sacrificabant, cúmque aliis primitiis supra in-

gentem pyram imponebant. captiuos quoque Diis sacrificabant. in ferarum pellibus humi dormientes, ex vtroque latere excubitores habent, vt Diodorus latiùs libro de antiquorum fabulosis gestis sexto tradidit. Titus Liuius libro quinto primæ decadis ait, cùm Tarquinius Priscus Romanum regebat imperium, Ambigatum Celtarum regem, quòd imperio eius Gallia adeò frugum, hominúmque ferax fuit, vt abundans multitudo vix regi posse videretur. Exonerare regnum prægrauante turba cupiens, duos ex sorore nepotes, quorum alter Bellouesus, & alter Sigouesus appellabatur, dimisit: vt in quas Dij dedissent auguriis sedes, sceptra constituerent: quantas ipsi vellent hominum copias excirent, ne qua gens arcere venientes posset. Hi Bituriges, Aruernos, Senones, Heduos, Ambarros, Caruntes, Aulercos exciuere. In Insubrium agro Mediolanum vrbẽ condidêre. Senones Galli Brennone regulo duce, Roma superata Capitolium oppugnant. Ibi seditio oritur, & ad viginti hominum millia cum Lomnorio & Lutario regulis, secessione facta à Brennone in Thraciam iter auertũt, vbi cum resistentibus pugnando, pacem petentibus stipendiũ imponendo, Byzantium cùm peruenissent, aliquandiu oram Propontidis vectigalem habendo, regionis huius vrbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Asiam transeundi cepit. Ad Hellespontum descendunt. Hîc alia rursus noua inter regulos seditio suboritur. Lomnorius retro, vnde venerat, cum maiore parte hominum repetit Byzantium, Lutarius Macedonibus per speciem legationis ab Antipatro ad speculandũ missis, duas naues, & tres lembos adimit, his alios atque alios dies noctésque transuehendo intra paucos dies omnes copias traiecit. Haud ita multò pòst Lomnorius, adiuuante Nico-

mede Bithyniæ rege, à Byzantio copias transmisit, coëunt deinde in vnum rursus Gallici exercitus. Galli profecti è Bithynia tantùm terroris omnibus, quæ cis Taurum incolũt, gentibus iniecerũt, vt quas adissent, quásve non adissent, imperio parebant. Postremo victa ex bona parte Asia, imperij Gallogræcorũ in tres partes fit sectio. Tectosages mediterranea Asiæ sortiti sunt. Tectosages origine Pyrenæis propinqui sunt, paulùm etiam aquilonare latus Cemeniorum montiũ attingunt, terram colentes multo auro præditam. In eorum terra est Tolossa, à qua à Cepione imperatore Romano quindecim talentũm millia ablata, post Possidonium author est Strabo, quorum partem in fanis, partem in lacubus consecratis reconditã fuisse ait Strabo. Illud aurum argentúmq;, rude atq; infectum. Hęc Tectosagum regio auro alioqui abundãs, homines habuit superstitioni addictos, & ad parsimoniã in victu assuetos. Hinc aurum Tolosanum decantatissimum in prouerbium cessit. Huius meminit Cicero libro tertio de natura Deorum, sic & Gellius libro tertio. Trogus libro trigesimo secundo Cepionem appellat eum imperatorem, qui aurum Tolosanum abstulit, quod sacrilegium ei & exercitui excidij causam fuisse tradit. Aurum illud Tolosanum, vt id obiter etiam dicatur, si ad nomisma nostrum referatur, cẽties & decies centena millia aureorum efficiet, & si ad vernaculam linguam nostram res redigatur, neuf millions d'escus, nulla argenti habita ratione. In huius tamen historiæ enarratione, non satis inter historiarum scriptores conuenit, vt in Gallica historia fusiùs excutietur. Throcinis verò Hellespõti ora data est, Toliſtobogis Aeolis, atque Ionia obuenit. His rebus sic inter eos compositis, eis stipendium tota cis Taurum Asia pendebat, tantúsque terror eorum nominis erat, multitudine etiam magna sobole aucta, vt Syriæ quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerẽt. Eisdem opes vsque ad bellum Antiochi cum Romanis manserunt, tum quoque pulso Antiocho. Anno ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo quinto, Romæ Consules creantur Marcus Fuluius Nobilior, & Cneus Manlius. Cneo Manlio bellũ in Gallogræcia gerendum mandatur. tres reguli Gallorum erant, Ortiago, Combolomarus, & Gaudotus. Toliſtobogi Gallogræci in Olympo monte à Consule vincuntur. cæsa Gallogræcorum, vt plerique volunt, quadraginta millia: sunt qui capta decem Gallogræcorum millia malint. sic mons Olympus in Romanorum ditionem deiicitur. Supererat bellum integrum cum Tectosagis. Ad eos profectus Consul tertiis castris Ancyram nobilem vrbem peruenit, ibíque Tectosagos & Throcinos bello superat, exercitúmque eorum bello fudit, & de his triumphauit, anno ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo septimo, Consulibus Caio Quintio Flaminio, & Marco Aemilio Lepido. Sic finis Gallogræcorum regnorum, & dominationum, vt Liuius libro octauo quartæ decadis latiùs prosequitur. Fuerunt Galatæ prævalentes corpore. Plutarchus in Lucullo ait Lucullum penuria commeatuum pressum, cùm in Mithridatem infestis copiis contenderet, triginta secum millia Galatarum duxisse, qui totidem tritici medimna portarent, ita vt singuli senos modios gestarent, quos Galatæ illi homines prævalidi nullo negotio onere viatorio gestare potuerunt. Athenæus libro quinto sic ait, si verba Græca Latina facias, Galatæ qui Scordisci nuncupantur, aurum in regionem eorum non inferunt, populantes verò alias regiones aurum non negligunt: hi autem Scordisci sunt vocati, quia reliquiæ Galatarum ex-

titerunt, qui cum Brennone duce militarunt, quando Delphos diripuerunt. deinde Galatarum dux Bathanatius eos in regione, quę circa Istrum est, collegit, sedésque capere iussit, qui locus Scordiscorum sedes demonstrat, ad Istrum videlicet extitisse, vbi hodie Vngaria inferior est, quod fusiùs Lazius libro quinto prosequitur.

DE LATINI
REGNI ORIGINE
ET EXCIDIO.

PRIMVS Latinorum rex Ianus fuisse perhibetur: hinc Numa Pompilius primum anni mensem à Iano Ianuarium nominauit, Ouidius libro Fastorum primo:

At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras,
Mensibus antiquis addidit ille duos.

Huic successerunt in regno Latinorum Saturnus secundus rex, tertius Picus, quartus Faunus, quintus Latinus. Regnarunt ij quinque reges in Italia annis circiter centum, & quinquaginta, vt Eusebius vult. Dum Latinus in Italia regnat, Mycenis regnat Aegisthus, Demophon Athenis, Assyriorum rex erat Tautanes, Sicyoniorum rex fuit Pelasgus, Iudæorum Iudex Samson. Dum Latinus Italiæ rex est, Troia decem & septem diebus ante solstitium in Græcorum ditionem deiicitur, & primus annus post Troiam captam cepit viginti dies post solstitium, quod octauo Calendas

lendas Iulias est, vt Plinius libro decimo octauo, capite vigesimo octauo tradidit. Circiter autem æquinoctium autumnale per Hellespontum in Thraciam profecti sunt Troiani duce Aenea, atque ibidem eam commorati sunt hyemem, vt susciperent ex fuga reliquos. appararéntque ad nauigationem necessaria. Quod vbi factum est, veris principio in Siciliam nauigarunt, finitúsque est primus annus. Secundo anno in Sicilia hyemarunt, & sedatis maris procellis, ex Sicilia soluentes Tyrrhenum traiiciunt mare, in Laurentem profecti agrum. Ibi icto fœdere cum rege Latino, ac accepta agri quadam portione, Lauinium condere cœperunt. Tertio anno ab exitu Troiæ, Aeneas solis Troianis imperat, ducta in matrimonium Lauinia, Latini regis filia (vnde & Lauinium nomen habet) quarto anno, sunt qui octauo malint, hinc Virgilius,

Vnam te iam septima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æstas,

vt & Eusebius annotauit. Latinus rex pugna, qua aduersus Rutulos, & eorum ducem Turnum, ipse cum suis ac Aenea genero, & Troianis stetit, occiditur, & regnum affinitatis iure ad Aeneam venit, qui & suis & Latinis imperauit annis tribus: hinc Virgilius,

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternáque transierint Rutulis hyberna subactis.

Sic Aeneas post euersam Troiam anno quarto, regnat tribus annis post Latini soceri mortem. Septimo anno Aeneas ipse in pugna ad Numicum amnem, qua aduersus Hetruscos ac Mezentium eorum regem stetit, vltimùm visus est, & sub finem septimi anni eius filius Ascanius imperare cœpit, qui fuit Aeneæ ex Creusa filius. Titus Liuius ambigit

si Lauiniæ fuerit filius Ascanius, is scilicet qui post mortem Aeneę rerum potitus est, an fuerit alius Creusa matre comes fugæ paternæ, quem Iulum Iulia gens authorem sui nominis appellat. Is Ascanius vbicunque & ex quacunque matre genitus (certè natum Aenea constat) florentem iam, atque opulentam Lauinij vrbem matri seu nouercæ reliquit, nouam ipse aliam sub Albano monte condidit, quæ ab situ vrbis quoniam in montis iugo in longitudinem porrecta est, Longa Alba appellata est. Inter Lauinium, & Albã Longam coloniam deductam triginta fere interfuere anni, tantum opes creuerant, maximè fusis Hetruscis, vt ne morte quidem Aeneæ, nec deinde inter muliebrem tutelam, rudimentúmque primum pueritiæ regni mouere arma Hetrusci, aut vlli alij accolæ ausi fuerint. Pax ita conuenerat, vt Hetruscis, Latiníque fluuius Albula, quem nunc Tyberim vocamus, limes esset. hæc Liuius, qui dubitauit vter Ascanius, an Creusæ, an Lauiniæ filius regnauerit. Cuius dubij ratio si non alia, hæc vna esse potuit, quia si Lauiniæ filium regnare affirmaret, iam inaniter gloriaretur domus Iulia à Iulo hæreditario iure nomen accepisse, hinc Virgilius.

Iulius à magno demissum nomen Iulo.

Si verò Creusæ filium asseueremus, illum incubatorem fuisse fateamur necesse est, vtcunque sit, successio regum Albanorum ab Ascanio Lauiniæ deducta ex eo satis iudicari potest. Nam is Syluius dictus est, quòd post patris mortem mater de eo grauida in syluis Ascanium Creusæ fugiens enixa sit, hinc Virgilius,

Syluius Albanum nomen tua posthuma proles.

Huius Ascanij Latinorum regis tempore, anno regni sui decimo quarto, Hectoris filij Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno eis subsidium ferente, vt Eusebius suis in historiis annotauit, & Guillelmus Lãngæus in Gallica historia fusiùs explicat. Dum hic in Latinorum regno rerum potitur, Pyrrhus Delphis in templo Apollinis ab Oreste per proditionem Macharei sacerdotis occiditur, Hebræorum Heli sacerdos est. post Ascanium ab Aenea tertius Latinorum rex est Syluius Posthumus, qui vt Eusebius vult, post mortem Aeneæ patris editus in syluis, ruri educatus, & Syluij & Posthumi nomẽ accepit, à quo omnes Albanorũ reges Syluij dicti sunt. Hoc tempore, vt plerisq; placet, Homerus fuit. Quanta tamen de eo apud veteres fuerit opinionum diuersitas, ex eo manifestè constabit. Crates ante descẽsum Heraclidarum Homeri tempora reponit. Eratosthenes post centesimum annum Troianæ cladis eum floruisse mauult. Philochorus emigrationis Ionicæ tempore sub Archippo Athenienſium Magistratu, & post Troiam captam annis centum & octoginta Homerum vixisse censet. Apollodorus Athenienſis post ducentesimum quadragesimum annum euersionis Ilij tempora Homeri reponit. Non defuerunt alij, qui modico tempore antequàm Olympiadum enata esset inuentio, quadringentis retrò annis Troianæ Cladis eum fuisse putent. Alij tempore quo Agrippa Syluius Latinis rex erat malunt. Huic Syluio in Latinorum regno successit Latinus Syluius, qui quinquaginta regnauit annos. Alba ex Latino ortus, & ex Alba Atys, ex Aty Capys, ex Capy Capetus, ex Capeto Tyberinus, qui in traiectu Albulæ submersus nomen suum flumini reliquit, ex Tyberino oritur Agrippa, ex Agrippa Alladius Syluius, ex Alladio Auentinus Syluius, ex Auentino Procas Syluius, à Proca Numitor, & Amulius. Procas Numitori, qui stirpis maximus erat,

regnum vetuſtum Syluiæ gentis legat, plus tamen vis valuit quàm patris voluntas. Pulſo Numitore fratre Amulius regnat. Addit ſceleri ſcelera. Stirpem fratris virilem Aegiſthum interemit. fratris filiæ Rheæ Syluiæ per ſpeciẽ honoris, cùm Veſtalem eam legiſſet, perpetua virginitate ſpem partus ademit. Sed vt Liuius doctiſſimè ait, debebatur fatis tantæ vrbis origo. Compreſſa Veſtalis cùm geminum partum edidiſſet, ſeu ita rata, ſeu quia DEVS author culpæ honeſtior erat, Martem incertæ ſtirpis patrem nuncupat. Sacerdos ab Amulio vincta in cuſtodiam datur. Pueros in profluentem aquam mitti iubet. Gemelli in littore dimiſſi, qui à Fauſtulo armenti regij paſtore, & Accia vxore à periculo liberati, educati ſunt: hæc Liuius. Dionyſius tamen aliter refert. Hi gemelli fuêre Romulus & Remus, qui poſtea auũ ſuum Numitorem, occiſo Amulio in regna reuocarunt: quibus cum anguſtum videretur Albæ imperium, ab eo receſſerunt, & captatis auguriis vrbem condiderunt. Remus occiditur. à Remi nomine Romani appellati. Vt autem pro Remo Romulus diceretur, blandimenti gratia factum eſt, vt Liuius & Seruius latiùs aperiunt. Poſtea Olympiade vigeſima octaua, Tullus Hoſtilius tertius Romanorum rex Albanos bello petiit. hinc tergeminorum pugna. Horatij vincunt. Alba Longa à Tullo Hoſtilio funditùs euertitur. ſicfinis Albæ Longæ, vnáque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba ſteterat, excidio ac ruina collabitur. Templis tamen Deorum (ita enim ab rege edictum erat) temperatum eſt. Roma autem creſcit Albæ ruinis, & duplicatur ciuium numerus.

DE REGVM ROMANORVM ORIGINE ET EXCIDIO, DEQVE CONSVLVM, DECEMVIRORVM, TRIBVNORVM militum poteſtate, origine & excidio, & de imperij origine & continuatione.

ROMA, vt Seruius tradidit, initio ſeptimæ Olympiadis condita eſt. Oroſius ad ſextam Olympiadem initium vrbis reiicit. Hæc authorum concertatio, non paruam peperit in huius vrbis chronologia confuſionem. Euſebius libro decimo, capite tertio, de præparatione Euangelica, Olympiades inuentas ait eo tempore, quo Achaz Iudæorum rex erat, quadringentis & ſeptem annis, poſt Ilij euerſionem. Philippus Melanchthon in deſcriptione Iudicum Hebræorum, Olympiadum inuentionem ad ſecundum annum regni Ioathan regis Hebræorum reiicit. Prima Olympias non incepit temporibus Ioathan regis Iuda, vt Africanus affirmat, ſed anno quadrageſimo ſexto Oziæ regis Iuda patris ipſius Ioathan, & anno decimo nono Amulij regis Latinorum: necnon & anno quadrageſimo ſeptimo Phul Belochi regis Aſſyriorum: atque anno 19. Mandanis regis Medorum: annóque 2. Bochori regis Aegypti: inchoata iam precedẽti anno Dynaſtia 24. & erat ſecundus annus Aeſchyli Athenienſium Iudicis. quod Io. Lucidus fuſiùs proſequitur. Græcis longo tempore vſitatum fuit, ſeriem rerum geſtarum in publicis monumentis præſcri-

bere. Nomen Olympias comprehendit annos quatuor, & fa-
ctum est ab ordinario cõuentu Græcorum ad Elidem, qui ce-
lebrabatur semper post quartum quenque annum in mense,
qui Græcis initium erat anni, videlicet in plenilunio, quod
solstitio æstiuo proximum erat: sic conuentus ille Græcis ini-
tium anni erat. Ideo series annorum inde commodè sume-
batur. Olympia, ludi erant, qui in honorem Iouis Olympij
apud Pisam & Elidem, Græcia oppida, celebrabãtur, hoc est
gymnicum certamen, quod quinto quoque anno fieri solebat.
Sed quoniam, vt ait Eusebius, in gymnico certamine, vi-
ctore primo existente Chorebo Elinense, Elij agunt quin-
quennale certamen quatuor annis in medio expletis, in qui-
bus principes annui cõstituebantur quatuor. Idcirco Iphitus
filius Praxonidis, siue Hemonis, primus instituit Olympiadẽ
ex quatuor tantùm annis ad ordinem temporum digeren-
dum. vnde Olympias apud Græcos quatuor annorum conti-
net spatium, vt etiam Phlegon, Eusebius, Africanus, So-
linus, Dionysius Halicarnaseus, & alij plures affirmant: &
exinde Græci tempora per Olympiades computare cœperunt.
Et quando in Hebræorum historia ad quintum annum
Olympiadem retulimus, antiquorum opinionem magis se-
cuti videmur: nunc autem dicendum est nobis cum Afri-
cano in tertio Annalium libro, vsque ad Olympiades nihil
exploratum in historia Græcorum inueniri, sed omnia con-
fusis conscripta tẽporibus esse. post Olympiades verò quoniã
quadriennio diligentissimè omnia notantur, nulla penitus cõ-
fusio temporum fit. Quod & Eusebius libro de temporib. af-
firmat. Ad rem, vnde digressi sumus, redeamus. Zonaras li-
bro primo inter nepotes Iaphet Thorgamã annumerat, à quo
Thorgamei populi deducti, qui postea Phrygij sunt appellati,

qui & Troiani quoque dicti traduntur. Illius antiquæ re-
gionis tot antiquorum monumentis illustratæ nullus haben-
dus est sermo: solam seriem, quæ historiam Romanam contin-
git, attingentes. Troianum bellum, vt libro secundo Carion
scripsit, Dauidis tempore gestum est. Capta fuit Troia decem
& septem dies ante solstitium, trecentis annis ante vrbem
conditam. Seruius libro Aeneidum primo in interpretatione
versus, At puer Ascanius, inter excidium Troiæ & ortum
vrbis, fluxisse trecẽtos quadraginta annos author est. Glarea-
nus Dauidis tempora ad secundum annum Latini Syluij,
quinti Latinorum regis refert, qui regnauit anno post
Troiam captam centesimo septimo, fretus authoritate Eusebij,
& à Troia capta ad vrbem conditam quadringentos tri-
ginta duos annos lapsos censet, idque ex Dionysij etiam sen-
tentia comprobasse satis videtur. nec minus concertatum est
de conditoribus & nomine, quàm de initio vrbis, vt fusiùs
in Romulo Plutarchus prosequitur. Romulus cõstructa Roma
anno ab vrbe condita tertio, vt Eusebius vult, vel (vt Gel-
lius mauult) quarto, Olympiade octaua, Cõsualibus ludis cùm
Sabinæ matronæ ludorum spectandorum gratia Romam cõ-
uenissent, eas vi rapi, & retineri iussit, matrimonióque cum
illis Romanos iungi. De numero raptarum mulierum inter
historiæ professores non satis conuenit. Alij triginta numero
raptas censent, alij sexcentas, alij quingentas, quod Plutar-
chus in Romulo fusiùs prosequitur. bellum inde cum Anten-
natibus, Ceninensibus, Crustumiis ortum. quibus victis cum
Sabinis atrociùs exarsit, quod icto cum Tatio Sabinorum
rege fœdere extinctum est. Romulus rebus diuinis ritè per-
actis, vocata in concilium multitudine, quæ coalescere in po-
puli vnius corpus nulla re præterquàm legibus poterat, iura

dedit: nulla enim erat iudiciorum certa legitimáue lex, neque in priuatis ciuium actis certa lege res gerebantur. Dionysius Romanis ante legem duodecim tabularum nullas certas leges, sed consuetudines fuisse scribit. Et licet Romulus iam statim ab initio aucta ad aliquem modum ciuitate, populum in triginta partes diuisisset, quas partes Curias appellauit, propterea quòd tunc Reipublicæ curam per sententias expediebant, illæ tamen tam modicæ erant, vt satis populo non essent. Curia apud Romanos is locus non solùm erat, in quem Senatores pro Reipublicæ vtilitate conueniebant, sed & vbi sacrorum cura tractabatur, quod Varro latiùs edocuit. Nos ætate nostra curiam pontificis, & regis, dicimus. Curiatas leges à curiis dici ex historiis placet: conuocato enim per triginta curias populo, singulísque curiis (vt Merula ait) in separata septa constitutis, & sententiam rogatis, leges olim ferebantur. Quæ populi conuocatio, comitia curiata dicebatur, à coëundo, quòd populus conueniret. & licet in creandis Magistratibus Seruius Tullius rex hunc morem immutarit, tamen populo ea libertas relicta, vt plebiscita & leges Comitiis curiatis ferrentur: quas leges ius Codicis pro maiorum more Curiatas nominat. Suetonius in Augusto ait Tiberium Cæsarem ab Augusto in foro lege curiata esse adoptatum, hoc est suffragiis populi per curias collectis. Cicero in Epistolis ad Lentulum narrat Appium lege curiata prouinciã sortitum. Easdem curiarum leges Cicero in orationibus populares nominat. Ideo suffragia Romæ in rebus gerendis dabantur aut curiatis, aut centuriatis comitiis. Curiata, vt prædiximus, per tribus & curias sine delectu per populum ferebantur. Centuriata autem comitia per eos qui censu, authoritate præualebant, vt curiata comitia popularium, centuriata

turiata verò optimatum. Titus Liuius libro tertio primæ decadis centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatas author est. Cùm enim populi vel optimatũ interuentu eligendus erat magistratus, suffragia in tabellis scripta singuli dabãt, & erat moribus receptum, vt qui eligi cupiebant, candidati, hoc est candidis & perspicuis vestibus induti, circuirent tribus & curias, manus singulorum prensantes, vulnera corporis ex vestibus translucentia ostendentes. Romulus igitur populũ in triginta curias diuisit, centurias equitum tres conscripsit, centum creauit Senatores. Ij patres ab honore, vt Liuius voluit, vel ab ætate, vt Sallustius tradidit, appellabantur. Eorum liberi patritij dicebantur, vt tamen dum Patritiatus incidit sermo, nihil omittatur quod ad historiæ rationem pertineat, scribit Liuius libro decimo, Patritios dictos qui Patrem Auúmque ciere possent, Patritiíque Plebeíque inter se opponebantur. Nec omnes Senatores Patritij erant, quod Tacitus his verbis comprobauit. Isdem diebus in numerum Patritiorum asciuit Cæsar vetustissimum quemque ex Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Iustinianus imperator Patritiatum cæteris omnibus anteposuit, vetuítque libro Codicis duodecimo aliquem ascendere ad sublimen Patritiatus honorem, nisi prius consulatus honore aut præfectura Prętorij insignitus fuisset. Idem voluit filios per Patritiatus honorem patria potestate solui, quod libro quoque primo Institutionum tradidit. Cassiodorus ex persona Theodorici regis sic scribit in epistolis: his igitur tot amplissimis laudibus incitati, Patritiatus tibi apicem iusta remuneratione cõferimus, vt quod aliis est præmium, tibi sit retributio meritorum. Idem in alio loco, Patritiatus tibi Deo auspice cõferimus dignitatem, honorem quidem celsum, sed qui tuis

meritis probetur æqualis. Quæ omnia Andreas Alciatus in Rub. de Conſ. & non ſpargendis ab his pecuniis, & Bud. L. fin. de Senat. fuſius proſequuntur. Ad rem redeo. Tarquinius Priſcus alios centum creauit Senatores, quos minorũ gentium Deos appellauit. Iunius Brutus alios centum Senatores creauit, quos patres conſcriptos dixit. Ideo autem Conſcripti dicebãtur, vt Plutarchus in Romulo cenſet, quòd aucti & allecti ad antiquum numerum eſſent. Tranquillus ſcribit Auguſtum Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba (erant enim ſuper mille, & quidam indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam, & præmium allecti, quos abortiuos vulgus vocabat) ad modum priſtinum, & ſplendorem redegiſſe. Hi ante conſtitutum imperium, & circa eius conſtitutionem in vrbe tantùm fuerunt à Cenſoribus ex numero ædilium, quæſtorum, equeſtríque ordine paſſim lecti: nouiſſimè contigit veluti in rebus cæteris cunctis progrediente imperio, vt dignitas & nomen huius ordinis extra vrbem in prouinciis limitibúſq; Romanis vſurparetur, Senatoréſq; fierẽt in ciuitatibus, coloníſque Romanorum, qui partim in iudiciis verſabantur, partim verò vias, pontéſque, & aquæ ductus curarent. Primi Hedui Senatorum ius in vrbe adepti ſunt: datum id fœderi antiquo, & quia ſoli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vſurpabant. Sic Vlpianus in lege finali de ſenatoribus inquit. Senatores accipiendum eos qui à patritiis & conſularibus vſque ad omnes illuſtres viros deſcendunt. nam ſi aliquis plebei ordinis foret in Senatum allectus, ius Senatorium ad hæredes non tranſmittebat, niſi qui ornamentis Senatorum conſularibus, vel prætoriis, quæſtoriíſve fuiſſet ornatus. Atqui extra vrbem in prouinciis Senatores pariter

extitiſſe, qui iudicia complebant, & delegatas cauſas diſcutiebant, ex verbis Cæſaris libro belli ciuilis tertio ſatis eluceſcit. meminit huius generis Senatorum & Capitolinus in hiſtoria, & Cornelius Tacitus libro duodecimo hiſtoriæ Auguſtæ. Tranquillus de Auguſto loquens inquit, Senatorum cenſum ampliauit, ac pro octingentorum millium ſumma duodecies ſeſtertiũm taxauit. quod Budæus libro de Aſſe primo interpretatur, duodecies centena millia ſeſtertiũm, & nomiſmate noſtro, triginta millia aureorum. hac ſupputatione aurei & coronati triginta quinque ſolidos monetæ noſtræ conficiunt. Nec Senator eſſe poterat, qui his facultatibus non eſſet locupletatus, & ſi contingebat graues & bonos viros tot diuitiis non auctos, neceſſariam tamen in Rerumpub. adminiſtratione eorum & authoritatem, & prudentiam ex publico ærario illorum cenſus vſque ad triginta millia coronatorum augebatur, vt in Veſpaſiano Tranquillus edocuit. Idem de Veſpaſiano loquens ait, Expleuit cenſum Senatorium. Sic Senatores implebant cenſum trium equitum: ſeſtertia enim quadringenta cenſum equitis Romani implebant, vt Beroaldus in Tranquillum ſcribit. Senatores quidam conſulares facti duodecim millia & quingentos aureos annuo ſtipendio à principibus habuerunt, vt Guillelmus Budæus libro de Aſſe ſecundo latiùs interpretatur. Romulus diſpartita per curias vrbe, Senatoribúſque lectis, ſui corporis rationem habens, trecentos armatos delegit, qui perſonam illius circunſtabãt, quos Celeres appellauit, à celeritate, quia prompti erant ad belli neceſſitatem, vt Dionyſius ait, qui ſiue pedites, ſiue equites irent in hoſtem. Antias verò à Celere primo eorum duce, qui Remum occidiſſe dicitur, Celeres appellatos author eſt. Hæc Celerum cuſtodia à Numa Pom-

pilio poſtea ſublata eſt. ad rem redeo. Romulus templum, quod primum omnium Romæ ſacratum eſt Ioui Feretrio in Capitolio ædificauit, à feriendo Feretrium appellauit. Huic templo ſpolia opima, quæ Acroni regi Ceninenſium poſtquàm eum vita priuauit abſtulerat, dicauit: opima dicta ab opibus Varro exiſtimauit. Plutarchus verò ab opere illuſtri nomen deriuatum cenſet, quia opima ſpolia dicebantur, quæ dux belli, duci abſtulerat, vt Liuius & Plutarchus tradiderunt. Primus qui Ioui Feretrio opima ſpolia dicauit, Romulus fuit, ſecundus Cornelius Coſſus occiſo Tolumnio Hetruſcorum rege, tertius fuit Claudius Marcellus, occiſo Britomarto Gallorum rege. Poſt partam binam victoriã triumphauit. Hinc prima triumphi origo: ſed de hac prima triumphi forma non ſatis ex hiſtoriis conſtat. Plutarchus Romulum peditem primum triumphum egiſſe author eſt, primámque ſuperbi triumphi, quo triumphali curru vehebantur triumphantes, inuentionem ad Tarquinium reiicit. Alij Publicolæ inuentionem tribuunt. Romulus Ioui Statori poſt Sabinos bello pulſos aliud templum ſacrauit, ideo Statori nomen indidit, quia cùm bello cum Sabinis acerrimè iuncto Romani fugæ ſe præcipites dediſſent, Romulus habita breui oratione Romanos fugientes ad redintegrandum prælium induxiſſet, à ſiſtendo Statori Ioui templum condidit. His editis operibus cùm ad exercitum recenſendum concionem in campo ad Capreæ paludem haberet, vltimùm viſus eſt, anno ab vrbe condita trigeſimo ſeptimo, die vt Plutarchus annotauit quinta Iulij, Olympiade decima ſexta. Suadente Iulio Proculo Quirini nomine à ſuis conſecratus eſt, vt Euſebius tradidit. Quirinum autem eum cognominarunt, quaſi bellorum potẽtem, ab haſta, quam Sabini quirim

vocant, vt Aſcenſius libro Aeneidos primo in interpretatione verſus, Naſcetur pulchra, latiùs proſequitur Hinc Ouidius lib. 2. Faſt. Siue quòd haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis, Bellicus à telo venit in aſtra deus. Extincto Romulo quinos dies Senatores Rempublicam rexerunt, atque ita vnus annus expletus eſt. Quod tempus interregnum appellatum eſt. In Euſebij codicibus hic annus Romuli annis adiectus eſt, quaſi octo & triginta annos regnaſſet. Hoc expleto tempore, Numa Pompilius ſecundus Romanorum rex, etiam ſi Sabinus eſſet, electione Romanorum deſignatur. Hic vbi regno potitur, vrbem nouã vi & armis cõditam, iure legibúſque, ac moribus de integro cõdere parat, quibus cùm inter bella aſſueſcere videret non poſſe, quippe efferatis militia animis, mitigandum ferocem populum armorum deſuetudine ratus, Ianum ad Argiletum indicem pacis belliique fecit, apertus vt in armis eſſe ciuitatem, clauſus pacatos circa omnes populos ſignificaret. Ter clauſus à Liuio recẽſetur, primò ſub Numæ regnum: ſecundò, Tito Manlio Conſule poſt Punicum primum bellum perfectum: tertiò poſt bellum Actiacum à Cæſare Auguſto pace terra marique parta, ſic Liuius. Tranquillus ſcribit Iani templum ab Auguſto ter fuiſſe clauſum. Scito igitur Auguſtum ab oriente poſt Antonium & Cleopatram deuictos, victor & ouans rediens tum primùm clauſiſſe Iani portas, quo die primùm Auguſtus ſalutatus eſt, mox profecturus in Hiſpanias aduerſus Cantabros aperuit Iani portas, quas iterum clauſtro cohibuit. Deinde cùm ab oriente in occidentem, à ſeptentrione ad meridiem, & per Oceani ferè vniuerſi circulum cunctæ gentes vna pace compoſita anno ab vrbe condita ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, octauo idus Ianuarij, ipſo Cæſare & Sexto

Apuleio Consulibus, vt Paulus Orosius in fine sexti libri scripsit, vrbem triplici triumpho ingressus, Iani portas sopitis finitísque omnibus bellis ciuilibus tertiò clausit. Fuêre tamen scriptores, qui consulatum Augusti & Sexti Apulei ad septingentesimum & vigesimum tetium annum ab vrbe condita reiiciunt, vt latiùs in Augusto discutietur. Hoc tempore Olympiade cẽtesima octuagesima septima, Consulibus Caio Lentulo Getulio, & Marco Messalino, IESVS CHRISTVS Seruator noster nascitur: in Prophetiis autem scriptum erat, dum Christus nasceretur, ensem omnibus vagina recluſum latêre. Ad Numam redeo. Hic duos menses Romuli anno adiecit, Ianuarium scilicet & Februarium: hinc Ouidius,

At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras,
Mensibus antiquis addidit ille duos.

Idem fastos & nefastos dies distinxit. creandis quoque sacerdotibus animum adiecit, quanquam ipse quoque plurima sacra obibat, sed quia in vrbe bellicosa plures Romulos, quàm Numas futuros perspiciebat, ne sacra (vbi more Romuli ad bella Romani ferrerentur) regiæ vicis desererentur, flaminem Ioui assiduum sacerdotem creauit, insignique eum veste, & curuli regia sella adornauit, huic duos flamines adiecit, Marti scilicet vnum, alterum Quirino, virginésque Vestæ legit. Salios item duodecim Marti Graduo legit, tunicaéq; pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegumen, cæleſtiáque arma, quæ Ancilia appellabantur, ferre iussit, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis, solemníque saltatu. Pontificem præterea Martium ex patribus legit, éique omnia exscripta exsignatáque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa

sacra fierent, atque vnde in eos sumptus pecunia corraderetur, abunde præscripsit: cætera quoque omnia publica priuatáve sacra pontificiis scitis subiecit. Ab eo Romani, Quirites dicti: cùm enim Cures, Sabini imperij vrbs non contemnẽda, originem ei dedisset, ab ea vrbe Romani Quirites dicti perhibentur, vt Plutarchus in Numa tradidit. Hic nullum bellum gessit, & cùm regnasset annos tres & quadraginta, natura ei finem fecit, Olympiade vigesima septima. Ita Romulus, & Numa, alius alia via, ille bello, hic pace ciuitatem auxerunt. Mortuo Numa populus Tullum Hostilium regem delegit. Patres authores fiunt. Hic rupit otia patriæ, desidésque animos in arma mouit. Albanos bello petiit. hinc tergeminorum pugna. Horatij vincunt: Alba Longa Olympiade vigesima octaua à Tullo Hostilio funditùs euertitur, vnáque hora quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. Templis tamen Deorum (ita enim à rege edictum erat) temperatum est. Roma interim crescit: Albæ ruinis duplicatur ciuium numerus. Mons Cælius additur vrbi, & quò frequentius habitaretur, eam sedem Tullus regiã fecit. Bellum nouum contra Sabinos exarsit. pugna atrox ad Malicusam fuit. vincũtur Sabini. Iam regnũ Tulli gloria & opibus creuerat, cùm derepente Roma peste laborare cœpit. Rex longinquo morbo vexatur, & fracto cum corpore spiritu mutata sententia consilium nouum cepit: nihil enim antè ratus erat minus regium, quàm sacris animum & studium adiicere. ipse tamen inclinato animo repente omnibus magnis paruísque superstitionibus obnoxius fit. Et postea anno sui regni trigesimo secundo, Olympiade trigesima quinta, fulmine absumptus periit. Mortuo Tullo, res, vt institutum iam antè ab initio erat, ad patres rediit. Iíq;

interregem nominarunt,quo comitia habente Ancum Martium populus regem creauit. Patres authores fuere. Hic ceremonias à Numa institutas reuocauit,Latinis victis & ad ciuitatem ascitis,montem Auentinum assignauit,Politorium vrbem Latinorum bello repetitam,quam prisci Latini occuparant,diruit.Pontem sublicium in Tyberim condidit.Ianiculum collem vrbi addidit,vsque ad mare imperium protulit, & in Tyberis ore Ostiam vrbem condidit. Salinarum quoq; vectigal instituit.Huius regis tempore Epidaurus vrbs conditur, quæ nunc Dyrrhachium est. In Iudæa regnabat Iosias,decimus octauus Iudæorum rex. Hieremias & Sophonias prophetarunt,Medis Cyaxares imperabat. Macedonum Philippus sextus rex erat. Ancus Martius cùm Romæ annos quatuor & viginti regnasset,Olympiade quadragesima prima ab hac luce subtrahitur. Huic quintus Romanorum rex Tarquinius Priscus successit,in Anci amicitiã longo antè tempore receptus: centum additis patribus numerum Senatorum auxit,Latinos bello subegit,Sabinos domuit, equitum centurias ampliauit, vrbem muro cinxit, cloacas ad purgandum vicos extruxit. Dum Romæ Tarquinius Priscus regnat,Ioachim decimus nonus Iudæorum rex est. huius Tarquinij regis tempore Nabucdonosor Hierusalem oppugnat,in Babylone Daniel,Ananias,& Azarias clari habentur. Solone Athenienses potiuntur. Medorum Astyages nouissimus rex est.Macedonum septimus Europs rex est.His rebus peractis, Tarquinius Priscus fatis cõcessit.Sextus Romanorum rex creatur Seruius Tullius, qui primus iniussu populi,voluntate patrum regnauit. Huius caput, eo in cunis adhuc posito, arsisse traditur.Veienses atque Hetruscos prælio vicit.colles vrbi Quirinalem,Viminalem

nalem, & Esquilinum adiecit. Templum Dianæ in Auentino construxit.Primus æs signauit nota pecudum,vnde pecunia nomen sumpsit. Sciendum est Romanos quingentos ferè totos annos parcè admodum ac duriter, atque etiam in magna rerum tenuitate & angustia vixisse, stipe sola vtentes ærea, rudi quidem illã & scabra, ex qua nummus tum percussus vnius assis vel libræ pondo,ísque informis & nullo cum signo: qui vnus numismatis vsus illis fuit ad tempora vsque regis huiusce Seruij.Ex argento verò nihil quicquam monetæ illis procusum vsque ad annum ab vrbe condita quadringentesimum octogesimum quintum,vti cognosci potest ex Fastorum libris:& sexaginta duobus pòst annis cœperunt ex auro conflare nummos.Classes quinque Romanorum descripsit, primam classem in octoginta centurias distribuit,ex his,qui centum millium æris,aut maiorem censum haberent, quæ summa mille aureis nostris æstimatur. Octoginta autem centuriæ in quadragenas seniorum ac iuniorum diuisæ, ita vt seniores ad vrbis custodiam præstò essent,iuniores vt foris bella gererent,quibus arma imperata, galea,clypeus,ocreæ,lorica,tela in hostem, hastáque & gladius. Secunda classis intra centum vsque ad quinque & septuaginta millium censum instituta.Tertiæ classis in quinquaginta millia census fuit. Quartæ viginti & quinque millia. Quinta & vltima vndecim millibus censebatur, id est centum & decem aureis nostris. Reliqua autem multitudo,cuius esset inferior census,immunis militia facta.Equitum etiam ex primoribus ciuitatis duodecim centurias scripsit: quibus equos emendos dena millia æris ex publico data. Ex his facilè colligi potest in infantia vrbis Romæ primarias opes fuisse mille aureos, vt post Liuium latè Gullielmus

Budæus libro de Asse quinto annotauit. Dum hæc Romæ geruntur, Cyrus Hebræorum captiuitate laxata, quinquaginta hominum millia in Iudæam regredi iubet, qui constructo altari templi fundamenta iecerunt, & cùm à finitimis gentibus in templi fabricatione impedirentur, opus vsque ad Darium interceptum est, vt Eusebius in historiis latiùs prosequitur. Anno regni Seruij Tullij trigesimo quarto regnum Lydiæ collabitur, Crœsúsque in Cyri ditionem deiicitur. & sub vigesimum octauum eiusdem regni annum prophetarunt Aggæus, & Zacharias: Alcetas & Amyntas, Macedonum reges. His ducibus regebatur omne ferè terrarum imperiũ, & postea Olympiade sexagesima Seruius Tullius immissis à Lucio Tarquinio quinti Romanorum regis filio, vel vt Dionysius Halicarnasseus ait, nepote, cùm in curiam se conferret, vt generi Tarquinij audaciam comprimeret, à summis curiæ gradibus ad imas vsque partes ab eo deiectus est. qui dum trepidè tum domum se reciperet, in vico appellato Cyprio à Tarquinij stipatoribus occiditur. Hac de re multa Dionysius libro 4. & Liuius 1. lib. ab vrb. cond. Regnauit annos quatuor & quadraginta, & ita regnauit, vt bono etiam & moderato succedenti regi difficilis esset æmulatio, id quoque ad gloriam accessit, quòd cum illo simul iusta ac legitima regna occiderunt. Septimus & nouissimus Romanorum rex fuit Lucius Tarquinius, cui cognomen Superbi facta indiderunt. Hunc Pomponius Iurisconsultus in lege secunda de origine iuris, Demarati Corinthij filium appellat, quod Budæus, Zasius & Bartolomæus pius non probant. Non enim Tarquinius Superbus Demarati filius fuit, sed Tarquinius Priscus, vt satis ex Liuio libro primo ab vrbe condita colligitur, & ex Cicerone

Tusculanarum quinto. Ego Pomponium iurisconsultum existimo, quando filium Demarati Tarquinium Superbũ dicit, nepotem pro filio intellexisse. Constat enim Superbum Demarati nepotem extitisse, non filium. Hic Superbus conscius malè quærendi regni ab se ipso aduersus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsepsit. Regnauerant Romæ reges iussu populi & authoritate patrum: Seruius Tullius iussum populi sustulerat, authoritate tantùm patrum fretus. Tarquinius verò Superbus neque populi iussu, neque authoribus patribus regnauit. Hic Olympiade sexagesima secunda Romanorum regnum inuasit, bellum cum Volscis gessit, & ex eorum præda templum Ioui in Capitolio construxit. Eius filius Sextus Tarquinius dolo Gabios in ditionem suam adegit. Superbus cùm impotenter se gerendo omnes in odium sui adduxisset, ad vltimum propter oppugnatam nocturna vi à Sexto eius filio Lucretiæ pudicitiam, Iunij Bruti maximè opera, regno pellitur, cùm regnasset annos quinque & viginti. Sic finis regni Romanorum. Regnatum erat Romæ sub regibus annis ducentis quatuor & quadraginta, vt Liuius & Dionysius existimauerunt. Eusebius quatuor annos demit. Defecerant iam Lydorum Aegyptiorúmque regna. Lydorum sub Cyro, Aegyptiorum verò regnum sub Cambyse, omnia iam obtinentibus Persis. Dum Tarquinius Superbus Romæ regnat, apud Persas regnarunt duo Magi fratres septem menses, pro quibus septem mensibus Herodotus supputat annum. Huius regni tempore, secundo anno Darij templum in Hierosolymis extruitur ab Zorobabel, consummatúrque opus anno quadragesimo. Remissio quidem captiuitatis Iudæorum, & veniæ templi ædificandi sub Cyro exordium habuit, consummatur verò opus templi sub Dario.

Sub his ſeptem regibus per annos ducentos & tres ſupra quadraginta non amplius quàm vſque ad portum atque Oſtiam intra milliarium Romanũ proceſſit imperium. Exactis regibus Iunius Brutus, qui tribunus Celerũ erat, & militibus præerat, & velati ſecundum locum à regibus obtinebat (vt Liuius tradidit: Dionyſius autem libro quarto Brutum ſacrificorum principem fuiſſe teſtatur) & Lucius Latinus Collatinus primo anno ſexageſimæ octauæ Olympiadis, anno ab vrbe condita ducenteſimo quadrageſimo quinto annuum conſulare imperium tenuerunt, cùm iam à regibus vix vltra quintumdecimũ lapidem imperium prolatum eſſet. Expulſis igitur regibus comitiis centuriatis, vt Seruius Tullius populum deſcripſerat, Conſules creantur L. Iun. Brut. & L. Tarq. Collat. Lucretiæ maritus, Aegerij fratris Tarquinij Priſci filius, vt ſcribit Liuius, nepos verò vt Dionyſius vult: Brutus verò cùm non modò regem, ſed ne regium quidem nomen vellet in vrbe ſupereſſe, magiſtratum collegæ abrogauit, quòd Tarquinius vocaretur, íſque bonis ſuis ſumptis Collatiam habitatum migrauit. Hoc factum Cicero libro de Officiis tertio notat non admodum fuiſſe coniunctum cum honeſtate, ſed quia vtiliſſimum fuit patriæ, idcirco honeſtum videri. Cæterùm Iulius Obſequens ſcribit, Qui collegæ magiſtratum abrogaſſet, annum vixiſſe neminem. Quod exitu ſuo comprobarunt, Brutus, P. Tarquinius, Tib. Gracchus. Lucius Florus imperium Romanum vt hominem cõſiderat, totámque eius ætatem percenſet, vt creuerit, vt adoleuerit, vt quaſi ad ſummam iuuentutis florem peruenerit, ac nouiſſimo loco conſenuerit. Primam imperij ætatem, quam velut infantiam pingit, ſub regibus fuiſſe: ſequentem ætatem velut adoleſcentiam, ducentis annis duraſſe, à Iunio Bruto & Col-

latino Cõſulibus, ad Appium Claudium & Quintum Fuluium author eſt: tertiam ætatem à primo bello Punico ad Octauium Auguſtum Cæſarem ducentis & quinquaginta annis, qui octauus annus fuit Auguſti imperij, quo ſolus regnauit. Hanc ætatem robuſtam, reliquam verò imperij ætatem Senectam vocat. Quæ temporis partitio pleriſque non placet. Ad rem redeo. Hi primi Conſules Brutus, & Collatinus omnia iura omniáque regum inſignia conſecuti ſunt, ita, vt nec quicquam diminutum ſit ex regia poteſtate, id modò cautum, ne ſi ambo faſcibus vterentur, duplicatus terror videretur: Brutus prior concedente collega faſces habuit: hinc mutata regia dominatio in conſularem poteſtatem, eáq; pro perpetua, annua: pro ſingulari, duplex conſtituta. Conſules pro regibus appellati. Hic magiſtratus à Iunio Bruto, & Collatino vel Publicola eius ſucceſſore, ad Panſam & Hircium per annos quingentos ſeptem & ſexaginta, vt Sextus Ruffus ſupputauit, productus eſt. poſt quos licet non ceſſauerit prorſus ſub Imperatorum manum ſubiectus, vix vmbram priſtinæ authoritatis tenuit, vt ex Hieronymo in Epiſtola ad Præſidium latiùs colligitur. Aemilius Probus ſcribit, ſicuti Romæ conſules, ita Carthagine binos reges quotannis creari ſolitos. Valerius Publicola alter ex primis Conſulibus, collega ſuo Bruto extincto legem tulit, vt Liuius libro ſecundo, Dionyſius eodem item libro teſtantur, vt à Conſulibus prouocatio eſſet, néue poſſent Cõſules in caput ciuis romani animaduertere, niſi populi iuſſu: ſolùm relictum eſt vt coërcere poſſent, & in vincula publica duci iubere. Cùm enim à principio plenam fuiſſent animaduertendi poteſtatem conſecuti, & ſecures eis præirent, qua poteſtate Iunius Brutus proprios filios, alióſque ex nobili ſtirpe adole-

scentes securi concidi iussit, quòd de Tarquinijs restituendis regno cogitassent. Valerius Publicola cùm prouocationem ad populum indulsisset, secures consulibus ademit, vt Dionysius libro quinto author est, quas postea Olympiade sexagesima nona Largius primus Romæ Dictator Consulibus restituit (nono enim anno post exactos reges Dictaturam creatam ab Eusebio recensetur) hoc addito, vt in caput ciuis Romani iniussu populi non adhiberentur. Verùm vbi senatus Consulibus mandabat, vt prouiderent Consules ne quid detrimenti respublica acciperet, omnem eis animaduersionem capitalem etiam tribuisse Plutarchus in Cicerone author est: sic enim Cicero cùm Consul esset, ea fretus potestate Cethegum & Lentulum necari in Tulliano carcere iussit, quamuis ea animaduersio factione Clodiana ei non impunè cesserit. Præterea & Caius Gracchus, & Marcus Fuluius, & Lucius Saturninus per Consules iniussu populi cæsi sunt. Cæterùm Consuli pleniorem potestatem fuisse Liuius libro tertio scribit, si mille passus extra vrbem profectus esset, quod Dionysius libro decimo ad finem latiùs prosequitur. Constat ex historiis Consules Romanis ius reddidisse, & sic parum fundata sunt, quæ in lege prima de officio Consulis tradidit Accursius, Consules tantùm voluntariam habuisse iurisdictionem: certum est enim eos iura in inuitos reddidisse, sed an soli, an cum aliis iudicibus non planè constat, vt Zasius lege secunda de origine iuris latiùs prosequitur. In iudicibus tamen deligendis, mutata reperitur in historiis sapissime forma. Plutarchus inquit, cùm soli Senatores antea iudicarent, ob eámque rem à plebe timerentur, Gracchus trecentos ex equestri ordine iudices adiecit, parem Senatoribus numerum statuens, hæc il-

le: Pædianus, quod valde miror, T. Gracchus, ait, legem tulerat, vt equites Romani iudicarent: iudicauerúntque per annos triginta sine infamia: pòst victor Sylla leges tulit, vt senatorius ordo iudicaret: iudicauítque per annos decem turpiter. Quæ Pædiani verba videntur significare penes equites priùs, quàm Senatores ipsos fuisse populi Romani iudicia: quod apertè Plutarchi scriptis repugnat. Et rursus idem author: Secundo, inquit, anno belli Italici, quod bellum præcessit Syllæ Dictaturam, cùm equester ordo in iudiciis dominaretur. Quo apparet prius in vrbe equites, quàm Senatores, vt diximus, iudicasse. Sed vtcumque res habet, satis constat Aurelia lege, iudicia, quæ communia erant Senatus, & equestris ordinis, communicata fuisse Tribunis ærariis, quibus ea dignitas à Cæsare dictatore postea adempta est. Plaucia igitur lege comparatum erat, vt singulæ tribus, ex his ordinibus, quos dixi, quinos denos suffragio crearent, penes quos eo anno iudicia essent. Ex eo numero, cùm iudicandum in aliqua causa erat, sorte trahebãtur iudicũ nomina: quod in Milonis causa, & Pisonis factitatum Pædianus docet: & hæc sortitio illa est, de qua Trãquillus in Augusto. Ad rem redeo. Liuius libro quinto Consules Romæ minores viginti quinque annis fuisse author est. hãc prouocationis legẽ anno quadringẽtesimo quinquagesimo tertio, Valerius Cõsul tulit, semper ab eadem Valeriorũ familia renouata, vt Liuius libro decimo tradidit. Quam etiã tempore regum fuisse constat: nam Tullo Hostilio regnante, superstes ex Horatiis cùm Curiatios singulari certamine vicisset, & sororem postea occidisset, perduellionis reus iudicatus, prouocatione suam causam defendit, vt Liuius libro primo ait. Hoc prouocationis remedium lege sublatum est decemuiris constitutis. At verò ea decemuirali pote-

ſtate euerſa legem prouocationis non ſolùm populus reſtituit, ſed auxit, dictatore hac lege ſolùm ſoluto. Ariſtoteles libro quinto Politicorum ait omnes magiſtratus diſſolui, vbi prouocatio ad populum recepta eſt. Tulit & Valerius Publicola alias leges, vt ſcilicet is, qui occupandi regni conſilium iniſſet, aut aliter quàm à populo magiſtratũ accepiſſet, ſacer, execratus, ac capitalis eſſet. neúe interficere, aut verberibus cædere, aut multare magiſtratui quempiã ciuium liceret, qui ad populi ſuffragia confugiſſet. Quibus legibus regia poteſtas immutata fuit. His temporibus numerus tribuũ ampliatus eſt, vt eſſent triginta & vna tribus: quas tribus antea Seruius Tullius diſtinxerat, & à tributo tribus, vt Liuius exiſtimauit, cognominarat. Decimo ſeptimo poſt exactos reges anno, prima ſeceſſio plebis fuit, vt Pomponius Iuriſconcultus annotauit, vel (vt Eutropius mauult) decimo octauo, vrgẽte plebem creditorum crudelitate, qui corpora debitorum libera ob æs alienum pro ſeruis nectebant, quod ſæpe cõqueſta plebs, & à nobilibus vana ſpe deluſa cùm amplius differre nequiret, in montem ſacrum ſeceſſit. Is trans Anienem amnem tria millia ab vrbe paſſuum eſt. Ea frequentior ſententia eſt, quàm in Auentinum montem ſeceſſionem factam eſſe Liuius libro ſecundo docuit. Quapropter vt ad reditum ciues promouerentur, ſuus plebi magiſtratus conceſſus eſt, vt Tribunos plebis haberent, legéque ſancitum, vt ea poteſtas ſacroſancta eſſet, id eſt, nemini violabilis: nam & ſi in re leuiſſima ſolo ſermone, nedum facto, Tribuni maieſtatem aliquis ſpreuiſſet, tanquam abominabilis, & ſacer ad mortem adigebatur. Hi magiſtratus in tutelam plebis creati ſunt, vt haberet quos nobilitati obiiceret, L. Valerius, & M. Horatius Coſs. lege ſanxerunt, vt qui Tribunis plebis nocuiſſet, eius

eius caput Ioui ſacrum eſſet, familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæq; vænũ irent: vt libro tertio Liuius edocuit. Feneſtella duos à principio creatos Tribunos, & deinde tres additos, & tandẽ quinq; anno trigeſimo ſexto à primis tribunis creatis, vt Liuius libro tertio tradidit. Quorũ quę fuerit poteſtas Aulus Gellius libro decimo tertio latiùs proſequitur. Negat Plutarchus Tribunos vnquam magiſtratum geſſiſſe, vt qui nec Lictores haberent, nec ſella curuli ſedentes ius dicerent, nec purpura induerentur, vt cæteri magiſtratus, comparati ſolùm à plebe vt magiſtratibus obſiſterent. Quapropter fores tribunitias & die & nocte patuiſſe, vt eorum adeundi copia ſemper exhiberetur, compertum ſatis & exploratum eſt. Itaque eorum poteſtas intercedendo plus valuit, quàm imperando, vt Labeo latiùs teſtatur: non enim quod Senatus decreuerat, aliter ratum erat, niſi Tribuni, qui in veſtibulo curiæ Hoſtiliæ (locus ille conſuetus erat, quo Senatores conuenirent) expectabant, id comprobaſſent. Glareanus Olympiade ſeptuageſima prima, anno ab vrbe cõdita ducenteſimo ſexageſimo, tribunitiam poteſtatem creatam exiſtimat. Aulus Gellius libro decimo quinto, cap. vigeſimo ſeptimo, ſcribit tribunitiis rogationibus patritios aſtrictos nõ fuiſſe, donec Q. Hortenſius dictator, cùm plebs ſeceſſiſſet in Ianiculum, legem in Eſculeto tulit, vt plebiſcitis Quirites tenerentur. Cæterùm, Liuius libro tertio, ſecũda plebis ſeceſſione eam legem conſtitutam cenſet, Marco Horatio & Lucio Valerio Conſulibus, qua lege tribunitiis rogationibus telum acerrimum datum eſt. Idem Liuius libro vndecimo in conditiones Tribunorum plebis additum fuiſſe ait, ne cui Patrum eum magiſtratum capere liceret. Quod Philipp. Beroald. in Auguſto apud Tranquill. fuſiùs proſequitur. Iam antea nono

anno ab exactis regibus Olympiade lxix. Dictatura creata Romæ erat, primúsq; Dictator Largius creatus, vt Eusebius annotauit. Aucto igitur populo cùm crebra orirentur bella, & quædam acriora finitimis inferrentur, placuit maioris potestatis magistratum constitui. Itaque Dictatores prodi-
ti sunt, à quibus prouocandi ius non fuit, & quibus etiam capitis animaduersio data est. Hunc magistratum, quoniam summam potestatem habebat, non erat fas vltra sextum mẽsem retineri: nec aliter creari Dictatores consueuerant, vt Festella docet, quàm cùm vis aliqua maior de improuiso oborta ingentem vrbi cladem minaretur. Sic Titus Largius primus Dictator, & Cassius magister equitum creati, cùm quadraginta Latinorum populi cõtra Romanos coniurassent, vt Liuius tradidit. A dictando Dictatores appellatos Marcus Varro author est, q̃ potestate sua finita futuros solus ipse dictaret magistratus. Mos vetustus habuit Dictatorẽ nocte silenti eligi, vt Liuius scripsit. Creabatur & Dictator clauifigendi causa, cùm alienatis discordia mentibus, si Dictator clauum postibus fixisset, mederi huic morbo credebatur, vt libro octauo Liuius tradidit. Sic anno ab vrbe condita quadringentesimo vigesimo tertio, Tito Valerio & Marco Claudio Marcello Consulibus, cùm matronæ primùm vsum veneni Romæ inuenissent, clauum à Dictatore fixum, alienatásque discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui fecit. Is Dictator fuit Cn. Quintius, qui clauo fixo magistratu se abdicauit. Est autem Tribunitia potestas, proxima post dictaturam dignitas, Dictatore presente: eo enim absente prima atque sola propè valet. Tribuni enim plebis solà manent, cùm omnes alij magistratus Dictatore creato cessent, vt Plutarchus in Antonio latiùs prosequitur. Anno postea

ducentesimo quinquagesimo quinto ab vrbe condita Olympiade septuagesima, Tito Ebutio, & Caio Vetusio Coss. sic à Liuio dicuntur, licet immutatis literis aliter à Dionysio nominentur, Fidenæ obsessæ, Crustumeria capta, Præneste ab Latinis ad Romanos desciuit. Anno postea ducentesimo quinquagesimo nono, Tarquinius Superbus Cumis moritur, quò se post fractas Latinorum opes ad Aristodemum tyrannum contulerat. Quæ mors maximè erexit & patrum, & plebis animos. Anno deinde ducentesimo sexagesimo octauo, Consulibus Sp. Cassio, & Proculo Virginio à Rutilio primùm lex Agraria promulgata, nunquam deinde sine maximis motibus rerum agitata. Virginius huic legi resistebat authoribus patribus. Cassius in Agraria largitione ambitiosus, vbi primùm magistratu abiit, damnatus occiditur. Sunt qui patrem authorem huius supplicij ferant, eúmque cognita domi causa verberasse. Liuius libro secundo ait à quæstoribus Cæsone Fabio, & Lucio Valerio diem dictam perduellionis, damnatúmque populi iudicio, dirutas publicæ ædes. Anno ab vrbe condita ducentesimo sexagesimo nono, Seruilio Cornelio & Quinto Fabio Consulibus, iam Romæ rebus fortissimè gestis elucescere incipit: Anno ab vrbe condita ducentesimo septuagesimo sexto, Caio Horatio & T. Mamenio Consulibus, cùm bellum Romæ contra Veientes exarsisset, familia Fabiorum bellum id gerendum deposcit, missíq; ad id trecenti sex armati, ad vnum omnes ad Cremonam perierunt. Inter scribentes conuenit vnum prope puberem ætate relictum, stirpem genti Fabiæ dubiísque rebus populi Romani sæpe domi belliq; maximum auxilium futurum. Anno postea ducentesimo nonagesimo quarto, Lucius Quintius Cincinnatus Dictator creatur, cùm rure intentus rustico

operi esset, ad bellum gerendum accersitur. Is victos hostes sub iugum misit, vt Liuius libro primæ decadis tertio latiùs explicat. Sed cùm Romæ reges exacti sunt, lege tribunitia omnes leges exoleuerunt. Tunc populus Romanus sicut ab initio ciuitatis dictum est, cœpit incerto iure vti, & si lex aliqua ferebatur, ea publici iuris, potiúsque priuati erat, ídque populus passus donec cùm plebs Romana quotidianis seditionibus æstuaret, & nunc magistratus ex suo etiã corpore creari, iam cõnubia cum nobilibus concedi, debitores à creditoribus nexos solui, agros diuidi, & tandem communes etiam leges ferre contenderet. Tres legati instructis ex publico ærario triremibus Athenas mittuntur, qui Solonis leges referrent, iuráque & mores aliarum ciuitatum noscerent: hi fuere Spu. Posthumus, Publius Sulpitius, Aulus Manlius. Allatis verò legibus decemuiros constitutos esse constat, qui ex eisdem Græcis legibus, patriisque consuetudinibus Romanas leges & conderent & scriberent, vt fusiùs Dionysius libro decimo, breuiùs Liuius libro tertio, & Feneſtella tradiderunt. sic Pomponius Iureconsultus, dum ait constitutos decemuiros, per quos peterentur leges à Græcis, intelligi debet: vt peterentur, id est vt petitæ & allatæ scriberentur. Decem ij viri fuere, vt Isidorus libro quinto ait, Appius Claudius, Titus Genitius, Publius Festius Vaticanus, Spurius Posthumus, Caius Iulius, Aulus Manlius, Publius Sulpitius T. Romulus Vaticanus, Veturius Geminius, Publius Curiatius, vt Liuius & Isidorus volunt, vel Publius Horatius Trigeminus, vt reliqui malunt. Horum decemuirorum tres consulares fuisse Dionysius author est. Has leges in tabulis præscriptas eburneis, vt Pomponius Iurisconsultus ait, vel in æs incisas fuisse Liuius & Dionysius malunt ante rostra, vt possent apertiùs conspici, composuerunt. Sunt autem rostra, forum ante curiam Hostiliam, quæ Senatorum erat, vbi pulpitum porrigebatur ornatum rostris nauium ex Antiatibus captarum, vt Liuius tradidit. Itaque decem tabulæ in foro ad curiam senatoriam affigebantur, ea tamen rostra in alium locum translata constat, cùm corpore Clodij in prædicta curia cremato etiam ipsa curia conflagrasset, vt author est Asconius. Scribunt Varro & Gellius, senatus consulta fieri iure non potuisse, nisi in loco per augures constituto, quod templum appellatur: non enim omnes ædes sacræ templa sunt: ne ædes quidem Vestæ templum erat. Curia verò in qua habebatur senatus, templum fuit. Habebatur autem modò in æde Apollinis, modò in delubro Concordiæ, modò in hoc, modò in illo templo: sicut apud historicos facile est obseruare, & Philippus Beroaldus in Octauio apud Tranquillum annotauit. Datum est decẽviris ius eo anno in ciuitate summum, vt leges corrigerent & interpretarentur, neque prouocatio sicut à cæteris magistratibus reciperetur. Adiecerunt hi ad decem tabulas, alias duas: & ita appellatæ sunt leges duodecim tabularum. Igitur petitis & ablatis Atticis legibus, ad eas constituendas proponendásque hi decemuiri pro consulibus sine vllis aliis magistratibus creati sunt, anno trecentesimo & altero quàm Roma condita est: & vt à regibus ad consules, sic à consulibus ad decemuiros translatum est imperium. Hi decem tabulis propositis cùm modeste magistratum primo anno gessissent, in alterũ quoque annum eundem magistratum gesserunt: elapso secundo anno cùm decemuiri, & imprimis eorum princeps Appius, multa impotenter & iniquè egissent, & ad cumulum accessisset Virgi-

nij militis casus, secedendi in Auentinum, & euertendi decemuirales magistratus occasionem populo dederunt. Quæ plebis secessio à patribus circiter quadragesimum annum post primam secessionem facta est, authoribus Liuio, Eusebio, & Eutropio. Appium in carcere sibi mortem consciuisse, Spurium Oppium ante diem iudicij in vinculis periisse, cæteros tyrannidis socios exilio sese multasse voluntario, author est Liuius. Ita honoris magnitudo, pro honoris dignitate viuere nolentibus, teste Chrysostomo, maior fit supplicij accessio. Hic finis authorum legum duodecim tabularum, authorum inquam à quibus omne ius nostrum velut à radice processit. Euerso decemuirali magistratu, consules creantur, anno trecentesimo tertio, Lucius Valerius, & Marcus Horatius. sed antequàm huius historiæ series vlterius excutiatur, de omnibus Romanis officiis, quæ à numero virorum nomen sumpserunt, videndum. A Duumuiris sermonem exordiemur. Pomponius Iurisconsultus in lege secũda, de origine iuris, perfunctoriè quædam ad hanc rem pertinentia discussit. Vlpianus & Paulus Iurisconsulti, Duumuiros capitales existimarunt, qui iurisdicendi præcipuæ authoritatis erant, & causas criminales distinguebant, & in facinorosos homines animaduertebant. Titus Liuius libro primo Decadis primæ, Publiũ Horatium perduellionis à Duumuiris damnatum ait. Sic libro sexto primæ Decadis Marcum Manlium Capitolinum à Duumuiris damnatum ait, & damnatum tribuni de saxo deiecerunt. Legimus tamen in historiis, capitalibus causis quæstores paricidios præfuisse, quod in notoriis criminibus, quibus vitæ amissio pœna erat, intelligendum est: alioqui si solemnis erat accusatio, coram prætore & sortitis iudicibus agitabatur. Beroaldus quæstores paricidios iudices maleficiorum nominat: in iudiciis criminalibus, qualiter reus definitis in locis vocabatur, Appianus libro primo clarè docet. Sic Paulus Iurisconsultus ait, si fugitiuum meum quis quasi suũ à Duumuiris, vel ab aliis qui potestatem habent, de carcere vel custodia dimittendi acceperit. Fuere & Duumuiri ædilitij siue sacri. Hi sacras dicabant res, & obsecrationes, omnísque generis expiationes, quæ ad placandas auertendásque Deorum iras pertinebant, procurabant. Deinde ædium locandarum, quæ publicę erant, curam habebant. Liuius libro quinto primæ Decadis, & libro tertio eiusdem Decadis ait, Et Duumuiri creati Marcus & Caius Attilius, ædẽ Concordiæ, quam Lucius Manlius prætor vouerat, dicarunt. Dionysius & Valerius Sibyllinos libros à Duumuiris asseruatos docent. Deinde Quindecimuiri curam asseruandorum librorum habuerunt, quod Gellius testatur. Item & Decemuiri, vt & Macrobius scripsit. Fuerunt & Duumuiri, de quibus Liuius libro primo Decadis quintæ ait, Profectus ab Aquilea consul castra ad lacum Timai posuit. eodem decẽ nauibus C. Furius Duumuir Nauilis venit. Fuere & in vrbe Triumuiri, qui Senatores legebant ex animi sententia, vt Tranquillus in trigesima septima Augusti rubrica annotauit. Fuere tamen aliqui capitales dicti. Ij carceris curam & latomiarum habebant, traditósque atque condemnatos homines in compedibus adseruabant. Meminit horum Liuius libro quinto, decadis tertiæ, & libro trigesimo sexto, aiens, Triumuiri carceris & latomiarum custodiam habere iussi. Dicebantur autem latomiæ, quia ibi lapicidinæ fuerunt. Namque generali vocabulo latomiæ appellantur lapicidinæ, hoc est loca cædendis lapidibus accommodata: ad quas damnari solebant ij, qui in opus metalli damnabãtur.

Cuius pœnæ mentio fit apud Iurisconsultos ff de pœnis, & apud Plautum in Capt. Tyndarus in latomias lapidarias ab Aegione damnatur. Apud Sallustium legimus Ciceronem triumuirorum capitalium interuentu, supplicium de Cethego & Lentulo sumpsisse. Pomponius Iurisconsultus dicta lege secunda de origine iuris ait, Triumuiri capitales carceris custodiam habebant, & cùm animaduerti oportebat, eorum interuentu fiebat. Fuerunt & Triumuiri monetales. Hi monetæ curam habuerunt, eorúmque diligentia, vt adiecit Feneſtella, nomismata auro, & argento fabricabantur. Fuere & Triumuiri agrarij, quando coloni in colonias deducebantur, Triumuiri creabantur ad agrum assignandum, qui colonos deducebant, agrúmque assignabant: id quod apud Liuium sæpissimè leges scribentem, quemadmodum Placentiam, Cremonam, Mutinam, Parmam, Colonias semper triumuiri deduxerunt, quorum nomina ipse recenset. Cæsar verò non tres viros, sed viginti lege Iulia creauit, qui mitterentur ad agrum Campanum assignandum plebeis, quod Philip. Beroald. in 4. cap. August. apud Tranquill. prosequitur. Fuerunt & quatuor viri, quibus securitas viarum commissa erat. Quinqueuiri tribus generibus distinguebantur, alij vigilias curabant, alij reficiendis mœnibus, & turribus operam dabant, alij arbitri inter contendentes de finibus agrorũ mittebantur. Liuius libro quinto Decadis tertiæ ait, Comitia deinde à præfecto vrbano de Senatus sententia plebísque scito sunt habita, quibus creati sunt quinqueviri muris turribúsque reficiendis. Et libro quinto quintæ decadis ait, Senatus qui de finibus cognoscerent statuerentque, quinqueuiros misit. Et libro sexto primæ decadis ait, Decreuerunt vt primo quoque tempore ad populum ferreretur de bello

de bello eis indicendo, ad quam militiam, quo paratior esset plebs, quinqueuiros Pampino agro diuidendo misit. Sexuirorum verò adeo difficile est conijcere quale ministerium fuerit, vt etiam Andreas Alciatus se assequi non potuisse fateatur. Fuerunt & decemuiri alterius speciei, quàm quæ à nobis suprà relata est. Pomponius Iurisconsultus dicta lege secunda de origine iuris ait, Deinde cùm necessarius esset Magistratus qui hastæ præesset, Decemuiri litibus iudicandis constituti sunt. Guillelmus Budæus locum illum corruptum existimauit, & Cẽtumuiri legendum censet. Centumuiralia iudicia à centum viris dicta. nam cùm essent Romæ triginta quinque tribus, quæ & Curiæ dictæ sunt, terni ex singulis tribubus deligebantur ad iudicandum, qui Centumuiri appellabantur. Et licet quinque amplius quàm centum fuerint, tamen quò facilius numerarentur, centumuiri dicti sunt, vt Festus annotauit. Ideo litibus iudicandis siue de causis hæreditariis, vel etiam de vsurpationibus, vel de tutelis, & id genus similibus ageretur, Centumuiri iudicabant, vt author est Cicero libro primo de Oratore: & Martialis ait, Centum grauis hasta virorum. Accursius in l. pe. C. de peti. hæredit. Centumuiros pro Senatoribus accipit, & malè, quia Centumuiri controuersias iudicabant, Senatores verò velut patres rempublicam tractabant. Apud Velleium tamen libro secundo legimus Senatum etiam litibus prefuisse, donec Caius Gracchus Tribunus plebis iudicia ad Equites transtulit, vt Plutarchus in Gracchis tradidit. Huic Cẽtumuirali iudicio vnus ex Prætoribus præerat, vt ex oratione Ciceronis pro Roscio colligitur. Quod & Iurisconsultus in lege, Vbicunque ff. de regulis iuris satis ostendit, quando ait in his quæ causæ cognitionẽ desiderant, Prætorem desiderari. Cæterùm si de cri-

mine ſolemniue accuſatione agendum erat, tum Prætor alios iudices numero incerto ſortiebatur, vt Vuarricus Zaſius proſequitur. Cogendis verò centumuiris decemuiri conſtituti erant, qui fortaſſe ex eorum numero erant, vt Budæus etiam exiſtimauit. Plinius in epiſtolis, Centumuirales cauſas tractaſſe ſe ſcribit, cõqueritúrque, ſic in foro pueros à centũuiralibus cauſis auſpicari, vt ab Homero in ſcholis. Erant diuiſæ centũuirales cauſę in duas haſtas, prout ſignificat Quintilianus lib. quinto: quibus poſitis conueniebant iudicaturi. Zaſius verò Decemviros in vrbe Romana ius aliquãdo dixiſſe author eſt: nam cùm bellorum munera, cæteris magiſtratibus non ſufficientibus, ad Prætores deferrentur, quorum munus adminiſtratio iuris præcipuum fuit, creati decemuiri ſunt, qui ius in vrbe dicerent, Prætorúmque partes eo tempore agerent. Adrianus apud Spartianum decemuir litibus iudicandis, antequàm imperator crearetur, fuiſſe ſcribitur. Nos ex hiſtoriis accepimus decemuirorum ampliſſimum magiſtratum in vrbe & limitibus ſemper fuiſſe, diuerſique generis ſpecies ex hoc magiſtratu emerſiſſe. Titus Liuius horum originem libro primæ Decadis tertio deſcribit, aiens anno trecenteſimo altero quàm Romą condita erat, iterum mutata forma ciuitatis, à Conſulibus ad Decemuiros, cùm hi ſecundo anno nimis luxuriari cœpiſſent, eò citiùs eorum authoritas lapſa eſt. Et poſtea ſubiungit, Iam redierant legati cum Atticis legibus, eò tribuni intentiùs inſtabant, vt tandem ſcribendarum legum initium fieret. placuit creari decemuiros ſine prouocatione, vt ne quis eo anno alius magiſtratus eſſet. Ex quo patet duodecim tabulas & originem iuris, à decemuiris initium accepiſſe. Inde decemuirales leges Aulus Gellius libro decimo quarto, capite ſeptimo tradit.

Abſentibus Conſulibus, Prætoribus, & Tribunis, vrbíſque præfecto, Decemuiros ius habuiſſe conuocandi Senatum extraordinario iure, Spartianus in Adriani hiſtoria ait. Quare à Traiano abductus à patria, & pro filio habitus, nec multò poſt decemuir litibus iudicandis datus, atque inde Tribunus ſecundæ adiutricis legionis creatus. Tranquillus in Auguſto ait Auguſtum inſtituiſſe decemuiros, qui cogerent haſtam centumuiralem, hoc eſt, centumuiros haſta poſita congregarent ad iudicia peragenda, quod prius fuerat officium, & munus Quæſtoriorum: ita enim appellantur hi, qui queſtura functi ſunt: ſicut Prętorij, qui Prętura, vt Beroaldus apud Tranquillũ annotauit. Sed de his ſat ſupérque. ad rem redeo. Euerſo decemuirali magiſtratu, Conſules creatos diximus Lucium Valerium, & Marcum Horatium, qui Sabinos, Volſcos, & Equos bello fuderunt. Omnia poſtea ſatis conquieuerunt vſq; ad annum trecenteſimum nonum, Conſulibus Tito Quintio Capitolino quartùm, & Aulo Furio, qui ſeditionem domi, & foris bellum accipiunt, quæ nouiſſimum excidium vrbi interminabantur. Oratione luculenta Titi Quintij concitatis plebis & patrum animis, hi duo Conſules pari poteſtate vrbe egrediuntur. Volſcorum, & Equorũ exercitum bello vincunt. Anno poſtea trecenteſimo decimo, Marcus Genutius, & P. Curiatius Conſules creantur. Hoc anno hiſtoriam ſuam conſcripſiſſe Herodotum author eſt Plinius libro duodecimo, capite quarto. Et eo quoque anno Tribunus legem ferre conſtituit, vt connubia plebis & patrum commiſcerentur, quod lex duodecim tabularum de maritandis ordinibus vetuerat. Huic legi tribunitiæ interceſſerunt patritij. Hoc conatu omnia iura miſceri, & perturbari auſpicia publica futurum rati promiſcuis connubiis, eum qui

nasceretur nesciri cuius sanguinis, quorum sacrorum sit, non posse id quicquam dedecoris patritiæ nobilitati adferre. Olim Quintus Metellus cognomento Numidicus censuit, vt omnes ducere vxores cogerentur causa liberorum procreãdorum: habúitque super ea re orationem ad populum, quam Augustus Cæsar, authore Liuio, cùm de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam in Senatu recitauit. Decemuiri legem tulerunt, ne connubium patribus cum plebe esset: tanquam per connubia promiscua, turbentur diuina humanáque omnia, & qui tali matrimonio nascatur, dimidius sit patrum, dimidius plebis: sed C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgauit de connubio inter patres, & plebem communicando, & de ordinibus indifferenter maritandis: obtinuítque, consentientibus patribus, vt connubium foret promiscuum. Addebat Canuleius Tribunus plebis huic legi & alteram, quòd consularis magistratus cum plebe communicaretur, cúmque vltro citroque valde disceptaretur, tandem placuit deinceps non Consules, sed Tribunos militũ consulari potestate ex vtroque corpore creari. Itaque vt Dionysius libro vndecimo ait, tertio octogesimæ quartæ Olympiadis anno, lata est lex vt pro consulibus, tribuni militum essent, qui principio tres, scilicet A. Sempronius, L. Attilius, T. Cecilius creati sunt. Procedente tempore, vt Fenestella ait, viginti, aliquando plures, aliquando pauciores creati leguntur. Intermissos sæpe, & interim Consules creatos apud Liuium libro quinto & sexto legimus, pro vt vel patres, vel plebs in comitiis agendis præualuit. Fuerunt & alij tribuni ærarij, vt Asconius prosequitur latiùs, qui militibus stipendia erogabant. Quo tempore cœptum publicis militare stipendiis. Nam Liuius libro sexto docet sumptu quemque suo anteà

militare consueuisse. Plura igitur Tribunorum genera ex historiis colliguntur. Idem hic trecentesimus decimus annus ab vrbe condita, Censuræ initium fuit, rei à parua origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta est, vt morum disciplinæq; Romanæ penes eam regimen, Senatus Equitúmque, decoris dedecórisq; discrimen fuerit. Vectigalia quoq; populi Romani sub illius magistratus nutu & arbitrio fuerunt. Censores appellati quòd arbitratores erant rerum & bonorum, pro vt quisque ciuis profiteretur. Primi Censores, vt Liuius libro quarto docet, Papyrius & Sempronius adiecta lege, vt quinto quoque anno noui Censores creartur: in annuum tamen tempus hic magistratus postea à Fenestella mutatus scribitur. sub eius potestate morum & disciplinæ censura decoris & dedecoris discrimen positum est, vt Senatu mouere indignos ei liceret: ideo Cicero in oratione pro Cluentio, Censores dicit esse præfectos moribus, magistros veteris disciplinæ & seueritatis. Asconius magistratum pudoris Censuram appellat: negat tamen Cicero dicta oratione pro Cluentio, Censoria decreta, vel rei iudicatæ vim habuisse, vel infamiam irrogasse, reprehensionis notam permissam, quæ tamen vltra ignominiam non protrahebatur. Vocabulo census parùm Latinè multitudo vtitur pro reditibus annuis, cùm patrimonia nomine census comprehendantur, quod Iureconsulti titulo de Censibus latiùs edocuerunt: inde census equestris. Est & peculiare verbum historiis, censum agere, id est recensere, vel capita vel patrimonia profiteri. Liuius libro quarto Papyrium & Sempronium censui agendo à populo præfectos ait. Budæus in l. i. de Iusti. & Iur. verbum censere pro æstimare, in pretio esse interpretatur. Anno trecentesimo quadragesimo nono tribunis militum

Consulari potestate P. & Cn. Corneliis, Consulib. Claudio Fabio Ambusto, & Lucio Valerio Potito, stipẽdium ex ærario publico miles tum primùm accepit, cùm ante id tẽpus de suo quisq; functus eo munere esset. Nihil vnquam acceptum à plebe tanto gaudio tradit Liuius in fine quarti libri. Anno posteà trecentesimo quinquagesimo secundo, M. Aemilio Mamerco, & Lucio Valerio Potito, Appio Claudio Crasso, & M. Quintilio Varo Tribunis militum consulari potestate, Equites primùm equis suis merere cœperunt, & tacitis verbis colligimus denos asses diurnum stipendium militare fuisse. Budæus libro de Asse quinto ait milites Romanos diurno stipendio denarium meruisse, & in militari stipendio semper denarios pro decem assibus datos: as verò quaternos denariolos nostros, pitámque monetæ nostræ valuit. denarius verò triginta & sex denariolos nostros valuit, & sic tres nostros solidos cum sex denariolis. Centurio verò duplex stipendium, & eques triplex merebat: quæ omnia Guillelmus Budæus libro de Asse quinto prosequitur. Mos erat militaris, vt milites cingulo cincti semper essent, quod ad conuiuium eunte: deponebant, & vt inquit Iulius Capitolinus in Salonino Gallieno, à disiũctis cum imperatore cœnatur. Disiuncti, vt interpretatur Seruius, inhabiles sunt militiæ: omnes enim qui militant, cincti sunt. Vnde disiuncti inefficaces & ignaui dicuntur: sicut è contrario præcinctos, strenuos vocamus, Quod Philippus Beroald. 24. Augusti rubrica in Tranquillum annotauit. Ad rem redeo. Eodem ferè anno, quo ciuis Romanus stipendium merere cœpit, cùm in obsidione Veiorum maior spes imperatoribus Romanis, quàm in oppugnatione esset, hybernacula decreto militi Romano ædificare cœpta, consiliúmque erat hyemando continuare bellum: quæ res noua populo Romano fuit, cùm hyeme saltem in domos ac tecta reduci consueuissent, cui decreto tribuni plebis interceſſerunt. Volebant hyeme licitum populo Romano domos ac res inuisere suas, quorum intercessionem Appius Claudius Tribunus militum consulari potestate luculenta oratione vehementer confutauit, actúmque etiam plebeio suffragio, vt nec etiam hyeme militiæ requies militibus daretur. Nec posteà æstatis, aut hyemis discrimen fuit, vt latiùs libro quinto Liuius prosequitur. Tot actis cum Veiis bellis, calamitate tamen populi non sedata, ita vt ex victoriis bella in dies renascerentur, Furius Camillus Dictator, vrbis Romanæ liberator, Veios decemni obsidione domuit, Veiorúmque vrbem Hetrusci nominis opulentissimam, cùm plus aliquando cladium intulisset quàm accepisset, arte non vi oppugnauit, & de his triumphauit: cui triumpho aliquo pòst tempore crimini datum est, quòd albis equis triumphasset, prædámque iniquè diuisisset. Cui die ab Apuleio tribuno plebis dicta, damnatus Ardeam concessit. Liuius libro quinto primæ decadis de Camilli exilio loquens: Absens, inquit, quindecim millibus grauis æris damnatur. Ille igitur cùm solum iam vertisset, indicta causa, desertóque iudicio damnatus est. Cuius mulcta quindecim millium assium fuit, quæ summa ad argenti supputationem relata, facit mille & quingentas dragmas, vt Guillelmus Budæus libro de Asse secundo latiùs explicat. Paruo pòst interiecto temporis interstitio, cùm Galli Senones relictis ob sterilitatem agris suis, Clusium Hetruriæ obsiderent, missi sunt ad eos legati Romani: quorum legationis erat summa, vt ab oppugnatione desisterent. Ex his legatis vnus contra ius gentium in aciem processit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli

petitis in deditionem legatis nec impetratis, Romam petierunt. Quibus cùm Romanus exercitus ad Alliam fluuium occurrisset, vincitur die decimo sexto Calendas augusti: qui dies inter nefastos relatus, Alliensis dictus est. Victores Galli vrbem intrauere, vbi nobilissimos senum in curulibus & honorum insignibus primò vt Deos venerati, deinde vt homines despicati interfecêre. Reliqua Romana iuuentus cum Manlio in Capitolium fugit, anno ab vrbe condita, vt Plinius libro trigesimo tertio, capite primo tradidit, trecentesimo sexagesimo quarto, Tribunis militum consulari potestate Lucio Lucretio, Seruio Sulpitio. Plutarchus verò in Camillo, anno trecentesimo sexagesimo ab vrbe condita, Romam à Gallis captam mauult. Dionysius libro primo, Fabio Ambusto, & Publio Sulpitio Longo Tribunis militum consulari potestate, Romam captam scripsit: qui annus trecentesimus sexagesimus quintus ab vrbe condita recensebatur. Ad rem redeo. Iuuentus Romana cum Manlio in Capitolium fugit. vbi obsessa, Camilli virtute liberata est, qui collectis reliquiis Romanis, propter famem coactis despondere vt mille pondo auri darent, & hoc pretio finem obsidionis emerent. Inter pendẽdum tributum, Camillus Gallos improuisos post sextum mensem adoritur, & ad internecionem omnes ferro absumpsit. Populum Romanum volentem Veios migrare retinuit. Sic oppidum ciuibus, & ciues oppido reddidit. Sed quia iam dictum est, Romanos obsidionem mille pondo auri redemisse, admonitum lectorem volui, pondo, libram, & minam eadem æstimatione definiri. Libra enim Romana, siue mina vel pondo, centum drachmas, seu denarios, siue quadringentos sextertios valuit, decem aureos coronatos monetæ nostræ efficientes. coronatos ita intelligi oportet, vt singuli

guli triginta quinque solidos contineant, vt Guillelmus Budæus pro sua admirabili diligẽtia in libros de Asse annotauit. ad rem redeo. Interea Manlius, qui ob defensum Capitoliũ Capitolinus dictus est, qui sexdecim annos se voluntarium militem exhibuerat, & viginti & tres cicatrices in pectore ostendebat, capta vrbe author in Capitolium secedendi, nocte clangore anserum excitatus Gallos ascendentes deiecit. Is patronus à ciuibus appellatus, farre donatus, domum in Capitolio publica authoritate consequitur: qua superbia elatus cùm à Senatu suppressisse Gallicos thesauros argueretur, regni affectati suspicione in carcerem coniicitur. populi cõsensu liberatus est. Rursus cùm in eadem culpa, & grauius perseueraret, reus factus, & ob conspectum Capitolij ampliatus, alio deinde loco damnatus, de saxo Tarpeio præcipitatur. Domus diruta, bona publicata, gentilitas eius Manlij cognomine iurauit, ne quis posthac Capitolinus vocaretur. Liuius libro sexto gentis Manliæ decreto cautũ tradit, ne quis deinde Marcus vocaretur. Hũc exitũ habuit vir, nisi in libera ciuitate natus fuisset, memorabilis. Pauca postea memoria digna acta fuere, anno trecẽtesimo septuagesimo primo, Tribunis militum Cõsulari potestate Seruio Cornelio, & Publio Valerio nascitur Aristoteles, vt Aulus Gellius libro decimo septimo, capite duodecimo tradidit. Felix ille annus natiuitate tanti philosophi. Anno postea trecentesimo septuagesimo nono, quinquennio magistratuum solitudo vrbem tenuit, plebe semper reficiente duos tribunos plebis, videlicet Caium Licinium & Lucium Sextium. His comitia tribunorum militum perpetua intercessione tollentibus, donec verecundia non solùm patres, sed etiam plebem mouit, & remittentibus Tribunis plebis, Comitia per interregem sunt habita anno ab vrbe con-

dita trecẽteſimo octuageſimo quarto, quo anno Tribuni militum creati Lucius Furius, Aulus Manlius, & Tribuni plebis decimùm creati Caius Licinius, & Lucius Sextius: & tunc lata lex, vt Conſules etiam ex plebe crearentur, eámque legem cum magna contentione repugnantibus patribus, cùm iidem Tribuni plebis per quinquennium ſoli magiſtratus fuiſſent, & iidem Tribuni plebis iam decennium creati fuiſſent, pertulerunt. Et primus omnium ex plebe Lucius Sextius Conſul creatus eſt, lata lege, ne cui plus quingentis iugeribus agri poſſidere liceret. Anno poſtea trecenteſimo nonageſimo octauo, Caio Mario & Cn. Manlio Conſulibus, idem Licinius à Marco Pompilio, ſua lege decem millibus æris damnatus eſt, quòd mille iugerum agri cum filio poſſideret, emancipandóque filium fraudem legi feciſſet, vt libro primæ decadis ſeptimo Liuius annotauit. Ex hiſtoriis accepimus cùm plebi ad Conſulatum factus eſſet aditus, viciſſim patribus conceſſum eſt, vt Prætorem crearent, qui à præeſẽdo, vt voluit Feneſtella, Prætor dicebatur. Varro à præeundo dictum putat. Eius tanta fuit poteſtas, vt iura conderc, & abrogare inſtituta ſolus poſſet. Conſularibus tamẽ comitiis author eſſe nõ potuit, quòd maius verſaretur imperium in conſulibus creandis, quàm vt per Prætorem explicari poſſet. Cicero libro ad Atticum nono, tradidit ſex ei faſces cum lictoribus conceſſos, ſimul ſellam curulem & trabeam. Ferunt prætorem vrbanum cùm Herculi ſacra faceret, laurea ornari corona ſolitum, quod Macrobius latiùs explicat. Caſſius cùm prætor eſſet, ita dicitur in criminibus fuiſſe inexorabilis, vt tribunal ſuum, ſcopulus reorum diceretur, vt Cicero tradidit. poſt aliquot deinde annos non ſufficiente eo prætore, quòd turba plurima ciuitati commi-

ſceretur, creatus eſt & alius Prætor, qui peregrinus dictus eſt, quia inter peregrinos plerunque ius diceret. Hinc peregrinum Prætorem, Cælius minorem appellatum fuiſſe ſcribit, cùm Vrbanus maior vel primus diceretur, author Cicerone in oratione pro Lucio Manilio. Cicero in quadam ad Furinum epiſtola, Præturam dicit eſſe magiſtratum diuulgatiſſimum, quod & Philipp. Beroadus in quarto capite, in Auguſto apud Sueton. annotauit. Auguſtus Prætorum numerum auxit, vt Tranquill. trigeſima ſeptima Auguſti rubrica annotauit. ſcribit Pomponius Iuriſcõſultus ſexdecim Prætores ab Auguſto fuiſſe creatos. Edixerunt & Patres vt nobiles in magiſtratibus plebi anteferrentur, ne in totũ plebi ceſſiſſe viderentur. Ex ſuo corpore magiſtratum alium crearunt, qui plebi communis non eſſet, ædilium ſcilicet curulium. Hos ſibi patritij quæſiere honores pro conceſſo plebi altero conſulatu, vt libro ſexto Liuius latiùs proſequitur. Liuius ſcribit eos qui conſulatum ambibant, per gradus honorum ſcandere debuiſſe, vt primo quæſtores fierent, hinc Aediles, poſtea Prætores: hinc patebat aditus ad Conſulatum, & ſic inter Conſulatum & Quæſturam, intermedios magiſtratus fuiſſe Aedilitatem & Præturam. ea ratione Titus Flaminius ex quæſtura conſulatum petens, repulſam paſſus eſt. Licet in Germanico mutatum fuiſſe Tranquillus in Caligula annotarit. Anno poſtea trecenteſimo nonageſimo primo, Caio Sulpitio conſule, cùm Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis caſtra poſuiſſent, & dictator cùm tumultus Gallici cauſa iuſtitium edidiſſet, frequentíque exercitu ab vrbe profectus in ripa Anienis caſtra poſuiſſet, Gallus eximia corporis magnitudine in vacuum pontem proceſſit, & exclamans, quàm maxima voce

potuit, quem nunc Roma fortissimum virum habet, procedat ad pugnam. Tum Titus Manlius memor se ex familia ortum, quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deiecerat, venia pugnandi à Dictatore accepta, Gallum prouocatorem singulari certamine confodit, torquémque ei detractam cerui ci suæ induit. Hinc ei Torquati nomen inditum fuit. Hoc singulare certamen Manlij Torquati, & militis Galli triginta annis fuit, postquàm Furius Camillus Gallos Roma deiecerat, vt Guillelmus Langæus in quarto libro Gallicæ historiæ tradidit. Hic postea consul bello Latino filium, quòd contra imperium pugnasset, securi percussit. consulatum nouissimo loco recusauit, quòd diceret nec se populi vitia, neque populum seueritatem suam posse sufferre. Cura pudicitiæ Romæ in dies augebatur. Anno ab vrbe condita quadringentesimo decimo octauo, consulibus Caio Sulpitio Longo, & P. Aelio Peto, Minutia Vestalis, suspecta primò propter mundiorem iusto cultum, deinde decreto Pontificum sacris abstinere iussa, facto iudicio viua sub terrã ad portam Collinam defoditur. & anno postea quadringẽtesimo septuagesimo tertio, Valerio Leuino & T. Coruncano consulibus, Pyrrhus Epirotarum rex materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriũdus, cùm orbis imperiũ agitans Romanos potẽtes animaduerteret, cùm Apollo consultus ambiguè respõdisset, Aeacida Romanos vincere posse, in spem victoriæ ductus, bellum Romanis intulit. Valerium Leuinum consulem apud Heracleam elephantorum nouitate turbauit. Cúmque Romanos aduersis vulneribus occisos videret, Ego inquit talibus viris breui orbem terrarum subigere potuissem: & amicis gratulantibus, Quid mihi cum tali victoria, inquit, vbi robur exercitus amittam? Ad vigesimum ab vrbe lapidem castra posuit, captiuos Fabricios gratis reddidit. Viso Liuini exercitu ait eandem sibi aduersus Romanos victoriam, quam Herculi aduersus Hydram feciſſe fortunam. Et à Curio Dentato, & Fabricio superatus, Tarentum refugit. & in Siciliam traiecit. Mox in Italiam regressus, Cyneas legatus à Pyrrho ad Senatum missus petiit, vt componendæ pacis causa rex in vrbem reciperetur. De qua re cùm ad frequentiorem Senatum referri placuisset, Appius Claudius senex & cæcus lectica in Senatũ latus, turpissimas conditiones magnifica oratione discussit. Tum Pyrrhus in Græciam regressus, dum Argos oppugnat, ictu tegulæ prostratus iacuit. Corpus ad Antigonum regem Macedoniæ delatum. Diuerso marte in Italia res postea geruntur, donec Hispania anno ab vrbe condita quingentesimo trigesimo quarto, Marco Liuio (qui Salinator nominatus est, quòd legem tulisset ne quis salem sine vectigali venderet, cùm antea ius esset omnibus vẽdendi salis, vt Liuius in fine vigesimi noni libri tradidit) & Lucio Aemilio Paulo Consulibus, Hannibal Amilcaris filius, in Hispania bellum mouit, & cum omni spe celeriùs Saguntum oppugnasset, & bellum non in Hispania solùm, sed per omnem Italiam conflagraret, anno ab vrbe condita quingentesimo trigesimo quinto, Consulibus Publio Cornelio Scipione, & Tito Sempronio, bellum omnium grauissimum exoritur, quod Punicum secundum bellum à pluribus conscriptum vbertim est, Polybius libro tertio, Liuius libro vigesimo, & sequentibus, Florus libro secundo, Plutarchus passim in Marcello, in Fabio & Hannibale, Appianus in Libyco, Sillius Italicus libris decem & septem, Orosius libro quarto, Eutropius libro tertio: vt autem omnia hæc tria Punica bella breui epitome comprehendantur, ad

primum bellũ Punicum diuertẽdus est sermo. Verè ex historiis colligitur, ꝙ Olympiade cẽtesima vigesima nona, vt Polybius in initio primi libri testatur, vel Olympiade centesima vigesima octaua, tertio illius Olympiadis anno, vt Dionysius mauult, vel vt Liuius testatur, anno ab vrbe cõdita quadringentesimo octuagesimo octauo, Appio Claudio cõsule oritur primũ Punicũ bellum, quod durauit vsq; ad tẽpora Quinti Luctatij & Auli Manlij, qui consules anno quingẽtesimo duodecimo huic bello finem attulerunt, qui finis durauit vsq; ad tempora Lucij Cornelij Scipionis, & Titi Sempronij, quorum consulum tẽpore secundum Punicum exoritur, quod octo & decem durauit annos, & finitum est Publio Cornelio Aphricano & Aelio Peto consulibus. Anno ab vrbe condita quingẽtesimo quinquagesimo tertio, vt ex Liuio in fine tertij libri primæ decadis, & in initio quartæ decadis, tertium Punicum bellum, si Solini sententia vera est anno sexcentesimo quarto initium habuit. Orosius & Eutropius sexcentesimo altero anno hoc tertium Punicum bellum cœptum malunt. Appianus Lucio Licinio Lucullo, & Aulo Posthumo Albino Cõsulibus initiũ hoc bellum cepisse cẽset. Abbreuiator Liuij ad sexcentesimum & alterum annum initium huius belli reiicit, exitum verò ad quintum annum, postquàm inceptum erat. Cui bello finem attulit Publius Scipio Aemilianus, cui à diruta Carthagine, Aphricani nomen inditum est. Cæterùm ad historiam redeo. Hannibal oppugnata Sagunto, Alpibus superatis ad Ticinum amnem castra locat. Ei Publius Cornelius Scipio consul fit obuiàm, inito certamine vincitur Romanus exercitus. Cornelius Scipio consul accepto vulnere, à filio, qui postea Aphricanus dictus, periculo liberatur. Dehinc ad Trabeam fluuium castra metatur, ad quẽ

Sempronius collega literis à Senatu missis, à Sicilia re prosperè gesta euocatus, dum reclamante & intercedente Cornelio Scipione collega, manus conserere festinat, similem cladem ad Trabeam ipse, quam nuper Cornelius Scipio ad Ticinum accepit. Bellum vtrumque tam ad Ticinum, quàm ad Trabeã Polybius in tertio, & Liuius libro vigesimo primo, qui totus est de Hannibalis transitu, describunt. His peractis bellis Hannibal, qui per Appenninum in Hetruriam mouerat, magna tempestatis sæuitia, facta exercitus, & oculi non parua iactura, & priore prælio saucius, Placentiam adiit. Romæ Cn. Seruilius & C Flaminius consules creantur. Flaminius consul Ariminij idibus Martiis iniit consulatum, cùm per id tempus Romæ Seruilius consulatum inisset. Flaminius ferocioris ingenij, & moræ impatiens non expectato collega, ad lacum Trasimenum nebula & caligine deceptus, ab Hannibale fuso Romano exercitu occiditur, & cum eo quindecim Romanorum millia, vt copiosè Liuius in initio vigesimi secundi libri scribit, & Polybius libro tertio. Luculenti scriptores tradunt, vt refert Macrobius, libertinos post cladem ad Trasimenum acceptam in sacramentum militare vocatos, cùm antea legitimi milites non essent, cùm tantùm ingenui milites scriberentur: quod & Philippus Beroaldus in Tranq. vigesima quinta rubrica in Augusto annotauit. Hæc ad Trasimenum clades coëgit, vt à populo tunc primùm Quintus Fabius Maximus Prodictator diceretur. tunc enim Seruilius Consul procul in Gallia aberat, cuius erat ius dicẽdi Dictatoris: ideo tantam moram in creando Dictatore, territa iam clade ciuitate, cùm populus ferre non posset, eo decursum est, vt à populo Prodictator crearetur, qui Dictatoris officia exequeretur. Res deinde gestæ gloriáque insignis

imperatoris facilè effecerũt, vt Dictator pro Prodictatore diceretur. Marcus Ruffus Minutius magister Equitum creatur, qui cùm esset ingenij paulò insolentioris, Fabium Dictatorem criminabatur, vno aut altero prælio feliciter gesto, quòd protrahere bellum sine causa studeret. Quo factum est, vt magistri Equitum potestas, cum Dictatoris potestate æquaretur, & cùm æquato imperio in discrimen cum Hannibale venisset, ita vt ni Dictatoris arte bellica liberatus fuisset, ipse cum omni Romano exercitu crudeli nece collaberetur, sed exercitu à clade liberato ipse magister Equitum, & ore, & literis palàm professus est prudentiam Dictatoris. Romæ in locum Flaminij consulis, Marcus Attilius Regulus suffectus est, qui cum Gemino Seruilio postea à Quinto Fabio exacto magistratu suscepit exercitum. Hi hybernaculis maturè munitis, carpentes agmen Hannibalis quoties frumentatum exibat, plurimùm attriuerunt. Anno proximo quingentesimo trigesimo septimo, vel octauo, vt plerique malunt, noui consules creantur, Lucius Aemilius Paulus secundùm, & Terentius Varro, loco non humili solùm, sed etiam sordido natus, patrem lanium habuit, ipse institor mercis, filió que hoc ipso in seruili eius artis ministerio vsus est. sed iuuenis vbi ex eo genere quæstus pecunia à patre relicta, animum ad spem liberalioris fortunæ adiecit, togáque & forum placuerunt, pro sordidis hominibus proclamando, causisque aduersus rem & famam bonorum, primùm in notitiam populi, deinde ad honores euectus, quæstura, & duabus ædilitatibus, plebeia & curuli, postremò & prætura pefunctus est, & nouissimo loco ad consulatum aura populari aduectus. Ipsius temeritate memorabilis clades ad Cannas Apuliæ vicum à Romanis accepta est, Publius Aemilius consul cæsus, & quadraginta

draginta peditum millia cum duobus millibus, & sexcentis equitibus occubuere, tria millia capta, ex qua clade Terentius Varro consul furto se subtraxit. Liuius vigesimum secundum librum in huius cladis descriptione consumit. Item Plutarchus in Hannibale, & Florus libro secundo. Peracta Cannensi pugna, Campani ad Hannibalem deficiunt, idem & Capuani faciunt. Claudius Marcellus Prætor Hannibalem Nolam obsidentem eruptione facta inuasit, & bis mille trecentos in exercitu Hannibalis cecidit, primúsq; vinci posse Hannibalem docuit. Anno ab vrbe condita quingentesimo trigesimo nono, consulibus Tito Sempronio Gracho, & Fabio Maximo, Hannibal cum Philippo Macedonum rege fœdus percússit in Sicilia. Romanis omnia mutauerat mors Hieronis, regnúmque ad Hieronymum nepotem eius translatum. Anno postea ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo secundo, consulibus Quinto Fuluio Flacco, & Appio Claudio Pulchro, Hannibal cùm sæpe aliàs, tum paucis antè diebus expertus qualis sub ignauo, & vano duce exercitus esset, in Apuliam castra mouit. Circa Herdoniam Romanæ legiones, & prætor Fuluius erant. Vbi primùm aduentauit Hannibal, exercitum Romanum à fronte pepulit, & à tergo circumuenit, tantámque cladem exercitui Romano iniecit, vt omnia ferè ad internecionem prostrauerit. Eodem anno id ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in Romanorum castris nunquam Romani imperatores intromiserãt: tunc primùm Celtiberos mercede ad auxilium Romani acciuere. Eo tempore Publius Cornelius Scipio, septimo anno postquàm in Hispaniam venerat, & post eum vndetrigesimo die Cn. Cornelius Scipio eius frater, tot tantarúmque rerum feliciter gestarum tristem exitum

tulerunt, propè cum totis exercitibus cæsi: amissáque Hispaniæ possessio foret, ni Lucij Martij Equitis Romani virtute & industria, contractis exercitus reliquiis, expugnata Pœnorum bina castra fuissent, & ad triginta & septem millia cæsa. Inde dux Martius appellatus. Anno quingentesimo quadragesimo tertio ab vrbe condita, Consulibus Cn. Fuluio Centimalo & Publio Sulpitio Galba, Hannibal Capuam obsidione soluere volens, cum Appio Claudio & Quinto Fuluio congreditur. Cæsáque sunt eo prælio octo millia Pœnorum, & tria millia Campanorum, signáque Carthaginensibus quindecim adempta. At vbi conspexit Hannibal in obsidione Capuæ soluenda nihil posse, rectà Romam adiit, & ad Anienem fluuium castra admouit. Ibi statiuis positis, ipse cum duobus millibus equitum ad portam Collinam vsque ad Herculis templum progressus est, atque, vnde maximè poterat, mœnia, sitúmque vrbis obequitans contemplatus est. Tunc Senatui placuit omnes qui Dictatores, Cõsules, Censorésque fuissent, cum imperio esse donec à muris hostis recessisset. Postero die transgressus Anienem Hannibal in aciem omnes copias eduxit, nec Fuluius Flaccus prioris anni consul, cui prorogatum erat imperium, certamen detrectauit. Instructis vtrinque exercitibus in eius pugnæ casum, in qua vrbs Roma victori præmium esset, imber ingens grandine mixtus ita vtramque aciem turbauit, vt vix armis retentis, in castra sese receperint. Postero die eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit: vbi recepissent se in castra, mira serenitas cum tranquillitate oriebatur. Audita tunc vox Hannibalis fertur, potiendæ sibi vrbis Romæ modò mentem non dari, modò fortunam. His motus ad Turiam fluuium castra retulit, sex millia passuum ab vrbe, inde ad Lucum Feroniæ pergit ire. Eodem anno Capua à Quinto Fuluio, & Appio Claudio oppugnatur. Principes vrbis veneno sibi mortem consciuerunt. Romæ, Senatui, populóque Romano recepta Capua, iam non Italiæ, quàm Hispaniæ maior cura erat, & exercitum augeri, & imperatorẽ deligi placebat, nec tamen quem deligerent satis conueniebat: quoniã illuc vbi duo summi imperatores intra dies quadraginta cecidissent, qui in illorum locũ succederet extraordinaria cura deligẽdus erat. postremò eò decursum est, vt populus pro imperatore creando in Hispaniã comitia haberet, diémq; comitiis consules edixerunt. Ideo perditæ & desperatæ Reipublicæ res erant, vt nemo auderet in Hispania imperium accipere, cùm subito Publius Cornelius Scipio, illius, qui in Hispania ceciderat, filius, quatuor & viginti fermè annos natus, professus est se id petere (in superiore vnde conspici posset loco constitutus). Tunc suffragio populi, & omnium consensu is deligitur. fuit hic Scipio non veris tantum virtutibus memorabilis; sed arte quoq; quadam adinuenta in ostẽtationem earum compositus. Nouis comitiis consules creantur M. Claudius Marcellus quartùm, & Marcus Valerius Leuinus secundùm, anno ab vrbe cõdita quingentesimo quadragesimo quarto, alij quadragesimo tertio malũt. Liuius in quartæ decadis initio non satis huic temporum supputationi consentit. His comitiis T. Octacilius & T. Manlius Torquatus prærogatiua iuniorum eligebantur: sed postquàm Manlius Torquatus, vt in sexto libro tertiæ decadis Liuius scribit, valetudine oculorum se excusauit, Marcum Claudium Marcellum tum domita Sicilia fulgentem, & Valerium Leuinum, qui aduersus regem Philippum terra marique egregiè pugnauerat, absentes consules crearunt. Vt

verè intelligas, quia in historiarum lectione frequens hic locus adiicitur, quid sit prærogatiua iuniorum, repete ea quæ Asconius Pædianus Verrina secunda scripsit. Erant quippe tribus quæ prærogatiuæ dicebantur. hæ primæ suffragium ferebant ante tribus iure vocatas: sed tribus iure vocatæ secundæ erant, quòd in his sequente populo, vt sæpe contigit, prærogatiuarum voluntate, iure omnia complerentur: hæ enim iure vocatæ iussu consulis aut tribunorum in concionem veniebant, quo ad suffragia ferenda, vocabantur tamen prius. Sermo in populo habebatur de dignis ac indignis, & candidatis, & plerumque magistratum assequebatur in quem sermo populi inclinabat. Quicquid igitur suffragiis vniuersalis concionis confirmatum est, quamuis id patres decreuerint, prærogatiua Senatus dici potest: talia enim suffragia ferebantur comitiis centuriatis in campo Martio, vbi maiores magistratus legebantur: nam in curiatis comitiis per lictorem curiatim calabantur, id est vocabantur curiæ triginta & quinque; & tunc viritim suffragia dabantur. De hac iuniorũ prærogatiua, Florus libro secũdo, titulo sexto de bello Punico latiùs. Guillelmus Budæus in libris de Asse inquit, Prærogatiua tribus dicebatur, cui sorte euenerat, vt prima rogaretur, hoc est vt suffragium ferret. Sic prærogatiuum suffragium dicitur ex eorum hominum sententia, qui primi censere iubentur. Cæterùm, vt ad rem redeamus, sub his consulibus Aetoli cum Romanis fœdus sanciunt, Marcello consuli Italia, Valerio Leuino Sicilia decernuntur. Exhauriebatur omni ex parte Romanum ærarium. Tum patres anulos, bullas, aliáque ornamenta in publicum contulerunt. & Marcellus in Campaniam profectus, Salapiam recuperat. Romana classis ad Sacriportum infeliciter pugnat. Leuinus

in Sicilia Pœnos oppugnat, & insulam pacatam reddit. Scipio in Hispania nouam Carthaginem oppugnat, præclaráſque virtutis insitæ res edidit, de quibus Liuius, Plutarchus, Valerius Maximus, Gellius libro sexto, capite octauo, Plinius Iunior titulo quadrageſimo nono, Sillius Italicus libro decimo quinto passim, & cæteri. Marcellus Hannibalis exercitum fudit, stragémque insignem edidit. Hic est Marcellus vir bello clarissimus, qui primus animi magnitudine posse vinci Hannibalem docuit. Eodem quoque tempore legati Syphacis amicitiam à Senatu Romano petierunt, cui & à Ptolomæo & Cleopatra munera sunt oblata, vt vigesimo septimo latiùs Liuius prosequitur. Meminit horum consulum Orosius libro quarto, capite decimo sexto, & Florus libro secundo, titulo sexto. Anno ab vrbe condita quingenteſimo quadrageſimo quinto, creantur consules Quintus Fabius Maximus quintùm, & Quintus Fuluius quartùm, Claudio Marcello prioris anni consuli prorogatum est imperium, legionésque decretæ. Fabius consul Tarentum eadem arte & industria, qua Hannibal occuparat, recuperauit: id quod Hannibal fatebatur, dicendo, Tarentum eadem arte qua ceperamus, amisimus: etiam Romani suum Hannibalem habent. Claudius Marcellus aduersus Hannibalem ad Numistronem duplici pugna certauit, priore pugna Hannibal superior fuit, sequenti Marcellus. In nouissima pugna cæsa ad octo Pœnorum millia, quinq; elephanti, nec Romanis ea incruenta fuit victoria: & mille septingenti de duabus legionibus, & sociorum supra mille trecenti occisi. Hannibal nocte proxima castra mouit, cupientémque sequi Marcellum prohibuit sauciorum multitudo. Hannibal de eo iudicium tulit, cum eo nimirum, inquit, hoste res est, qui nec bonam, nec

malam patitur fortunam. si vincit, ferociter instat victis, si victus est, instaurat cum victoribus certamen. Interea Publius Cornelius Scipio in Hispania res prosperè gerit. ad Betulam Asdrubalem bello vicit, cæsáque sunt in eo bello ad octo hominum millia. Scipio hostium castris potitus, cùm præter libera capita omnem prædam militibus concessisset, in recensendis captiuis decem millia peditum, duo millia equitum inuenit, ex his Hispanos omnes sine pretio domum dimisit, Aphros vendere Quæstorem iussit. Circumfusa inde omnis multitudo Hispanorum, regem eum ingenti consensu appellauit. Tum Scipio silentio per præconem facto, sibi maximum Imperatoris nomen esse dixit, quo se milites sui appellassent, regium nomen alibi magnum, Romæ intolerabile esse. Regalem in se esse animum, si id in hominis ingenio amplissimum inducerent, tacitè indicarent, vocis vsurpatione abstinerent. Hic finis rerum, quæ Fabio & Fuluio consulibus hoc anno contigêre, Lucio Marcello continuato in eum annum imperio. Valerius Maximus scribit Aretij repertam tabulam, in qua Quintus Fabius Maximus bis Dictator, & quinquies Consul fuisse annotabatur, quod & Plutarchus in Fabio obseruauit. Hoc tempore, vt in secundo libro Florus, titulo sexto scribit, Fabius Maximus Cunctator, imperij scutum dictus est. Claudius verò Marcellus ensis imperij appellatus est. Anno postea quingentesimo quadragesimo sexto, alij quinto malunt, Marcus Claudius Marcellus quintùm, & Titus Quintius consules creantur, qui fuit annus Punici belli vndecimus. circa Venusiam Marcellus & Titus Quintius consules cùm loci speculandi causa castris egressi essent, insidiis Hannibalis circumueniuntur. Marcellus transfixus lancea prolabitur, & Titus Quintius Crispinus collega, & Marcelli filius saucij fuga saluti suæ prospexerunt. Hannibal potitus corpore Marcelli consulis & anulo, ciuitates quasdam obruere conatus est. sed Crispini prouidentia frustratur. Hannibal in Brutios proficiscitur. T. Quintius Crispinus exercitum, cui collega mortuus & ipse præfuerant, Marcum Marcellum Tribunum militum Venusiam abducere iussit. Consul vix lecticæ agitationem præ grauitate vulnerum patiens, Romam literas de morte collegæ scripsit, quantóq; ipse in discrimine esset. Paulò pòst ex eo vulnere occubuit. id quod nullo antè tempore acciderat, vt duo consules sine memorando prælio interfecti, veluti orbam Rempubl. relinquerent. Anno ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo septimo, consules creantur Claudius Nero, & Marcus Liuius Salinator secundùm. hic multis antè annis ex Consulatu populi iudicio damnatus, ignominiam adeo ægrè tulerat, vt & rus migraret, & per multos annos & vrbe, & omni cœtu careret hominum, octauo fermè post damnationem anno à Marco Claudio Marcello, & Marco Valerio Leuino Consulibus, in vrbem reductus est, sed erat veste obsoleta, capillóque & barba prolixa, præ se ferens vultu, habitúque insignem memoriam acceptæ iniuriæ. Hic consul cum Claudio Nerone ad Metaurum fluuium Asdrubalem Hannibalis fratrem, ex Hispaniis in Italiam per Alpes venientem cum omni exercitu deleuit, cladémque Cannensem æquauit. Eo bello sex & quinquaginta millia hostium cæsa sunt, & capta quinque millia. caput Asdrubalis ante castra Hannibalis proiectum. nec vnquam Hannibali iungere exercitum cum fratre Asdrubale per Claudium Neronem licuit. Is vno prælio Hannibalem adortus supra octo hominum millia cecidit, supra se-

ptingentos cepit, signa militaria nouem ademit, elephantos quatuor cepit. Postero die prima luce profectus magnis itineribus famam & vestigia agminis sequens, haud procul Venusia hostem Hannibalem aggreditur, ibi quoque tumultuaria pugna fuit. supra duo millia Pœnorum cæsa. nusquam Nero vestigiis Hannibalis abstinebat. Hannibal flexit in Picenum, & Claudius Nero consul quantis maximè potuit itineribus ad collegam proficiscitur, relicto Tito Quintio legato vt castris præesset. Vt autem legatorum potestas eluceſcat, sciendum est, legatos ex viris consularibus deligi moris Romanorum fuisse, qui cum consulibus ad exercitus mittebantur, secundi ab imperatore, quibus legiones & auxilia vniuersa obtemperabant, quibus absentibus præfectus legionis tanquã vicarius imperabat, vt & Vegetius in secundo de re militari tradidit. Per legatos etiam prouinciæ Romanorum administrabantur, vt Feneſtella ait, sed mandata iurisdictione vtebantur, vt Varro inquit. legati erant publicè lecti, quorum opera, consilióque magistratus peregrè vtebantur. Ad rem redeo. Nero ad collegam aduenit, dextro cornu: & Liuius sinistro pugnam inierunt. Occiso Asdrubale, & fuso eius exercitu, Romæ Marco Liuio & Claudio Neroni consulibus triumphus decretus est. Liuius qui in prouincia sua rem gesserat, quadrigis inuectus est. Claudius Nero, qui in collegæ prouinciam, vt victoriam eius adiuuaret, venerat, equo inuectus est, & in eo statu plus gloriæ est quàm collega assecutus. Nam plus in bello poterat & fecerat. Anno posteà decimo tertio belli Punici, qui fuit quingenteſimus quadrageſimus octauus ab vrbe cõdita, consules creãtur Lucius Veturius Philo, & Quintus Cecilius Metellus. Eo cõsulatu pauca gesta fuêre. Lucani sponte sua in deditionem Romanorum venerunt.

venerunt. sic & Brutij egerunt. Cum Hannibale nihil gestũ est. Publius Scipio in Hiſpania cum Pœnis pugnauit anno quinto postquàm in Hiſpaniam venerat, exclusísque omni ex parte Hiſpaniæ hostibus, totam Hiſpaniæ oram in ditionẽ populi Romani reduxit. Postea à Tarracone in Africam ad Syphacem Numidiæ regem duabus quinqueremibus transuectus, fœdus cùm Syphace percussit. Asdrubal Hiſpania pulsus eodẽ die cum septem triremibus ad Syphacem appulit, eadem quæ Scipio postulaturus. eadem mensa, eodémque tecto, & lecto excipiuntur. Magnificum id Syphaci visum: duorum opulentiſſimorum ea tempestate duces populorum, vno die suam pacem amicitiámque petentes veniſſe. Eos in colloquium dirimendarum simultatum causa contraxit. Scipione abnuente haud priuatum sibi vllum cum Pœno odium esse, aut de Republica se quicquam cum hoste agere iniussu Senatus posse. Tanta autem inerat Scipioni comitas, atque ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non Syphacem modò barbarum, insuetúmque omnibus Romanis moribus, sed hostem etiam infestiſſimum facundè alloquendo sibi conciliarit. Scipio Lucio Lentulo, & Lucio Manlio prouincia tradita, decem nauibus Romam rediit. & Senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hiſpania gessisset disseruit, quoties signis collatis dimicasset, quot oppida ex hostibus vi cepisset, quas gentes in populi Romani ditionem redegisset: se aduersus quatuor imperatores, quatuor victores exercitus dimicasse: ob quas res gestas magis tentata est triumphi spes, quàm petita pertinaciter. quia nemo ad eam diem triumpharat, qui sine magistratu res gessisset, quique Dictator, Cõsul, aut Prætor non esset. Sic nec quãuis quis præclaras res ciuili bello gessisset, imperator tamẽ eo nomine appellatus

non est, neque vllæ supplicationes decretæ sunt, neque ouauit, neque curru triumphauit, quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatę sunt victoriæ, vtpote non externo, sed domestico partæ cruore. Quæ tamen omnia tempore mutata in historiis reperiuntur. Nam Pompeius neque Dictator, neq; Consul, neque Prætor triumphauit. Sic August. bis triumphauit in Ciuilibus bellis, vt Plutarchus & Tranq. annotarũt. Anno ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo nono, decimo quarto anno belli Punici, cõsules creantur Publius Cornelius Scipio, Africanus postea dictus, & Publius Licinius Crassus in Brutiis. Eo anno cum Hannibale nihil gestum est, quia pestilentia vtrumque exercitum turbauit. Scipio Lælium ad Masinissam præmisit, vt singula quæ ad bellum Carthaginense (quod animo Scipionis concoquebatur) pertinerent, pararet: sed priusquàm Senatus decreto Africa prouincia Scipioni demandaretur, quæ tragœdiæ in Senatu excitatæ fuerint, satis intelligi potest ex duabus grauissimis orationibus, Quinti videlicet Fabij Maximi, & Publij Cornelij Scipionis, quæ in eo totę erãt, an è Republica esset Africam prouinciã Scipioni demandari, quæ à Liuio libro nono tertiæ decadis conscriptæ extant. Senatus prouincias decreuit, vt Scipioni consuli Sicilia obueniret, permißúmque vt si è Republica esse prospiceret, in Africam traiiceret. Scipio à Syracusanis in Brutios traiecit, & Locros pulso Punico præsidio, fugatóque Hannibale recepit, atque in Africam traiecit. Syphax, de quo nuper factus est sermo, accepta in matrimonium Asdrubalis Gissonis filia, amicitiæ, quam cum Scipione iunxerat, renuntiauit. Masinissa rex Masæsulorum, dum pro Carthagine in Hispania militat, amisso patre Gala de regno exciderat, quo per bellum sæpe

repetito, aliquot prælijs à Syphace rege Numidarum victus, omni ex parte priuatus est, & cum ducentis equitibus exul se Scipioni iunxit, atque cum eo primo statim bello Hannonem Amilcaris filium cum ampla manu fudit. Scipio aduentu Asdrubalis & Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerant, ab obsidione Vticæ pulsus, hyberna communiuit. In Africa tamen Scipio Carthaginenses, & eundẽ Syphacem Numidarum regem, Asdrubalémque pluribus prælijs vicit, adiuuante Masinissa, & quadraginta millia Pœnorum igne ferróque consumpsit. Syphacem per Caium Lælium cepit, effectúmque est multis Scipionis victoriis, vt Carthaginenses in desperationem acti, in publicæ salutis auxilium Hannibalem ex Italia reuocarent. frandens geménsque Hannibal vix lachrymis temperans dicitur ter verba legatorum Carthaginensum audiuisse, quæ postquàm intellexit, vicit, inquit, Hannibalem non populus Romanus toties cæsus fugatúsque, sed Senatus Carthaginensis obtrectatio, atque inuidia: neque hac deformitate reditus mei Publius Scipio insolentiùs iam exultabit, atque efferet sese, quàm Hanno, qui domum nostram, quando aliare non potuit, ruina Carthaginis oppressit. Principio sequentis anni, qui fuit quingentesimus quinquagesimus secundus ab vrbe condita, Consules creantur T. Claudius Nero, & Marcus Seruilius Geminus. hoc anno, vt Liuius scripsit, ab hac luce subtrahitur Lucius Manlius Torquatus. Consuli T. Claudio Neroni Africa obuenit, parique imperio cum Publio Scipione coæquatur. Carthaginenses memores bis sese acie victos à Scipione, Syphacem captum ab eo, pulsos se Hispania, atque omnia vnius virtute & consilio Scipionis facta, velut fatalem ducem in exitium suum natum horrebant. Iam

Adrumetum peruenerat Hannibal, deinde Zamam magnis itineribus contenderat. Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest. Hannibal quanquam & ipse causa eius belli foret, ex aduentu suo turbauerat pactas inducias, tamen si integer quàm si victus peteret, pacem æquiorem impetrari posse ratus, nuntium ad Scipionem mittit, vt secum colloquendi potestatem faceret. Id vtrùm sua sponte fecerit, an publico concilio, Liuius affirmare non audet. Cæterùm Scipio cùm colloquium non abnuisset, ambo ex composito duces castra protulerunt, vt coire ex propinquo possent, submotis pari spatio armatis, cũ singulis interpretibus congressi sunt, nõ suæ ætatis modò maximi duces, sed ante se memoriæ omnis omniũ gentium cuilibet Regũ Imperatorúmue pares, paulisper alter alterius conspectu admiratione mutua propè attoniti, conticuere. Sed cùm Hannibal pacem peteret, Scipio recusaret, infecta re digrediuntur. Extant apud Liuium duæ graues orationes ab his imperatoribus in eo tractatu habitæ. Dehinc cùm armis rem transigendam concluſissent, manus conseruerunt. victores Romani viginti millia Pœnorum prostrauernnt. idem numerus cum militaribus signis captus à Romanis est. Hannibal fuga elapsus Adrumetum perfugit. Inde vocatus Carthaginem venit, sexto & trigesimo anno postquàm puer inde profectus fuerat, fœdúsque cum Romanis percutiendum omnino suasit. Hoc anno Quintus Fabius Maximus, qui duos & quadraginta annos augur fuerat, vir exactæ ætatis, & tanto dignus cognomine, vt cunctando rem restituisse dicatur, ante finitum hoc bellum morbo correptus obiit. Anno quingentesimo quinquagesimo tertio, Cn. Cornelio Lentulo & Publio Aelio Peto consulibus, auditi Romæ Macedonum legati, qui auxiliũ Carthaginensibus,

& iniurias sociis populi Romani intulerant, quibus cum tali acrimonia responsum, vt bella statim pòst sequentia annotarunt. Auditi & Carthaginensium legati, quibus est responsum vt Scipio pacem componeret, vt è re sibi videretur. Missi quoque Fœciales, qui fœdus percuterent. Pacis conditiones fuerunt, vt liberi legibus suis viuerent, quas vrbes quósve agros, quósve limites ante bellum tenuissent, tenerent: populandique finis ex eo die fieret, perfugas fugitiúsque omnes, captiuos, & naues rostratas, præter decem triremes Pœni traderent Romanis, elephantósque omnes quos haberent domitos, neque domarent alios, bellum néve in Africa néve extra Africam iniussu populi Romani gererent, Masiniſſæ res redderent, fœdúsque cum eo percuterent: frumentum, stipendiúmque auxiliis donec ab Roma legati rediſſent, decem millia talentûm argẽti descripta pensionibus æquis in annos singulos soluerent, obsides centum arbitratu Scipionis darent. His conditionibus composita pace Publius Cornelius Scipio triumphans in vrbem rediit, & primus nomine à se victæ gentis est insignitus, Africanúsque appellatus, vt Plutarchus in Scipione, Appianus in Libyco latiùs describunt. Orosius libro quarto, capite decimo octauo hanc historiam latè signat. sic Eutropius libro tertio, capite quinto. sed ibi scribitur decimo nono anno perfectum secundum bellum Punicum, cùm tamen re vera decimo octauo anno perfectum fuerit, & finitum. & bellum hoc quod cœperat Publio Cornelio Scipione, & Tito Sempronio consulibus, finitum est Publio Cornelio Lentulo, & Publio Aelio Peto consulibus, quod Liuius decimo & septimo anno finitum scribit. quod ideò facit vt numerus quadraginta annorum compleatur, quo pax pri-

ma cum Carthaginensibus facta est, Quinto Luctatio, Aulo Manlio cõsulibus. Quo tẽpore primum bellũ Punicum finitum est. Post tres & viginti annos bellum Punicum secundũ cœptũ est. Appianus in Libyco scribit hoc bellũ finitum Olympiade quarta & quadragesima supra centesimã, qui fuit annus quingentesimus quinquagesimus tertius. Raucis mẽsibus post pacem Carthaginensibus datam, cùm Atheniẽsium (qui obsidebantur à Philippo Macedonũ rege) legati auxilium à Senatu petissent, & Senatus id censuisset ferendum, plebe quòd tot bellorum continuus labor grauis erat, dissentiente tenuit authoritas patrum, vt sociæ ciuitati ferri opem populus quoque iuberet. Bellum id Publio Sulpitio consuli mandatum est, qui exercitu in Macedoniam ducto, equestribus præliis cum Philippo prosperè pugnauit, anno ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo quarto. Opem Sulpitio consuli ferebant Attalus rex, Rhodiique simul in hanc causam iuncti. Anno ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo sexto, consules creantur Sextus Aelius Petus, & Titus Quintius Flaminius, illius Flaminij filius, qui ad Trasimenum periit, vt author est Plutarchus in Hannibale. Consules sortiti prouincias. Italiam Aelius, Flaminius Macedoniã sortitus est, in quam cùm Flaminius maturè venisset, in colloquium cum Philippo rege descendit, propositísque postulatis adeo indignatione regem incendit, vt ægrè missilibus mittendis temperaret, cúmque re sic infecta discessissent, Flaminius consul aduersus Philippum feliciter pugnauit in faucibus Epiri, fugatúmque coëgit in regnum vnde digressus erat reuerti. Ipse Thessaliam, quæ est vicina Macedoniæ, sociis Aetolis, & Acarnanibus, vexauit. Lucius Quintius Flaminius, Consulis frater, nauali prælio, Attalo rege, & Rhodiis adiuuantibus, Eubœam & maritimam oram cepit. Achæi in amicitiam recepti sunt. quartus iam annus incipiebat à decreto Macedonico bello. Sulpitius consul quærendo regem, & exercitum eius maiorem anni partem absumpserat, Velleium postea cõsulem congredientem cum hoste re infecta Senatus reuocauerat. Quintium rebus diuinis Romæ maiorem anni partem retentum, ita tamen res gessisse, vt si aut maturiùs in prouinciam venisset, aut hyems magis sera fuisset, regem debellare potuisset, tunc propè in hyberna profectum ita dispositum bellum, vt nisi successor impediat, profecturus æstate proxima videatur. His rationibus victus Senatus, Tito Quintio prorogatũ est imperium, donec successor ei venisset. sex Prætores illo anno primùm creati, crescentibus iam prouinciis, & latiùs patescente imperio. Interea Philippus rex Macedoniæ, & Antiochus Syriæ rex fœdere iunguntur. Attalus rex æger Thebis Pergamum aduectus moritur. Exitu eius anni, literæ à Quintio ad Senatum venerunt, se signis collatis cum rege Philippo in Thessalia pugnasse, hostium exercitum fusum fugatúmque. Hæ literæ priùs in Senatu à Sergio Prætore, deinde ex patrum authoritate in concione sunt recitatæ. ob res præclarè gestas in dies quinque supplicationes sunt decretæ. pax petenti Philippo à Romanis in has leges data est, vt omnes Græcorum ciuitates, quæ in Europa, quæq; in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent, quæ earum sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex his Philippus deduceret. his quæ in Asia essent, Euromo, Pisidísque, & Bargyllis, & Iasso, & Myrina, & Abydo, & Thaso, & Perintho, eas quoque placere populo Romano liberas esse, captiuos & transfugas populo Romano Philippus redderet, & naues omnes tectas tra-

deret. Quin & regiam vnam inhabilis propè magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ne plus quingentis armatorum haberet, néve elephantum vllum, bellum extra Macedoniæ fines ne iniussu Senatus ageret, mille talentûm daret populo Romano, dimidiũ presens, dimidium pensionibus decem annorum, néve cum Eumene Attali filio bellum gereret. Vbi leges illæ pacis per præconem cum tubicine Græcis sunt enuntiatæ, maius gaudium fuit populo, quàm quod vniuersum homines caperent. Mirabantur esse in terris gentem, quæ sua impensa, suo labore, ac periculo bella gereret pro libertate aliorum, nec hoc finitimis tantùm, aut propinquæ vicinitatis hominibus & terris continentibus præstet, maria traiiciat, ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, & vbique ius, fas, & lex potentissima sint, vna voce præconis liberatas omnes Græciæ Asiæque vrbes. Anno septimo post finitum secundum Punicum bellum, vt Asconius Pædianus annotauit. Interea dum hæc in Græcia geruntur, Lucius Furius & Claudius Marcellus consules, anno ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo octauo, Boios & Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphauit. Hannibal frustrà in Africa bellum molitus, & ob hoc Romanis per epistolas aduersæ factionis principum delatus, propter Romanorum metum, qui legatos ad Senatũ Carthaginẽsem miserãt, profugus ad Antiochum regem Syriæ bellum contra Romanos parantem, se contulit. Titus Quintius Flaminius bello aduersus Lacedæmonios, & eorum tyrannum Nabidem prosperè pugnauit, data his pace qualem ipse voluit, liberatísque Argis, qui à Nabide tyranno opprimebantur, eos pristinæ libertati restituit T. Quintius Flaminius, qui Philippum Macedonũ regem, & Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum

vicerat, Græciámque omnem tyrannide, qua premebatur, liberauerat. Tantarum rerum multitudine insignis triduo triumphauit. Anno quingentesimo sexagesimo ab vrbe condita, Publius Cornelius Scipio Africanus & T. Sempronius Longus consules creantur. horum patres primo anno secundi belli Punici consules fuerant. his consulibus, vt & Plutarchus in Scipione scribit, primùm in spectandis ludis Patres à populo secreti sunt, quam selectionem plebs Romana molestissimè tulit, quòd consules honorem Senatorij ordinis extulisse, suum verò contempsisse viderentur: cùm antea in promiscuo spectarent. Liuius libro quarto quartæ decadis ait, Sextum Aelium Petum, & Lucium Cornelium Cethegum Censores interuenisse vt id fieret. Marcus Portius Cato, anno ab vrbe condita quingentesimo quinquagesimo nono, Consul in Hispania regulos populi Romani hostes bello fudit, & supra quadraginta millia Hispanorum cæsa fuere, & de hac victoria anno ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo triumphauit. Anno verò quingentesimo sexagesimo secundo consules creantur Lucius Quintius Flaminius, & M. Domitius Aenobarbus. Eo anno Aetoli contra Romanos Nabim, Philippúmque, & Antiochum reges per legatos solicitabant ad bella capessẽda, contemptis opibus & Romani populi viribus. Hannibal, qui se Antiocho iunxerat, classicum quàm maximè poterat, canebat. Eo tempore legati Romani Publius Sulpitius, & Publius Velleius (Liuius ex authoritate Græcarũ historiarum Publium Cornelium Africanum in ea fuisse legatione tradit) ad Antiochum mittuntur, iussi prius Eumenẽ adire (is Attali regis filius erat.) hi Pergamũ (ibi regia Eumenis fuit) ascendunt. Erat Eumenes perquàm cupidus belli aduersus

Antiochum, ob id quantum authoritate, & quantum consilio valebat, incitabat Romanos ab bellum Sulpitius. Aeger Pergami substitit, cæteri legati cùm Pisidiæ bello occupatum Antiochum audissent, Ephesum profecti sunt. Dum paucos ibi morantur dies, dederunt operam, vt cum Hannibale, qui tum ibi fortè erat, sæpe congrederentur, vt animum eius tentarent, & si qua possent via, metum demerent periculi ei quicquam à Romanis esse. & cùm vicissitudine sermonum vsi essent, quærenti Africano, quem fuisse maximum imperatorem Hannibal crederet, respondit, Alexandrum Macedonum regem, quòd parua manu innumerabiles exercitus fudisset, quódque vltimas oras, quas visere supra spem humanam esset, peragrasset. Quærenti deinde quem secundum poneret, Pyrrhum dixisse, castra metari primum docuisse, ad hoc neminem elegantiùs loca cepisse, præsidia disposuisse, artem quoque conciliandi sibi homines habuisse. Quærenti quem tertium diceret, haud dubiè se ipsum dixisse: tum risus obortus Scipioni, & subiecit, Quid nam, inquit, diceres, si me vicisses? Tum verò, inquit, & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios imperatores me constituerem. Legati Romanorum re apud Antiochum infecta, Romam redierunt. Extant apud Liuium libro quinto quartæ decadis orationes Minionis Antiochi ministri, & Sulpitij legati Romanorum, ex quibus sat constat, quæ causa fuerit huius belli suscipiendi. Anno ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo tertio, Publius Cornelius Scipio Nasica, & Marcus Attilius Glabrio consules creantur. Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, suscitatus ab Aetolis, qui & Antiochum & Philippum solicitabant ad bellum, à populo Romano desciuit, & bello aduersus

Philopœmenem Achæorum prætorem gesto ab Aetolis interficitur. Aetoli cùm ab amicitia populi Romani desciuissent, fœdere cum Antiocho rege inito, bello Græcas vrbes molestarunt, Chalcidémque, & totam Eubœam occuparunt. Quod vbi Senatus intellexit, Marco Attilio Glabrioni cõsuli bellum aduersus Antiochum mandatur, adeóque in apparatum curámque eius belli ciuitas intenta fuit, vt Publius Cornelius Scipio Nasica consul edixerit, qui Senatores essent, quibus fuerit in Senatu sententiam dicere liceret, quíue minores magistratus essent, ne quis eorum longiùs ab vrbe exiret, quàm vnde eo die redire posset, néve vno tempore quinque Senatores ab vrbe abessent. Sub idem tempus legati ab duobus regibus Philippo & Ptolomæo Aegypti rege, Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia. Nihil est acceptum, gratiæ regibus actæ, cùm vterque se cum omnibus copiis in Aetoliam venturum, bellóq; interfuturũ polliceretur. Ptolomæo id remissum Philippi legatis responsum, gratum eum Senatui, populóque Romano facturum, si Marco Attilio consuli non defuisset. Item & à Carthaginensibus, & Masinissa rege legati venerunt, similia quæ cæteri reges obtulerant, oblaturi. Interea Antiochus Græciæ vrbes nefando bello infestat, Lariseam oppugnat, sed Marcus Attilius consul, quàm maximis potest itineribus obuiam Antiocho progreditur. Cùm ad Thermopylas ventum esset, occurrit Antiocho, signísque collatis congrediuntur. Exercitus Antiochi sexaginta millibus hominum constabat. Vbi ad pugnam ventum est, cecidêre ex eo exercitu quadraginta hominum millia, & quinque millia à Romanis capta. Marcus Portius Cato ab iugo Callidromi, deiectis inde Aetolis, & magna ex parte cæsis (incautos enim, & plerosque sopitos oppresserat) victo-

riam bona ex parte adiuuerat. Antiochus non antequàm Elatiam peruenisset, ab effuso constitit cursu. vbi primùm reliquiis pugnæ fugæq; collectis, Chalcidem se recepit, Romanus equitatus ipsum quidem regem Elatiæ assecutus non est, sed magnam agminis partem aut lassitudine subsistentis, aut errore (vt qui sine ducibus per ignota itinera fugerent) dissipatos oppressit. Consul multò modestia post victoriam quàm ipsa victoria laudabilior, Marcum Catonem, per quem quæ gesta essent, Senatus, populúsque Romanus haud dubio authore sciret, Romam misit. Per eosdem dies Attilius consul ab Thermopylis Heracleam ad Aetolos præmisit, vt tunc saltem experti regiam vanitatem, resipiscerent, traditáque Heraclea cogitarent de petenda à Senatu seu furoris sui, seu erroris venia. Aetoli contrà se armis tuebãtur. non tulere tamen postea primum Romanorum impetum. Itaque abiectis armis dediderunt sese. Traditus inter cæteros Aetolorum princeps Damocritus. Cæterùm Heraclea capta fregit tandem Aetolorum animos, & ad paucos pòst dies, quàm ad bellum renouandum, acciendúmq; regem in Asiam miserant legatos, abiectis belli consiliis, pacis petendæ oratores ad Consulem miserant. Eodem tempere Publius Cornelius Scipio Nasica consul Boios & Gallos victos in deditionem accepit, & de his triumphauit. Anno ab vrbe condita quingentesimo sexagesimo quarto, Romæ consules creantur Lucius Cornelius Scipio, & Caius Lælius. Lucius Scipio consul legato Publio Cornelio Africano, qui se fratris consulis legatum futurum dixerat, si ei Græcia, & Asiæ prouincia decernerẽtur, cùm C. Lælio cõsuli, qui plurimùm in Senatu poterat, ea prouincia dari videretur, belli aduersus Antiochum curam suscepit, hoc addito, vt cùm in Græciam nauigasset, si ei

Republica esse videretur, exercitum in Asiam traiiceret. Profectus igitur ad bellum aduersus Antiochum gerendum in Asiam primus omnium Romanorum ducum traiecit. Aemilius Regillus aduersus regiam Antiochi classem feliciter ad Myonesum pugnauit, iuuantibus Rhodiis. Filius Scipionis Africani ab Antiocho captus patri sine pretio remissus est. Lucius Scipio Consul circa Thyatiram Antiochum regem esse ratus, continuis itineribus ad Hyrcanum campum descendit. Inde cùm profectum audisset, secutus vestigia circa Phrygium amnem quatuor millia ab hoste castra posuit, eò mille fermè equites (maxima pars Gallogræci erant, & Dacæ quidam) tumultuosè amne traiecto in stationes impetum fecerunt. Paulò pòst ad Magnesiam signis collatis acies miscentur. sorte ita incidit, vt quo die ad Magnesiam pugnatum est, Scipio Africanus æger Eleæ à pugna abfuerit. ex Antiochi exercitu quinquaginta millia peditum cæduntur, equitum quatuor millia, mille & quingenti capiuntur, & quindecim cum rectoribus elephanti. Romanorum aliquot vulnerati sunt, ceciderunt non plus trecenti pedites, quatuor & viginti equites, & de Eumenis exercitu quinque & viginti. Antiochus cum paucis fugiens, in ipso itinere pluribus se congregantibus, modica armatorum manu media fermè nocte Sardeis concessit. Paulò pòst pax Antiocho his conditionibus data. Amicitia regi Antiocho cũ populo Romano his legibus & conditionibus esto, nequem exercitum, qui cum populo Romano societáve bellum gesturus erit, rex per fines sui regni, eorúmve, qui sub ditione eius erũt, transire sinito, ne commeatu aliáve ope iuuato: idem Romani, sociique Antiocho, & iis, qui sub imperio eius erunt, præstẽto. Antiocho in Europam transeundi ius ne esto, vrbibus, agris,

vicis, castellis cis Taurum montem, vsque ad Tanaim amnem, & à valle Tauri vsque ad iuga, qua in Lycaoniam vergit, excedito, neque arma efferto, naues longas tradito, armamẽtáque earum, néve plures quàm decem naues actuarias habeto. Aliæ leges à Liuio libro octauo quartæ decadis recensentur. Lucius Cornelius Scipio anno ferè post quàm consulatu abiit, triumphauit, & cognomine fratri æquatur, Asiaticus appellatus est. Plinius libro naturalis historiæ, trigesimo tertio, capite vndecimo, scribit Lucium Scipionem ad triumphum attulisse argenti cælati pondo millia quadringenta quinquaginta, & vasorum aureorum pondo centum millia. Anno postea quingentesimo sexagesimo septimo ab vrbe cõdita, consulibus Marco Aemilio Lepido, & Caio Quintio Flaminio, Lucius Cornelius Scipio Asiaticus, peculatus accusatus, damnatus est. & cùm in vincula & carcerem deduceretur, Tiberius Sempronius Gracchus, Tribunus plebis intercessit, & cùm populus quæstores in bona eius possidenda misisset, non modò in his nullum pecuniæ regiæ Antiochi vestigium apparuit, sed nequaquam tantùm in bonis habens, quantæ summæ erat damnatus. Collatã à cognatis & amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit, quæ necessaria ei erat ad cultum, retinuit. sub his consulibus Marci Portij Catonis opera Publio Cornelio Scipioni Africano peculatus dies dicta est, quòd prædam Antiocho ereptam in ærarium non retulisset: posteaquàm dies cessit, euocatus, hac die, inquit, Quirites, Carthaginem vici, & prosequente populo Capitolium ascendit, inde ne amplius tribunitiis iniuriis vexaretur, in voluntarium exilium Lucernum concessit. Anno postea quingẽtesimo sexagesimo nono ab vrbe cõdita moritur, consulibus Appio Claudio Pulchro, & Marco Sempronio

Tuditano, vt Glareanus tradidit. Cato apud Ciceronẽ libro de Senectute ait, anno ante me Censorem mortuus est Scipio Africanus. At Cato censor fuit, anno ab vrbe condita quingentesimo septuagesimo, Publio Claudio Pulchro, & Lucio Portio Licinio consulibus. quæ omnia cum Liuio libro nono quartæ decadis satis conueniunt. Ad hæc tempora refertur Hannibalis mors. Cùm ad Prusiam regem Titus Quintius Flaminius venisset, Hannibal aduentum Flaminij tanquam sibi fatalem horrebat, inexpiabile odium Romanorum in se conspiciens, & fidei regum nihil sanè confisus, Prusiæ verò leuitatem etiam expertus, milites regios in vestibulo domus suæ cernens, Liberemus, inquit, diutina cura populum Romanum, quando mortem senis expectare longum censet, nec magnam, nec memorabilem ex inermi, proditóque Flaminius victoriam feret. Execratus deinde in caput, regnúmque Prusiæ, & hospitales Deos violatæ ab eo fidei testes inuocans, venenum, quod multò antè præparatum ad tales habebat casus, hausit. Hic vitæ exitus fuit Hannibalis. Horum Scipionis & Hannibalis clarissimorum cuiusque virorum gentis, non magis tempore congruente comparabilis mors videtur. nam quòd nemo illorum satis dignum splendore vitæ exitum habuit, iam primùm vterque non in patrio solo mortuus nec sepultus est. Veneno absumptus est Hannibal, exul Hannibal proditus est ab hospite: Scipio & si non exul, nec damnatus, die tamen dicta, ad quam non adfuerat, reus absens citatus, voluntarium non sibimet ipsi, sed etiam funeri suo exilium indixit inuidia Marci Portij Catonis. Valerius Maximus libro quinto, capite de ingratis, graues in Catonem adfert querelas. Liuius libro nono quartæ decadis, Portium Catonem omnibus virtutibus tam-

in re militari, quàm forensi & politica cumulatissimum testatur. Cassiodorus eum perditissimum & nulla prudentiæ veneratione dignum censet, qui ob rem publicam & tam præclaras Scipionum feliciter gestas res priuatum odium supprimere nõ potuerit. Anno posteà quingẽtesimo septuagesimo quinto ab vrbe condita, Lucio Manlio & Quinto Fuluio Flacco consulibus, rogatio primùm lata à Lucio Iulio Tribuno plebis, quot annos nati esse deberent, qui magistratus ambirent, vt Liuius libro decimo quartæ decadis tradidit. Diuersa tamen ratio habita erat in militibus creandis: nam minores septem & viginti annorum nec milites creabantur, nec ex ærario stipendium consequebantur: quod tamen anno quingentesimo quadragesimo secundo, Quinto Fuluio Flacco & Appio Claudio consulibus mutatum est, creatíque sunt bini Triumuiri, vt omnem ingeniorum copiam inspicerent, & si qui roboris satis ad arma ferenda habere viderentur, etiam si nondum militari ætate essent, milites fierent, híque perinde stipendia consequebantur, ac si septem & viginti annorum milites facti fuissent, quod Liuius libro quinto decadis tertiæ latiùs edocuit. Postea legibus, quæ Annales dicebantur, præscripta est magistratuum ætas, quæ cuilibet magistratui administrando adnectebatur. hinc Cicero in quinta Philippica inquit, Cùm grandiorem ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. Itaque maiores nostri veteres illi admodum antiquas leges Annales non habebant, quas multis pòst annis attulit ambitio. Leges illæ Annales alio vocabulo comitiales dicebantur, vt ostendit Pacatus, sic scribens in hanc sententiam: In prætoris, & ædilitatibus capessendis ætas spectata est petitorum, nec quisquam quantum valuit nobilitate

litate, vel gratia, vel pecunia, qui annos comitiali lege præscriptos, festinatis honoribus occuparit. Plutarchus annotauit triginta annos natum consulem creari solitum. Senatus, authore Appiano, indulsit Cæsari Augusto, vt consulatum petere posset per decennium, antequàm per legem liceret, quod magis vi, quàm libero Senatus decreto factum Tranquillus annotauit. Cornelius Tacitus libro primo author est, L. Claudio, & Seruio Cornelio consulibus, Claudium Cæsarẽ adulationibus Senatus permisisse, vt Nero vicesimo ætatis anno consulatum iniret. Ad rem redeo. Ab his consulibus, Flacco & Claudio, vsque ad quingentesimum octuagesimum octauum annum, bellum Macedonicum contra Perseum reuiuiscens extinguitur, vt suprà in Macedonum historia latiùs exposuimus, quo anno consules fuerunt Caius Sulpitius Gallus, & Marcellus. quo tempore clarus habebatur Terentius poëta Comicus, eóque consulatu edita est Terentij Andria, vt Glareanus in chronologia ad Liuium scripsit. Eusebius in historiis Publium Terentium Carthaginensem comœdiarum scriptorem ob ingenium & formam libertate donatum, in Arcadia mortuum Olympiade centesima quinquagesima quinta, postquàm Andriam Aedilibus vendiderat, author est. Alij Olympiade centesima trigesima tertia malunt. Anno posteà quingẽtesimo nonagesimo secundo, Olympiade cẽtesima quinquagesima quarta, vt plerique tradunt, vel anno quingentesimo nonagesimo tertio, vt cæteris placet. Cõsulibus Marco Valerio Messala, & Quinto Fannio Strabone, noua res in iudicium traducitur. Suetonius in præfatione libelli de claris oratoribus, ait Marcum Pomponium Prætorem, Senatum consuluisse de vrbe prouinciáque exturbandis philosophis, & rhetoribus. De ea re cen-

fuerunt patres, vt Marcus Pomponius prætor animaduerteret, curarétque vt si è republica, fidéq; sua videretur, vt Romę ne essent, hi Italia extorres fierent. Quod Senatus consultum aliquo temporis interstitio dilatum est vsque ad tempora Cn. Domitij, & Lucij Licinij Crassi. Hi Censores ita edixerũt, Renuntiatum est nobis esse homines, qui nouum genus disciplinæ instituerunt, eos sibi nomen imposuisse, vt rhetores dicãtur, ibi homines adolescentulos totos dies desidere, & maiores nostri, qui liberos discere, & in quos ludos intrare vellẽt, instituerũt: hæc noua, quę præter consuetudinẽ ac morem maiorum fuerũt, neq; placẽt, neq; recta vidẽtur. Quapropter & iis, qui eos ludos habẽt, & iis, qui eò venire cõsueuerũt, faciẽdum videtur, vt ostendamus Censoriam sententiã rhetoribus non placere. Cornelius Tacitus in dialogo oratorum reprehendens peruersum docẽdi ordinem, inquit: At nunc adolescẽtuli nostri deducuntur in scenam scholasticorum, qui rhetores vocantur, quos paulò ante Ciceronis tempora extitisse compertum est, nec placuisse maioribus nostris, vt ex eo facilè iudicatur, quòd Marco Crasso & Cn. Domitio Censoribus claudere ludum impudentiæ iussi sunt. Dum hæc Romæ geruntur, tertij belli Punici initium altero & sexcẽtesimo anno ab vrbe condita intra quintum annum, quàm erat cœptum, consummatum omnino est. Inter M. Portium Catonem, & Scipionem Nasicam, quorum Cato sapientissimus in ciuitate habebatur, alter Nasica vir optimus à Senatu iudicatus erat, diuersis certatum est sententiis, Catone suadente bellum, & vt radicitùs deleretur Carthago, Nasica dissuadente. fœdera inter Romanos & Carthaginenses inita, vt Appianus bello Libyco tradidit, quinquaginta annis publico omnium bono illibata manserant, quo potissimum tempore Carthago fle-

ruit. Placuit Senatui populóque Romano, eò quòd Carthaginẽses contra fœdus naues haberẽt, & extra fines Carthaginis imperij exercitum duxissent, quódque socio populi Romani, & amico Masiniſſæ arma intulissent, & quòd filium eius Gulussam, qui cum Romanorum legatis venerat, in oppidum minimè recepissent, bellum iis indici. At priusquàm vllæ copię in naues imponerẽtur, Vticenses legati Romam venerunt, se suáque omnia dedentes: ea legatio grata Romanis, Carthaginensibus acerba fuit. Legati triginta Romam venerunt, per quos Carthaginenses se dedebant. Vicit Catonis sententia, vt decreto perstaretur, vt & consules quàm primùm ad bellum parandum & gerendum proficiscerentur. Quo verò tempore tertium hoc bellum Punicum cœptum sit, & quibus consulibus non satis inter authores conuenit. Solinus anno sexcentesimo quarto initium huius belli fuisse tradidit. Orosius & Eutropius sexcentesimo altero anno ab vrbe condita cœptum malunt. Appianus Lucio Licinio Lucullo, & Aulo Posthumo Albino consulibus huius belli semina iacta censet. Abbreuiator Liuij altero & sexcentesimo anno ab vrbe condita bellum hoc cœptum vult, terminatúmque intra quintum annum fuisse. Obsidionem autem & oppugnationem Carthaginis à Lucio Martio & Marco Manlio consulibus factam constat, quo anno Marcus Portius Cato perpetuus diruendæ Carthaginis author, mortem obiit: dirauítque id tertium Punicum bellum vsque ad Publium Scipionem Africanũ Aemilianum. Hic Aemilianus cùm ædilitatem peteret, Consul à populo dictus est, vt Appianus latiùs prosequitur, & à deuicta postea Carthagine Africanus more sui aui dictus est; de quo Cato, vt Plutarchus ait, illud Homericũ dicere cõsueuerat, Iste sapit solus, reliqui velut vmbra

vagantur. Publius Scipio Africanus filium Scipionem reliquit, qui hunc Aemilianũ adoptauit, ex antiquissima & nobilissima Aemiliorũ stirpe, vt ex Cicerone & Plutarcho liquet. hic Publius Scipio Aemilius, vir auitis Publij Africani, & paternis Lucij Pauli Aemiliani virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus eminẽtissimus sui sæculi, delere Carthaginẽ suprema sorte moliẽs, cùm sex cõtinuis diebus ac noctibus ad Carthaginem pugnatur, vltima Carthaginẽses desperatio ad deditionẽ traxit, orãtes vt quos belli clades reliquos feciſſet, miserrima seruitutis conditio ab incendio liberaret. Ipsa Carthago decem & septẽ continuis diebus arsit: miserrimum spectaculũ de varietate cõditionis humanæ victoribus suis præbens, omni murali lapide in puluerem communito, anno septuagesimo quarto, quo condita erat, vt Blõdus Flauius libro primæ decadis primo ab inclinatione Romanorum annotauit, anno postquàm cœptum fuit tertium bellum Punicum exterminatur, & Carthago Africæ domina in cinerem conuertitur. Hunc finem habuit Carthago Romani imperij æmula, neque se Roma iam terrarum orbe superato fore securã sperauit, si nomen stantis maneret Carthaginis. Anno, vt vult Orosius, sexcentesimo sexto, alij frequentiùs sexcẽtesimo septimo malũt, Consulibus Cn. Cornelio Lentulo Nummeio, quo anno Corinthus duce L. Mummio euersa est, qui de ea triumphauit, & Corinthia vasa cum multis spoliis in vrbem intulit, quod bellũ vulgo Achaicum dictum est. Sic Corinthus post annos noningentos quinquaginta duos, quàm à Belete Hipponis filio cõdita fuerat, funditùs ruit. Plinius lib. trigesimo quarto, capite secũdo, exciſam Corinthũ mauult anno tertio cẽtesimæ quinquagesimę sextæ Olympiadis. Hanc historiæ enarrationẽ Orosius libro

quarto, cap. tertio & quinto, & Florus libro secundo latiùs prosequuntur. Anno postea sexcentesimo quadragesimo septimo, Quinto Seruilio Cepione & Caio Attilio consulibus, lata est lex Seruilia, qua equitibus & senatoribus iudicia communicata sunt, vt Asconius Pædianus in oratione pro Marco Scauro annotauit. Eodem item anno natus dicitur Arpini Marcus Tullius Cicero, vt Eutropius & Eusebius annotarunt, Olympiade centesima sexagesima octaua, matre Heluia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorũ genere, quod Plutarchus & Eutropius initio quinti libri latius tradiderunt. Anno sexcẽtesimo quinquagesimo septimo, Olympiade centesima septuagesima prima, Cn. Domitio Aenobarbo, & C. Cassio Longino cõsulibus, Ptolomæus Aegypti rex Cyrenis moritur, Senatúmque & populum Romanum hæredes scripsit, vt Eusebius in historiis annotauit, & postea Augustus Cæsar hanc Aegypti regionẽ in prouinciæ formam redegit, quam vt annonæ vrbis copiosam faceret, fossas incuria vetustatis limo clausas, labore militum patefecit, tantáque, Aurelio Victore authore, huius Augusti tempore ex Aegypto frumenti copia in vrbem deferebatur, vt altrix Italiæ ea prouincia existimaretur. Anno postea sexcentesimo sexagesimo sexto, Lucio Cornelio Sylla, & Quinto Pomponio Ruffo consulibus, Mithridates Ponticus rex, vir bello acerrimus, & virtute eximius: aliquando fortuna, animo semper maximus, cõsiliis dux, manu miles, Asiã occupauit, proconsulem Romanũ & legatũ Aquiliũ in vincula cõiecit, & quicquid ciuium Romanorum in Asia reperit, trucidauit. à Cornelio Sylla summa virtute oppugnatur. Captis à Sylla Athenis, ei anno ab vrbe condita sexcentesimo sexagesimo septimo successor mittitur Lucius Valerius Flaccus, qui propter aua-

ritiam inuisus exercitui suo, à C. Fimbria ipsius legato occiditur, & imperio in Fimbriam translato sæpius copias Mithridatis fudit & fugauit, & bonam Asiæ partem recuperauit, vt abbreuiator Liuij libro octuagesimo secundo & tertio annotauit. Anno postea sexcentesimo octuagesimo quarto, anno centesimæ septuagesimæ sextæ Olympiadis quarto, Lucullus ad Cyzicum vrbem Mithridatis exercitum fame ferróque deleuit, pulsúmque Bithynia regem variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coëgit in Pontum profugere, ita vt vltimam illi bello manum pene magis noluerit imponere, quàm non potuerit. Procedente de hinc tempore, anno ab vrbe condita sexcentesimo octuagesimo sexto, Manilius Tribunus plebis rogationem tulit, vt quotquot loca in prouincia Lucullus obtinebat, ea omnia Pompeio obuenirent, & dux belli gerendi Pompeius declararetur. Pro hac lege Manilia dixit Cicero, tum prætor, elegantissimam illam orationem pro lege Manilia: accepta hac prouincia à Pompeio. Magnis certatum est inter Pompeium & Lucullum iurgiis, cùm Pompeius Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem imperij obiiceret, neutérque ab eo quod arguebatur mentitus argui posset: nam neque Pompeius vt primùm Rempublicam aggressus est, quemquam animo parē tulit, & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat, neq; eo viro quisquam aut alio omnia minus, aut gloriā magis cōcupiuit. In appetendis honoribus immodicus, in gerēdis verecūdissimus: vt qui eos vt libētissimè iniret, ita finiret æquo animo, & quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret. at Lucullus summus alioqui vir, profuse fuit in ædificiis, conuictibús q,, & apparatibus luxuriæ, quem ob iectas mari moles, & receptū suffossis montibus mare, haud in-

facctè Pompeius Xerxem togatum vocare consueuerat. Ad rem redeamus. Anno ab vrbe condita sexcentesimo octuagesimo nono, Olympiade centesima septuagesima nona, Pompeius ad gerendum bellum aduersus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiā renouauit, & equestri prælio Mithridatem vicit, atque nocturno prælio victū coëgit vltra Bosphorum profugere, vt Plutarchus in Pompeio, & Lucullo pdidit. At rex fusus fugatús q;, & omnibus copiis exutus ad Tigranem socerum Armeniæ regē confugit, regem eius temporis (nisi quia Luculli armis fractus erat) potentissimum. Simul itaque duos prosecutus Pompeius, Armeniam intrauit, vbi primùm filius, mox postea Tigranes pater, Pompeio occurrunt, regnúmque ditioni Romanæ submittunt. quod Florus libro centesimo cum duobus sequentibus prosecutus est. Sic bellum Mithridaticum ad triginta & sex annos productum, terminatur. Orosius tamen in primo capite sexti libri scribit, Mithridaticum bellum ad quadraginta annos productum. Ex historiis accepimus Mithridaticum bellum cœptum Lucio Cornelio Sylla, & Domitio Pomponio Ruffo Consulibus, & finitum à Pompeio, Marco Tullio Cicerone, & Antonio Consulibus. Plutarchus in Pompeio, ærarium Romanum arte & industria Pompei auctum ait, ita vt summa pecuniæ in ærarium relatæ cum reditu annuo efficeret centies & vicies centena millia aureorum, quod nos duodecies millies mille aureos lingua nostra dicimus, vel vernacula, huict millions cinq cens mille escus. Hanc tamen redditus Reipublicæ Romanæ æstimationem à Plutarcho sic factam, Guillelmus Budæus ad vectigalia referri debere censet. Cæterùm tributa & obuentiones, quæ nulla certa æstimatione singulis annis comprehendi

possunt, ab hac redditus æstimatione excluduntur, vt ex Plutarchi historia Græcè conscripta satis constat. Quicquid enim habuêre vel auri, vel argenti, obuenit illis intra centum & viginti annos, idque ex totius orbis spoliis adlatis in vrbem ex Scipionum, Pauli Aemilij, Marij, Scyllæ, Luculli, maximéque ex Pompeij, atque Iulij Cæsaris triumphis & victoriis. Etenim Pompeius vsque eò promouit Romanum imperium, tantúmque illi adiunxit regionum, & prouinciarum, vt ex ærarij postea, vel vectigalium Romanorum prouentu cœperit quotannis confici ad ter millies & quadringenties sestertiûm, qui numerus conficit aureûm numûm ad octogies quinquies centena millia. Porro is redditus sic auctus per Pompeium superabat veterem dupla, térque quinta parte. Nos vernaculè eas pecuniarum summas interpretamur, Pompee fit monter le reuenu de l'Empire à huict millions cinq cens mille escus, qui estoit le double, & trois cinquiesmes plus qu'auparauãt. *Cæsar verò intulit in ærarium sestertiûm decies sexies millies, quod nos aureorum quadragies decies centena millia dicimus, vernaculè,* quarante millions d'escus, *præter ea quidem quæ largitionibus ille prodigè effudit: nam Paulo cõsuli, vt taceret, aureorum numûm largitus est ad nongenties millies, quæ pecuniarum summa vernacula nostra lingua,* neuf cens mille escus, *efficit. & in Curionem Tribunum pleb. vt eum suas in partes traduceret, erogauit ter quingentos mille aureos, qui vernacula nostra lingua efficiunt,* quinze cens mille escus. *At plus etiam egit. Antonius Triumuir, qui in exercitum suum ob benefacta & merita (siquidẽ de eo verè scripserunt Plutarchus, & Appianus) cõtulit semel talentûm bis centũ millia, quæ summa facit centies*

centies vicies aureorũ centena millia, vernacula verò lingua, deux cens mille talens, qui reuiennent a six vingts millions descus, *quod satis credi potest, cùm Adrianus Cæsar, vir alioquin frugi bonæ, parcúsq; publici ærarij quadraginta legiones, quæ tunc sub signis erant, ad quater vsque millies sestertiûm, hoc est numûm quidem aureorum mille millia muneratus est, quæ lingua nostra efficiunt,* dix millions d'or. *Ad rem redeo. Dum in Asia hoc diutinum bellum Mithridaticum fine concluditur, Romani imperij status ciuilibus bellis collabi deproperat. Iam morte Caij Marij, & Lucij Cornelij Syllæ bella ciuilia conquieuerant. Anno ab vrbe condita sexcentesimo octuagesimo octauo, Marco Lepido, & Lucio Volcatio Consulibus, noui belli ciuilis tractatus apparatur. Lucius Sergius Catilina prouincia Africana decedens petiturus Consulatum, à legatis Afris repetundarum accusatur, vnde factum vt à petitione Consulatus desisterit. Quomodo verò eruta fuerit coniuratio Catilinæ, prouidentia Marci Tullij Ciceronis quo pacto sopita atque extincta sit, peculiari opere Sallustius edocuit, quod Catilinariũ dicitur. Præterea quatuor inuectiuis à Cicerone conscriptis, & quadam artificiosa declamatione Portij Latronis latissimè lector exquirere poterit, quæ Appianus omnia in secundo libro ciuilium bellorum exactè prosequitur. Fuit in Senatu illo tẽpore Marcus Cato progenitus proauo Marco Portio Catone principe familiæ Portiæ, homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio, Diis quàm hominibus propior, qui nunquam rectè fecit, vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat: fortunam semper in potestate sua habuit, cuíq; id solum visum est rationem habere, quod haberet iustitiam: omnibus humanis vitiis*

immunis, vt Velleius Paterculus fusiùs scripsit. Illo quoque Marci Tullij Ciceronis consulatu floruit respublica Romana. Pompeius Syriam, Arabiam, & Phœnicem Romano adiecit imperio. Iudæam, & regiam huius ditionis ciuitatem Hierusalem longa obsidione, & postea vi oppugnauit, vt cẽtesimo primo libro Liuius scripsit. Hoc quoque consulatu, vt in Augusto Suetonius tradidit, natus est Octauius Cæsar, qui postea Augustus dictus est, nono calendas Octobris paulò ante solis ortum. Et cùm de coniuratione Catilinæ in Senatu ageretur, & Octauius ob vxoris puerperium, seriùs aduenisset, asserunt authores plerique Publium Nigidium comperta moræ causa, vt horam partus audiuit, affirmasse Dominum terrarum ortum, vt Velleius sua in historia prosequitur. Plutarchus in Cicerone scribit, Octauium Cæsarem à Cicerone amicitia quadam paterna obseruatum, propter somnium de Augusto à Cicerone factum. Anno postea proximo, qui fuit sexcentesimus nonagesimus primus, Metellus quoque Cretã Romano imperio adiecit. Anno sexcentesimo nonagesimo quarto ab vrbe condita, consules creantur Caius Iulius Cæsar, & Marcus Calfurnius Bibulus, Olympiade centesima octuagesima. cùm Iulius Cæsar vlteriorem Hispaniam tenuisset, & iam ad triumphum Romam festinasset, editis iam comitiis id vnum ageret, vt legibus solueretur, absentíque sibi liceret Consulatum petere. Cui cùm plerique reluctarentur, ne consulatu excluderetur, coactus est dimissa triumphi petitione consulatum prosequi, vt Tranquillus, Appianus, & Plutarchus tradiderunt, consulésque creati Iulius Cæsar, & Bibulus: Cæsar tamen solus ad arbitriũ hoc cõsulatu omnia in Republica administrauit. Cęterùm quæ in hoc consulatu Cæsar gesserit, Appianus in secundo ciuiliũ bello latè descripsit, & Orosius libro sexto, cap. 6. Tum decretæ in quinquenniũ Galliæ, quibus expletis cùm in Gallia multa strenui imperatoris officia edidisset, & ad dignitatem suam tuendam & augendam bonam partem ciuium conuertisset, Lucam appulit. Tantus fuit ad eum amicorum concursus, consularium, & illustrium virorum, vt viginti fasces supra centesimam circa eius fores sederent. Crassus autem & Pompeius, vt omnem in se Romani imperij potentiam transferrent, decreuerunt, vt ambo consulatum peterent, Cæsari in quinquennium Gallia iterum demandaretur, vtrunque perfectum. Nam Crassus & Pompeius consulatum adepti sunt. Secundus is Pompeij consulatus fuit, & Cæsari Gallia in aliud lustrum demandata. Postquàm consules magistratum inierunt, sortiti sunt prouincias, Põpeio Iberia & Africa, Crasso Syria & Parthia cũ adiacentibus prouinciis obueniunt. His consulibus natus est Virgilius Maro, & quinque annis postea Lucio Aurelio Cotta, & Lucio Manlio consulibus natus est Horatius, vt author est Glareanus. Habetur ex historiis eius natalem fuisse duobus circiter annis ante coniurationem L. Sergij Catilinæ: quo tempore celebres erant in ciuitate ex poëtis Valerius Catullus, Licinius Caluus, & Heluius Cinna. Ex oratoribus, M. Cicero, Q. Hortensius, & Q. Catullus. Ex philosophis Terẽtius Varro, & Nigidius. Postea anno ab vrbe condita septingentesimo trigesimo quinto, cõsulibus Caio Sentio Saturnino, & Lucretio Cinna, mortuum Brundusij Virgilium asserunt Eusebius, & Glareanus. Cuspinianus tamen in vita Saturnini, & Lucretij consulum, mortem Virgilij ad annũ septingentesimum quinquagesimum sextum ab vrbe condita reponit. Horatius verò Romæ anno suæ ætatis quinquage-

simo septimo moritur, Olympiade centesima nonagesima secunda, vt Eusebius suis in historiis annotauit. Ad rem redeo. Crassus vir inter cætera sanctissimus, immunisque voluptatibus, sed qui neque in pecunia, neque in gloria concupiscẽdæ aut modum nosset; aut terminũ, in Asiam pedem promouere contendit. Hunc proficiscentem in Syriã Tribuni plebis retinere frustrà conati sunt. Trangressum Euphratem Crassum, petentémq; Seleuciam, circumfusum immanibus copiis equitum rex Orodes vnà cũ magna parte Romani exercitus interemit. Reliquias legionum L. Crassus quæstor vir strenuus conseruauit, fusúmque exercitum collegit, (vt Sextus Ruffus annotauit) Syriámque in populi Romani potestate retinuit, & transgressos in ea Parthos felici rerum euentu fudit, ac fugauit. Cæsar terminatis felicissimo successu rebus Gallicis, & Britannicis, insigniri consulari potestate absens ab vrbe vehementer efflagitabat, soluique lege, quæ præsentiã eius in petendo consulatu desiderabat, populúsque rogantibus tribunis, item & Pompeius consul id non iniquum iudicabant. Breui temporis interstitio erubescenda varietate hoc decretum immutatur, anno ab vrbe condita septingentesimo quarto, fitque Senatusconsultum, quo edicebatur, vt Iulius Cæsar die à Senatu constituta armis positis abdicaret ab se exercitum, alioquin nosset se contra Rempublicam facturum, huiúsque Senatusconsulti Pompeium participem, & penè authorem plerique existimarunt. Huic repentinæ mutationi intercesserunt Tribuni plebis, & Marcus Antonius, Quintus Cassius, & Curio additur. A Senatu decretum, vt prouideant consules, ne quid detrimenti Respublica accipiat: hæc clausula addita potestati consulum, omnem eis animaduersionem etiam capitalem tribuisse videbatur,

vt Plutarchus in Cicerone scribit, cuius rei Cicero in Cethego & Lentulo, & Caius Gracchus, & Marcus Fuluius, & Lucius Saturninus proconsules iniussu populi cæsi, testimonio nobis sunt. Philippus Melanchthon hac verborum formula, prouideant consules ne quid detrimenti Respublica accipiat, permissum consulibus existimauit, vt arma liberè caperent, & proscriptionis iudicium, seu aquæ & ignis interdictionem liberè ferre possent. hinc nunc prima mali labes. Iam in diuersas sententias distrahuntur ciues Romani. Iulius Cæsar permissurum se iudicium populo declarauit. Cicero æquas pacis conditiones proponebat, vt Cæsar scilicet, & Pompeius exercitus dimitterent, & Pompeius in prouinciam suam Hispaniæ proficisceretur, Cæsar verò consul fieret. hæ conditiones Cæsari placebant, Pompeianis displicebant. Tribuni plebis ad Cæsarem deficiunt. Gallia Lucio Domitio decernitur. à Pompeio paratur exercitus. Cæsar Romã quàm maximis potest itineribus contendit. Quæ vbi Romæ innotuerunt, consules & Pompeius in Epirum traiiciunt ad Dyrrhachium, vbi exercitum ex Gracia & Asia cõtrahunt. Cæsar Brundusium, vbi Pompeius erat, obsedit. Pompeius nocte se subtrahit. Brundusij ad Cæsarem deficiunt. Cæsar Romam proficiscitur, deriuandi criminis, cuius arguebatur, causa: quòd contra mandatum Senatus arma capesseret. Id quoque agebat, vt pacem cum Pompeio componeret. Quæ omnia vbi frustrà fieri exploratum habet, exercitum ad Hispanias, vbi Pompeij erant copiæ, traiicit. vrbem Romam Lepido commendans, Italiæ Marcum Antonium præposuit. Vbi Hispaniam appulit, exercitum Pompeij fame ad deditionem compulit. Hispanos sibi adiunxit. Massiliam vi occupat. Interea Lepidus Romæ rogationem tulerat, vt Cæsar

Dictator crearetur. Rediens Cæsar Romam, comitia consulatus habuit, quædam de iudiciis, & de frumento aduehendo in vrbem tanquam Dictator ordinauit. Cõsules creauit seſe, & Seruilium Isauricum, & Dictaturam poſt vndecimum diem depoſuit, contentus nomine ordinariæ poteſtatis conſularis. Anno ab vrbe condita ſeptingenteſimo quinto, menſe Ianuario, Cæſar in Epirum aduerſus Pompeium nauigat, ad Dyrrhachium caſtra moturus, vbi leuibus præliis commiſſis Pompeius ſuperior fuit. Cæſar in Theſſaliam diſceſſit, cùm fames eum cogeret loca vberiora quærere. ſequitur eum Pompeius, & cùm ad Pharſalum peruentum eſſet menſe Septembri, claſſicum canitur, conſeruntur manus, vicit Cæſar, trucidatis quindecim millibus in exercitu Pompeij, & captis quatuor & viginti millibus: nam fugientibus & diſſipatis hoſtibus clamabat Cæſar, miles parce ciuibus. Pompeius fuga ſaluti ſuæ proſpexit. primò ad Lariſſam, deinde ad Mitylenum, vbi Cornelia eius vxor erat, diuertit. ibique cùm Cratippo philoſopho fortunam ſuam inuerti quereretur, in cauſa maximè iuſta, reſpondit Cratippus, fatales eſſe imperiorum periodos, & iam conuerti Rempublicam Romanam in Monarchiã. Inde fretus amicitia, quæ illi cũ Ptolomæo patre regis Aegypti interceſſerat, quòd eum in ſua ſceptra & regna remiſiſſet, exiſtimans nouos exercitus in Aegypto cogi poſſe, iure veteris beneficij, eò acceſſit: vbi Ptolomæus adoleſcens regebatur alienis conſiliis, cúmque cum his qui curam regis adoleſcentis habebant, ſermonibus vltro citróque habitis, ne bellum (ſi Pompeius reciperetur) in Aegyptum traheretur, concluſum eſt, vt Pompeius interficeretur. Hanc prouinciam Achillas, & Septimius, qui ordines quondam apud Pompeium duxerat, & Saluius, qui centurio ſub eodem

fuerat, non inuiti ſuſceperunt: cúmque Pompeius ſua naue, cum cõiuge & liberis veheretur, fiunt illi obuiàm regia vecti carina, quam cùm blandis verbis Pompeio obtuliſſent, Pompeius nihil tale ſuſpicans comitatus liberto Philippo trãſit in regiã nauem, Septimiúmque agnouit, cúmq; legeret orationem Græcam, qua Ptolomæum compellare decreuerat, Septimius eum à tergo gladio aggreditur, & transfodere cœpit, labentémq; fodiũt Achillas, Theodotus, & cæteri. Pompeius nihil ſe indignum neque agens, neque locutus, vtraque manu togam faciei prætendens, emiſſo gemitu ictus excepit, cùm Achillæ, Septimij, & Saluij diſtrictos gladios conſpexiſſet: itáque mortuus eſt, poſtquàm imperio Romano adiecerat Ciliciam, Syriam, Phœnicem, Iudæam, Meſopotamiam, Cappadociã, Armeniam, Colchidem, Iberiam, Albaniam, & bonam Arabiæ partem, quæ prouinciæ quotannis ærariũ populi Romani quantùm auxerint, poſt Plutarchũ in Pompeio, Guillelmus Budæus libro de Aſſe tertio latiſſimè diſcuſſit. Tributa populo Romano ante Pompeij triumphum obuenientia, quinque millia myriadum complebant. Subactæ verò hæ prouinciæ octo millia & quingentas myriades expleuerunt, quæ ſi ad monetæ noſtræ rationem referantur vernacula noſtra lingua, huict millions cinq cens mille eſcus, efficient. Septimius Pompeij caput præcidit. Cornelia cõiunx Pompeij ſpectatrix necis mariti, in ea naue, qua Pompeius cum ipſa vehebatur, in Cyprum cum liberis ſuis rediit. Mortuus eſt Cn. Pompeius Magnus anno ætatis ſuæ quinquageſimo nono: periit enim prima die Octobris, cùm inchoaſſet nonũ & quinquageſimũ annum, natus vltima die Septẽbris. Cornelia liberos ſuos in Africam miſit ad Scipionẽ & Catonẽ. Maior natu filius Cn. Pompeius in Hiſpania, anno

quarto post pugnam Pharsalicam magno prælio victus est, & fugiēs à Cæsarianis captus occiditur. Vixit diutiùs eius frater Sextus Pompeius, qui Augustum & Antonium mortuo Iulio annos octo variis bellis exercuit. Occupauit Siciliam, tenuit mare, rediit in Bithyniam, & occupauit Niceam, & Nicomediam. sed deceptus à Tito duce Antonij, cùm se ei dedidisset, ab eo perfidiosè occiditur in ciuitate Mileto, quæ caput est Ioniæ Asiaticæ. Hic fuit finis fatorum Pompeij, suntq; procul pater & filij separatis locis interfecti, & sepulti. Pater in Aegypto, maior natu filius in Hispania, minor natu filius in Asia. Aemilius Spartianus author est cùm Adrianus Pelusium appulisset, Pompeij tumulum magnificentiùs, quàm erat, extruxisse. Iam ter mille octingenti nonaginta septem anni à creato mundo labebātur, & ab vrbe condita septingenti sex, cùm exoritur quarta terrarum monarchia. Iulius Cæsar superato Pompeio multis se negotiis implicari conspiciens (restabant enim bella in Africa) vbi sibi ipsi mortem consciuit Cato, in Hispania (vbi vnum ex liberis Pompeij occidit) noua comitia consulum Romæ parabantur. Eo anno creantur consules Quintus Fusius Calenus, & Publius Vatinius Ciaticanus. vterque fuit legatus Cæsaris in bello ciuili, quorum frequens est mentio in libris commentariorum ciuilium Cæsaris. Contra hunc Quintum Fusium Calenum multa dixit Cicero in decima & duodecima Philippica. Vt autem Cæsar nomen haberet legitimi magistratus, Dictator à Marco Antonio absens creatur in annum. Sub id tempus repetit Cæsar Africam, vt Publium Scipionem socerum Pompeij debellaret. quo tēpore in Vtica Cato fuit, qui pòst violētas manus in se ipsum coniecit, postquàm Scipio, Petreius, & Afranius se ipsos occiderant,

derant, vt Liuij abbreuiator libro decimo tertio, & decimo quarto supra centesimum latiùs prosequitur. Philippus Melanchthon anno septingentesimo septimo Cæsarem in Africa difficile hoc bellum gessisse aduersus reliquias Pompeij tradidit. inde Romam reuersus anno septingentesimo octauo ab vrbe condita creatus est Dictator tertiùm, in annos decem, & Consul quartùm sine collega factus est. Anno ab vrbe condita septingentesimo nono recepta Hispania, & pacatis omnibus prouincijs, Romam mense Octobri rediit, vbi ei noui honores decreti sunt, vt Dictator perpetuus & Imperator nominaretur, & sacrosanctus esset, & vt magistratus iurarēt in ipsius acta. Ita ei summa potestas attributa est vniuersæ gubernationis. Eo tēpore, vt Philippus Melāchthon in historijs tradidit, leges Iulias tulit. Cæterùm cōstabilita iā per omnes regiones pace, cùm Romam mense Octobri venisset, postea idibus Martijs à Cassio & Bruto, eorúmq; sociis in senatu confoditur: itáque regnauit in pace Cæsar non amplius mensibus quinque, neq; illi tanto viro, & tam clementer omnibus victis vso, plus quinque mensium principalis quies contigit. Nunquam habuit orbis elegantiorem, clementiorémque, nec bello & armis fortiorem principem: cuius post victoriam, nemo, mandato suo, nisi armatus periit: imò etiam clarissimos quosque in Republica, qui Pompeio adhæserant, vltro familiares sibi adiunxit, nihil illis eripiendo, Rémque publicam tot ciuilibus bellis labefactatam, non minore prudentia restituit, quàm authoritate conseruauit. Cassium & Brutum cum sociis suis, qui Pompeium omnibus artibus adiuuerant, recepit in vrbem, dignitates eorum nullis spoliatas ornamētis reddidit. Durauit hoc ciuile bellū per quinquenniū. Cæsaris mortem describunt abbreuiator Liuij

libro decimo sexto supra centesimum, Plutarchus in Cæsare & Antonio, & Tranquillus rubrica septuagesima nona, Florus in quarto libro titulo secundo, Orosius libro sexto capite decimo quarto, Eutropius libro sexto capite sexto, omnium enixissimè Appianus in secundo ciuilium. Non pigebit nos tamen veluti summam rerum peragrantes, exitum huius principis viri paucis verbis describere, quippe cùm mense Octobri in vrbem reuertisset, Idibus Martiis, coniurationis authoribus Bruto & Cassio, quorum alterum promittendo consulatum non obligauerat, contrà differendo Cassium offenderat, à Decio Bruto, Caio Tribonio, aliisque clari nominis viris interemptus est, anno suæ ætatis quinquagesimo sexto, vt Carion annotauit, cui maximam inuidiam conflauerat Marcus Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo illius capiti insigne Regium, quod ab eo sic reiectum erat, vt non offensus videretur. Hinc laudandum experientia consilium Hircij & Pansæ, qui semper prædixerant Cæsari, vt principatum armis quæsitum armis retineret. ille respondebat, se mori quàm timeri malle. Dum clementiam, quam præstiterat, expectabat, incautus ab ingratis occupatus est: cùm quidem plurima præsagia Dij immortales futuri obtulissent periculi. Nam & aruspices præmonuerant, vt diligentissimè Iduum Martiarum caueret diem, & vxor Calfurnia territa nocturno visu, vt eam diem domi subsisteret, orabat: & libelli coniurationem nuntiates dati, & ab eo neq; protinus lecti: sed profectò ineluctabilis fatorum vis, cuius cùm Deus mutare constituit fortunã, consilia corrumpit, id præuidere non permisit. Tranquillus in Caligula obseruatũ scribit tres Cæsares, quibus Caij prænomen fuit, ferro absumptos fuisse. Primus Caius Cæsar, dum

Lucius Cornelius Cinna, & Cn. Octauius consules erant, anno ab vrbe cõdita sexcentesimo sexagesimo sexto. secundus Caius Iulius Cæsar. tertius Caius Caligula. Cæsar quinq; triumphos Romæ egit, primum de Gallis, secundũ de Alexãdria, tertiũ de Ponto, quartũ & quintum de Africa & Hispania. Extincto Cæsare Senatus Marco Antonio consuli Dolabellam consulem adiunxit, quod semper Dolabellam Antonio aduersum cognouerat, veritus ne Antonius sibi monarchiam asciscceret, vt olim Cæsar. Marcus Tullius Cicero perpetuæ pacis author, dum maximè ei curæ est componere lites, pacis conditiones adfert, ne qua vis postea his qui Iulij Cæsaris partes secuti erant, fieret, néve illi quoq; à quibus confossus erat, versarentur amplius in aliquo periculo, sed omni in posterum sopita discordiã, æquis partibus pax & concordia coleretur, & illud decreti Athenienſium celebre exemplum, relatum à Cicerone, obliuionis præteritarum rerum decreto patrum comprobatum est. Cæsaris inde testamẽtum apertum, quo Octauium nepotem ex sorore Iulia adoptabat. hoc anno habitæ sunt quatuor Ciceronis Philippicæ, vbi nuntiatum est Octauio de cæde auunculi, cùm protinus ex vicinis legionibus centuriones ei suam consociorũmq; militum operam pollicerentur, neq; eam spernendam Saluidienus & Agrippa dicerent, Octauius festinans ad vrbem cùm Brundusium appulisset, omnem ordinationem auunculi, & necis, & testamenti comperit. Ei Romam aduentanti cùm occurrisset frequens amicorum copia, Acciæ matri, & vitrico Philippo non placebat, vt nomine Cæsaris appellaretur, ob Iulij Cæsaris auunculi inuidiosam fortunã, quibus ille dixit nefas esse, quo nomine Iulio Cæsari visus esset dignus se ipsum iudicare indignum. Sequente anno, qui fuit se-

ptingentesimus decimus, consules designantur Hirtius, & Pansa. his consulibus excitantur quàmplurimæ tragœdiæ: id vnũ Cicero aiebat, vt hostis patriæ Antonius iudicaretur, cui decreto Saluius tribunus intercedebat. Dum hæc deliberãtur, Octauius triplici ornamento decoratur à senatu, primùm equestri statua, quæ in rostris posita ætatem eius indicabat, qui honor non alteri quàm Lucio Syllæ, Cn. Pompeio, & Iulio Cæsari cõtigerat. Additur ei & altera honoris species, vt inter consulares ei sententiam adferre liceret, posséctque cõsulatum petere ante annos à lege constitutos, eúmque populus Romanus vnà cum Hirtio & Pansa consulibus designatis bellum contra Antonium gerere iussit, eo annum decimum octauum agente. Tum Cicero quintam Philippicam detonuit, quæ hoc loco omnino legenda est. Hanc in senatu habuit, & Philippicas sequentes omnes, quibus res eo tempore gestæ conscribuntur. Tum bellum illud ciuile subsecutum est, quod Mutinense vocant, ab Appiano in tertio ciuilium latissimè descriptum, & à Suetonio in Augusto, rubrica decima, & à Floro libro quarto, capite quarto, & à Plutarcho in Antonio. Hoc bello fortissimè circa Mutinam pugnatum est. Hirtius Consul inter Antonianos viriliter pugnãs confossus est. Aquilius Niger apud Tranq. Hirtium in pugnæ feruore ab Octauio Augusto interemptum ait: vt Antonio fugato, Republica Consulibus orbata, solus victores exercitus occuparet. Pansa sagitta percussus inter ilibus, Boloniam delatus expirauit. Tranquillus Pansæ quidem mortem adeò suspectam fuisse ait, vt Glyco medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset. Huius meminit Brutus in Epistolis ad Ciceronem, his verbis: Tibi Glycona medicum Pansæ commendo diligentissimè. Audiuimus

enim venisse in suspicionem Torquato de morte Pansæ, custodiríque vt patricidam. Hic finis fuit authoritatis Consulum: omnia enim postea ad Triumuiros & Imperatores delata fuêre. Durauit tamen vsus Consulum vsque ad Narsetem, & Basilium, qui Romæ fuerunt nouissimi Consules, regnante Iustino iuniore, cùm Longinus Narseti suffectus nouum magistratũ scilicet execratus inuexisset in Italiam. Tum Octauius nouum & decimum annum ingressus, mira ausus, & summa consecutus, primùm à Galatia, mox à Casilino veteranos exciuit paternos, quorum exemplum secuti alij in formam iusti coiere exercitus: Antonius turpi ac nuda fuga coactus est Italiam deserere. Qui superatis Alpibus Marco Lepido se coniunxit, cum lugubri veste, barba promissa, crinibus impexis. Plutarchus affirmat Antonium à Lepido benignè exceptum, atq; castris inter se collatis Munatio Planco subueniente, qui & ipse validum ductabat exercitum, contigisse, vt tres & viginti legiones, & cum iis decem, & amplius millia equitum, in Antonij potestatem venerint, vt Sabellicus, & Beroaldus in Trãquillo annotarũt. Hoc anno natus est Tibullus poëta, vt libro tertio ipse significat cùm ait,

Natalem primo nostri videre parentes,
Cùm fato cecidit Consul vterque pari.

Hoc quoque tempore Ouidius natus est, quod ipse his versibus satis comprobat,

Editus ego sum necnon vt tempora noris,
Cum cecidit fato Consul vterque pari.

Eusebius tamen natiuitatem Ouidij ad secundum annum imperij Augustireponit, & postea exul Ouidius diem obiit, & iuxta oppidum Thomos sepelitur, anno imperij Tiberij sexto, Olympiade centesima nonagesima nona, vt in historiis

Eusebius annotauit. Adrem redeo. Hoc anno quidam Augusti ordiuntur imperium. Eutropius annos dinumerans, ab vrbe condita septingentos & ferè nouem annos fluxisse ait, cùm interfecto Iulio Octauius bella ciuilia reparauit. Eusebius Octauium regnasse Olympiade centesima octuagesima quarta author est. Solinus ab vrbe condita ad consulatum Hircij & Pansæ annumerat annos septingentos & decem. Sextus Aurelius initium monarchiæ Romanæ exorditur, quando Octauius fuit salutatus Augustus, post deuictum Antonium, qui fuit annus ab vrbe condita septingentesimus vigesimus secundus, ab exactis verò regibus quadringentesimus octogesimus. Tacitus libro decimo tertio imperium Augusti ad septingentesimum vigesimum annum post vrbem cõditam reponit. Anno eodem quo vterque consul parifato cecidit, Romæ consules in locum demortuorum sufficiuntur Octauius Cæsar, & Quintus Pedius, qui Caij quoque Cæsaris nepos fuit, & Octauij cohæres, vt Suetonius annotauit. Annum agebat tunc Octauius vigesimum, vt Plutarchus in Bruto testatur, cùm Marcus Brutus, & Caius Cassius, & Decius Brutus absentes damnati sunt, quod virum dignitate maximum indemnatum occidissent. At vbi Octauius factus est certior, viginti iam legiones in exercitu Bruti conuenisse, relicto Pedio in vrbe, qui Senatui persuaderet, vt Antonio & Lepido conciliaretur, & decretum antiquaretur, quo Antonius & Lepidus hostes iudicati erant, vrbe egressus supra Ionium sensim iter carpebat. Tum inter Antonium & Octauium commercia epistolarum, & conditionum iactata mentio, cùm Antonius Octauium admoneret, quàm sibi suspectæ Pompeianæ partes forent, & in quod iam emersissent fastigium, & quanto Ciceronis studio Brutus &

Cassius attollerentur, sciret se cum Bruto & Cassio vires suas iuncturum, si Octauius suam aspernaretur amicitiam & coniunctionem. Igitur inita potentiæ societas, & hortantibus orantibúsque exercitibus, inter Octauium, Antonium, & Lepidum facta affinitas. Interea Decius Brutus à latronibus interceptus obtruncatur, capútque eius ad Antonium perfertur, furentibus inde Antonio & Lepido, quorum vterque hostis iudicatus erat, reluctante Cæsare, sed frustrà instauratur Syllani exẽpli malum, proscriptio. Post hæc in insula Lauinij fluminis conueniunt, Octauius, Antonius, & Lepidus, collocato Cæsare in medio tanquam Consule & digniore, triumuiratum concluserunt, vt ipsi tres viri Reipublicæ constituendæ per quinquennium præessent, diuisis inter se prouinciis omnibus. Tacitus in dialogo de oratoribus scribit Ciceronem, eo anno occisum esse, anno ætatis suæ sexagesimo tertio, vt Cassiodorus annotauit, & caput amputatum parenti eloquentiæ Romanæ ab Antonio triumuiro æstimatum est decies sestertiũm, & Appianus in quarto ciuilium bellorum tradidit, ducẽta & quinquaginta millia drachmarum Pompilio Læuæ pro capite Ciceronis Antonium dedisse. Tanti caput eloquentiæ ab inimico æstimatum est. Quæ pecuniæ ratio si ad monetam nostram referatur, quinque & viginti millia aureorum nostrorum efficiet, vt Guillelmus Budæus libro de Asse tertio scripsit. Tametsi merces in singula capita proscriptorum erat constituta in edicto proscriptionis, Ciceronis tamen caput decuplo plus æstimatum est, quàm aliorum proscriptorum. Cæterùm de hoc triumuiratu, & crudeli trecentorum virorum proscriptione, vide Plutarchum in Bruto, Antonio, & Cicerone, abbreuiatorem Liuij libro centesimo vigesimo, Florum libro quarto, Suetonium

in Augusto, Orosium libro sexto, Eutropium libro septimo, Appianum in quarto ciuilium. Cæterùm hi tres partiti inter se prouincias decreuerunt Octauium & Antonium, Bruto & Cassio bellum inferre, Lepidum in futurum Consulatum gerere. Postquàm ergo ingressi sunt vrbem cum fœda ciuium proscriptione, P. Titius Tribunus plebis legem protulit, Consulatum sub præsentium triumvirorum constitutione in quinquennium vacare, cùm ipsi quasi consules essent, & diuisum imperium inter illos est. Ad orientem tractus Antonio. Orientem hunc tractum de Asia, quæ populo Romano parebat, intelligi necesse est, vtriusque autem Octauij & Antonij imperij confinium Ionium mare factum, vt libro de Asse tertio Budæus prosequitur. Ad Hesperiam tractus Cæsari concessus est. Lepido Africa permissa. Consulatus verò quoties ipsi vellent amicis cuiusque proportione concedi placuit, vt in Antonio Plutarchus est author. Postea autem sublato Lepido, cùm triumuiratus ad duumuiratum rediisset, Antonius ab Euphrate & Armenia ad Ionium & Illyricum mare, Cæsar ab Illyrico ad Hesperium Oceanum, & ab Oceano ad Tyrrhenum Siculúmque mare, Libyæ verò quantùm Italiæ, Galliæq;, & Hispaniæ obiectum est, ad Herculis columnas obtinebat. Iam Dolabella in Asia Caium Tribonium consularem virum fraude deceptum Smyrnæ occiderat, virum aduersus merita Cæsaris ingratissimum, participémque cædis eius, à quo ipse in consulare euectus erat fastigium, & Caius Cassius acceptis à Sexto Murco, & Crispo Martio prætoriis viris, imperatoribus prævalidis, in Syria legionibus inclusum Dolabellam, qui præoccupata Asia in Syriam peruenerat, Laodicea expugnata interfecerat, & Marcus Brutus Caio Antonio fratri Marci Antonij

tonij in Macedonia legiones extorserat, & Antonium bello lacessierat. Tunc Octauius & Antonius traiecerũt exercitũ in Macedoniam, vbi apud Philippos vterq;, Marcus Brutus, & Cassius victi prælio sunt, quod bellum Philippense ab historiis nominatur, in quo Brutus & Cassius cecidêre. Non aliud prælium crudelius cæde clarissimorum virorum fuit. Hoc bello Catonis filius cecidit. Idem bellum Lucullum, Hortensiúmque, eminentissimorum ciuium filios abstulit. Hunc exitum Marci Bruti septimum & trigesimum annum agentis fortuna esse voluit, corrupto eius animo, in diem quæ illi omnes virtutes vnius temeritate facti abstulit. Octauius Cæsar valetudinarius perfecto Philippẽsi bello in Italiam reuertitur. Antonio in transmarina prouincia relicto, eámque longè quàm sperauerat tumultuosiorem reperit: quippe Lucius Antonius Consul vitiorum fratris sui censor, sed virtutum, quæ in illo erant, expers, magnas exercituum copias conflauerat. Parte ex altera Fuluia omnia armis tumultúque miscebat, ad quos reprimendos tumultus, vsus virtute & fortuna sua Octauius, Perusiam oppugnauit. Antonium inuiolatum dimisit. Hoc in statu durauit Respublica vsque ad annum septingentesimum vigesimum primum, quo cùm Antonius amore Cleopatræ insaniret, Octauiámque vxorem Cæsaris sororem repudiaret, neque in vrbem veniret, neque finito eius tempore triumuiratus imperium deponeret, bellúmque moliretur, quod vrbi Italiæq; inferret, quàm plurimis tam naualibus quàm terrestribus copiis contractis, remisóque Octauiæ repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu traiecit, vt abbreuiator Liuii libro centesimo trigesimo secundo tradidit. Hoc vt Eusebius ait, fuit tertiæ dissentionis exordium: prima secessio fuerat Olym-

piade centeſima octuageſima quarta: ſecunda fuerat Olympiade centeſima octuageſima quinta: tertia & nouiſſima fuit Olympiade centeſima octuageſima ſeptima. Antonij teſtamentum, quod apud Veſtales erat, quo filios ſuos, & Cleopatræ, Reges regum appellabat, pro concione recitari iuſſit. Quæ res cauſam præbuit, vt iam ſecundo loco hoſtis patriæ iudicaretur. Creſcente deinde & amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ ſemper facultatibus licentiáque & aſſentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ lõgo tempore concoctum inferre conſtituit. Tunc Octauius Cæſar abrogato Antonio Meſſalam conſulẽ effecit, anno ab vrbe cõdita ſeptingẽteſimo vigeſimo ſecũdo. Cæſare Octauio deinde, & Coruino Meſſala conſulibus ad Actium caſtra Octauij & Antonij locantur. aduenit deinde maximi diſcriminis dies, quo Octauius Antoniúsve productis claſſibus dimicauêre. Antonius claſſe victus Alexandriam profugit, obſeſſúſque ab Octauio in vltima rerum deſperatione, præcipuè occiſæ Cleopatræ falſo rumore impulſus, mortem ſibi conſciuit. Quæ omnia latiùs abbreuiator Liuij libro centeſimo trigeſimo tertio, Ioſephus libro Antiquitatum decimo quinto, capite quinto, hanc Actiacam victoriam Olympiade centeſima octuageſima ſeptima contigiſſe author eſt, quod in hiſtoriis Euſebius confirmat. In eo Actiaco bello Antonius peditum centum millia, equitum duo & viginti, & naues bellicas non pauciores quingentas habuit, & ſex reges in comitatu ſuo. Appianus libro quinto bellorum ciuilium, Marcum Antonium induxit Epheſi ad Græcas Aſiaticáſque gentes orationem habentem, dicentémque ſibi duo de triginta legiones eſſe, quæ cum auxiliaribus centum & ſeptuaginta peditum millia implerent, equitibus non adnume-

ratis, quas legiones reliquias eſſe dictitabat, trium & quadraginta legionum, quas Mutinæ habuiſſet. Cæſar autẽ naues bello aptas ducentas & quinquaginta, peditum octoginta millia, & equitum parem Antonio numerum habebat. hoc tempore, vt prædiximus, Lepido de medio ſublato, quem Auguſtus viginti legionum fiducia ſuperbientem, ſummáſq; ſibi partes terrore, ac minis vendicantem ſpoliauit, ſupplicémque conceſſa vita Circeios in perpetuum relegauit, vt Tranquillus in Auguſto adnotauit. Antonius ab Euphrate & Armenia ad Ionium mare & Illyricum, Cæſar verò ab Illyrico ad Heſperiũ Oceanum, & ab Oceano ad Tyrrhenum Siculúmq; mare, Libyæ verò quantũ Italiæ Galliæ q; & Hiſpaniæ obiectũ eſt, ad Herculeas columnas obtinebat. Hic finis bellorum ciuilium ab Octauio Cæſare impoſitus, anno ſuæ ætatis trigeſimo & altero, hoc eſt duodecimo anno poſtquàm Cæſaris auunculi hæreditatem adiit. Suetonius in Auguſto rubrica octaua ſcribit Octauium Cæſarem cum Marco Antonio, & Publio Lepido, deinde cum Antonio per duodecim ferè annos, nouiſſimè per quatuor & quadraginta annos ſolum Rempublicam rexiſſe, idque Eutropius probat. Cæſis in Philippicis Bruto & Caſſio, & oppreſſo ad Siciliam Sexto Pompeio, exuto Lepido, Antonio interfecto, Octauius Cæſar poſito triumuiri nomine, Conſulem ſe gerẽs, tribunitio more contentus, incredibili affectione omnium animos ſibi conciliauit. militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocij pellexit. his peractis bellis tres triumphos egit, vnum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium ex Cleopatra Aegypti reginarum nouiſſima. Iam luxus tum primùm populum Romanum inuaſerat, cùm Aſia deuicta eſt: ea enim, vt Appianus in quarto ciuilium docet,

primùm deuicta, luxuriam misit in Italiam: siquidem Lucius Scipio transtulit in Asiatico triumpho argenti pondo millia quadringenta & quinquaginta, & vasorum aureorum pondo centum millia, anno vrbis conditæ quingentesimo sexagesimo quinto. Eadem Asia domita multo etiam grauius Romanorum afflixit mores Attalo rege mortuo: tunc enim hæc emendi Romæ in regiis auctionibus verecundia exempta est. Is Attalus rex Asiæ, vt Trogus libro trigesimo sexto scripsit, populum Romanum hæredem fecit. Exuuiæ Cleopatræ in eo triumpho, quem Octauius pro eius victoria egit, tantæ fuerunt, & tanta pecuniarum summa allata est, vt propter pecuniarum maximam frequentiam prædiorum æstimatio incredibili augmento creuerit. triumphum autem ex Illyrico Appianus & Florus latè prosequuntur. Octauius Cæsar victor ab Oriente rediens octauo idus Ianuarij triplici triumpho ingressus, Iani portas, sopitis finitisque omnibus bellis ciuilibus, tertiò clausit. hac die primùm Augustus consalutatus est, ab eóque Sextilis mensis nomen Augusti sumpsit (acto Senatusconsulto in hæc verba: Cùm imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum consulatum inierit, & triumphos tres intulerit in vrbem, & ex Ianiculo legiones deductæ, secutæque sint eius auspicium ac fidem, & Aegyptus hoc mense in potestatem redacta sit, finisque hoc mense bellis ciuilibus impositus sit: atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit, ac fuerit, placere Senatui, vt hic mensis Augustus appelletur) quod nomen antea cunctis inuiolatum, & huc vsque non ausum, ab imperatoribus vsurpatum est. Atque ex eodem die, summa rerum ac potestas apud vnum esse cœpit. Hoc Græci monarchiam vocant. Ideo ab hoc tempore, plerique annos monarchiæ

Augusti supputant. Iste enim in imperio positus tribunitiam potestatem per se exercuit: neque enim se regem aut Romulum, quòd odiosus & superbus is titulus esset, appellari se est passus, sed Romano veteríque nomine, imperator dici voluit, sibique censuram addixit, & ius tribunitiæ potestatis ascripsit, & Pontifex Maximus dici voluit, patríque patriæ titulum à Senatu populóque Romano accepit. sanè illorum nominum rationem sic Dion exequitur, vt qui imperatores appellati sunt, delectum facere, milites conscribere, pecunias colligere, hostibus bellum indicere possint, solitos fuisse priscos duces sic appellari: illi enim, vt Tacitus libro tertio author est, re bene gesta gaudio & victoris exercitus impetu imperatoris salutatione conclamabantur. hoc tamẽ verum est, quòd ea quæ ab his Imperatoribus statuebantur, necesse erat Senatusconsulto confirmari, quod Strabo libro duodecimo prosequitur. Huic imperatoriæ dignitati adiunxit sibi Augustus censoriam, cuius functionis erat vitam morésque hominum examinare, & de his inquirere. census hi rationem ducebant. professionem curabant. ad Pontificem verò maximum, quorum ille dignitatem sibi adiunxit, sacerdotiorum conferendorum ius pertinebat. sacris enim omnibus auspiciísque illi præerant. tribunitiæ verò potestatis ius ideo sumpsit, quòd sacrosancta ea dignitas, neminíque violabilis esset: nam & si in re leuissima solo sermone nedum facto tribuni maiestatem quisquam contempsisset, tanquam abominabilis & sacer indicta causa ad mortem adigebatur. Et has quidem dignitates Octauius accepit, & vt vno verbo omnia concludantur, à patria imperij summa pacis bellique arbitrium perpetuum delatum est, vt Guillelmus Budæus libro de Asse tertio prosequitur. Quæ omnia iura in succes-

sores suos transmisit, & quo potentius & illustrius imperatoris nomen faceret, concessum & illud fuit quod antea nemini, vt legibus solutus esset: quod & Dion latiùs prosequitur. Postea Decius Augustus Cæsar censuram, necnon & ius tribunitiæ potestatis & proconsulatus (quæ omnia iura Augustus Cæsar sibi perpetuò vindicauerat) arbitrio senatus populique Romani permisit, & patris patriæ cognomen accepit, quod Pomponius Lætus in Decio fusiùs edocuit. Id animaduertendum duxi sub consulibus, inter quos nonnunquam fuere dictatores, & decemuiri, & tribuni militares. Per annos septem supra quadraginta & quadringentos vsq; trans Padum Italia capta est, Africa, Hispaniáq; subactæ, Gallia & Britãnia tributariæ factæ: Illyrici, Istri, Liburni, Dalmatæ sunt domiti, ad Achaiam transitum est, Macedones subacti, cũ Dardanis, Medis, & Thracibus est bellatum, ad Danubium vsque peruentum, in Asia pulso Antiocho primùm pedem posuere Romani, Mithridate victo regnum Ponti captum est, & Armenia minor (quam idem tenuerat) armis obtenta est. In Mesopotamiam Romanus peruenit exercitus, cum Parthis fœdus initum. Contra Carduenos, & Sarracenos, & Arabas est bellatum. Iudæa omnis victa, Cilicia & Syria in potestatem populi Romani dejectæ. Aegypti reges fœdera acceperunt. Et hæc sub consulibus gesta fuêre. Octauius Aegyptum in prouinciæ formam redegit. Cantabros, Aquitanos, Rhetos, Vindelicos, Dalmatas, in prouincias populi Romani redegit, Olympiade centesima octuagesima octaua, Gallos, vt Eusebius scripsit, vectigales fecit: sic, vt Philippus Melanchthon tradidit, Iudæam in prouinciæ formam redegit, & Claudius Cæsar rursum confirmauit, Sueuos deleuit, Sicambros in Galliam transtulit, Pannonios stipẽdiarios Romanis adiecit, Getarum populos, Basternáque bellis lacessitos ad concordiam compulit. Huic Persæ obsides obtulerunt, creandique regis arbitrium permiserunt. Ad hæc Indi, Scythæ, Garamantes, Aethiopes, legatos cum donis miserunt. Rarus fuit ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus, vt Sextus Aurelius Victor tradidit. Hoc tempore, vt Eusebius in historiis vult, Munacius Plancus Ciceronis discipulus orator clarus habebatur, qui cùm Galliam regeret, Lugdunum condidit. Augustus cùm luxuriæ quàmmaximè deditus esset, erat tamen huius vitij seueriſſimus vindex, more hominum, qui in vlciscendis vitiis, quibus vehementer indulgent, acres sunt. Quales leges sanxerit Octauius, Suetonius rubrica trigesima quarta edocet. Quo modo iudices ordinarit, rubrica trigesima secunda. Qua arte prouincias domuerit, rubrica vigesima prima. Cæterùm Cornelius Tacitus in tertio historiarum recẽset originem Turiorum, & quo modo multitudo ad paucitatem sit redacta. Sexto consulatu Octauius Cæsar potentiæ securus, quæ in triumuiratu ediderat, antiquauit. sic finita bella ciuilia, reuocata pax, sopitus vbique armorum furor, restituta vis legibus, iudicijs authoritas, senatui maiestas, magistratus ad pristinum reducti modum, prisca illa & antiqua Reipublicæ forma renouata, rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio, leges vtiliter emendatæ, latæ salubriter, senatus sine asperitate, & sine seueritate lectus, principes viri triumphis & amplissimis honoribus functi. Censum senatorum ampliauit. Nam census senatorum initio fuit octingentorum millium, supple, sestertiorum, (ita enim loquebantur veteres) quæ summa valet octingenta sestertia

sestertium porrò pendet viginti quinque coronatos aureos. Coronatus quisque aureus triginta quinque solidos habet monetæ nostratis. Census ergo senatorius fuit initio viginti millium aureorum coronatorum: tanti enim valebant octingenta sestertia. Pro cẽsu verò equestri, attributa sunt initio, quadringenta millia, supple, sestertiorum, à sestertius masculini generis, hoc est quadringenta sestertia in genere neutro, quæ decem mille coronatos efficiebant: atque ita census senatorius duplo maior erat equestri. Porrò census hîc accipiendus, & pro redditu annuo, & pro eo, quod quisque habebat fortunarum, réique familiaris. Census verò decurionum, qui extra Romam in municipiis, erant veluti Romani senatores, fuit centum millium sestertiorum, quæ pecunia centena continebat sestertia, hoc est duo millia & quingentos coronatos. hi omnes in prima classe, ex instituto Seruij Tullij regis, censebantur. Dehinc, quod attinet ad equites & senatores, cœpit augeri census, & habere equestris quingenta millia, id est, quingẽta sestertia, quæ continent duodecim millia, & quingentos nostrates coronatos aureos. Id verò habuere equites, ex beneficio Iulij Cæsaris, qui Laberium equitem ob mimũ suum tanti donauit, pro equestris cẽsus munere, qui tamen equester census (vt patet ex Plinio lib. 33.) postea contractus est, redactúsque ad quadringenta pristina sestertia, hoc est, ad decem coronatorũ millia. Senatorius verò census primùm augeri cœpit, fieríq; decies sestertiûm, id est continere mille sestertia, quæ sunt quidem viginti quinque millia coronatorum. Tandem Augustus eum censum senatorum ita ampliauit (vt patet ex Tranquillo) vt ab octingentis sestertiis (qui antiquus fuit senatorum cẽsus) & à decies sestertiûm, vel à mille sestertiis: nam vtrumque, idem est: qua quidem summa primùm

primùm auctus erat, ad duodecies vsque sestertiûm auxerit, ac de suo, non habentibus suppleuerit, vt triplo, quàm equester fieret maior census senatorius. Duodecies verò sestertiûm tantum est, quantum triginta mille coronati nostrates aurei: nam si mille & ducenta, quinquies & vicies numeraueris, triginta millia efficies. Mille verò & ducenta sestertia, idẽ sunt, ac duodecies sestertiûm, singula verò sestertia, vt iam dictum, viginti quinque coronatos aureos complectuntur. Athenienſium verò alia ratio fuit: nec enim ex nummis, sed ex farre censum constituebant, ex Solonis instituto, ita vt senatores in censu haberẽt annuo, quingentos farris modios, ob idque appellarentur voce Græca, πεντακοσιομέδιμνοι, ac si diceres, quingentorum modiorum homines. Equitibus verò attributi erant, pro censu, trecenti modij, vt videre est apud Aristotelem Politicôn libro 2. tum & apud Plutarchum in Solone, sunt tamen, qui putant (vt hæc tota quæstio hac finiatur clausula) idque ex scriptorum veterum authoritate, nec inani quidem ratione, crescente postea Romano imperio, luxúque & opibus Romanorum senatorum censum annuum longè maiorem auctiorémque fuisse, quàm sub Augusto, cùm etiam plerisque fuerit quidem quadragies sestertiûm, hoc est, quadragies centenorum millium sestertiorum, quæ summa efficiebat quadragies centena sestertia, nempe aureorum coronatorum (vt ex vsu nostro loquamur) centum millia. Certè satis cõstat Senecę senatori, pueritiæ q; Neronis institutori, qui tamen equestri & prouinciali loco ortus erat, in bonis fuisse, quarto quidem anno Neronis imperij, ter millies sestertiûm, hoc est, septuagies quinquies centena millia aureorum coronatorum quidem nostri temporis, vel vt dicamus apertiùs ac vulgatius, millenos septem, & quingentos mille aureos:

octauo verò eiusdem imperij anno, ad eas opes, alias quoque multas adiunxisse: quocirca non ineptè a Iuuenale prædiuitem appellatum. Quid? nónne legimus augurem Lentulum, quater millies sestertiûm possedisse, ob idque ab ipso Seneca, libro 2. de Beneficiis, diuitiarum etiam maximum exemplum vocitatum. Liquet autem quater millies sestertiûm nõ minorem esse pecuniam, centies centenis millibus aureorum coronatorum, hoc est, decem milliones aureorum exæquare, quod habet etiã Budæi sententia. Opes autem Romanorum non poterant occultari, vel dissimulari, nec augeri etiam verbis, plurísque fieri quàm re vera essent. nam à censu, (cui vix poterat imponi: professio enim erat illa quidem necessaria) notissimæ erant vniuscuiusque Romanorum facultates omnes & fortunæ. Anno imperij Augusti secundo supra quadragesimum natus est CHRISTVS Seruator noster ex MARIA Virgine, & homo factus est. Qui fuit annus ab orbe condito ter millesimus noningentesimus quadragesimus quartus, & ideo adiecit Elias propheta, DEVM anteuersurum, & maturaturum aduentum, vt rerum omnium finis esset vicinior: nam quater millesimus annus nondum aduenerat: sic Carion. Philippus verò Melanchthon natiuitatem CHRISTI ad ter millesimum noningentesimum sexagesimum tertium reponit. Cæteri frequentiùs à diluuio natum CHRISTVM aiunt anno bis millesimo trecentesimo sexto, à natiuitate Abrahæ bis millesimo decimo quarto, à Mose & egressu filiorum Israël de Aegypto, millesimo quingentesimo nono, à Salomone, & prima Templi ædificatione, millesimo trigesimo primo, & à reædificatione, quæ sub Dario facta est, quingẽtesimo decimo nono, ab vrbe cõdita septingẽtesimo quinquagesimo primo,

Consulibus Caio Lentulo Getulico, & Messalano, tertio anno centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis, anno regni Herodis trigesimo, vt recentiores quidam diligentissimè supputauerunt. & natus est CHRISTVS ex Virgine in fine politiæ Mosaicæ, cùm iam peregrinus Herodes rex esset, sicut prædictum fuerat, Non auferetur sceptrum de Iuda, nec magister à pedibus eius, donec venerit Silo. Eusebius in natiuitatis CHRISTI enumeratione cum Olympiadibus recentiorum satis conuenit, ab Abrahamo verò ad natiuitatem CHRISTI bis mille ducentos & quinque annos recenset. Tertullianus in libro, quem contra Iudæos scripsit, natiuitatem CHRISTI ad quadragesimum primum annum Augusti reponit, at anno Tiberij decimo quinto crucifixum: quod & Cassiodorus probat. Philippus Melanchthon anno decimo quinto Tiberij CHRISTVM trigesimum annum agentem à Ioanne Baptista baptisatum ait. Augustinus pater libro de Ciuitate DEI decimo octauo, capite quadragesimo sexto, ait regnante in Iudæa Herode, apud Romanos autem iam mutato Reipublicæ statu, imperante Cæsare Augusto, & per eum orbe pacato, natũ esse CHRISTVM, secundum præcedentem Prophetiam, in Bethlehem Iudæ. Augustus Cæsar horruit Domini nomen, vt testis est Suetonius Tranquillus. Relatum est à Paulo Orosio, Augustum, quo die Christus optimus maximus natus est, eodem die vetuisse, ne quis posthac se Dominum appellaret. Hæc variarum lectionum in natiuitate CHRISTI diuersitas caliginem nobis adiicit, quo minus natiuitas Beatæ Virginis planè discuti possit. Theodorus Bibliander natiuitatem Virginis ad ter millesimum noningentesimum sexagesimum

quartum annum à creato orbe dinumerat, & vt colorem huic calculo adiiciat, natiuitatem CHRISTI ad ter milleſimum noningenteſimum octuageſimum annum refert. vtcumq; ſit, nouem menſibus iam ferè præteritis, ac tempore, quo maturus fœtus partu edendus erat, valde propinquo, toto orbe grata pace fruente, edicto Auguſti imperatoris Romani, cẽſus agitur. Habet igitur Cyrinus Syriæ præſes in mandatis, vt per Palæſtinã eam rem exequatur. Notabantur autẽ & capita hominum, & facultates, vt'q; expeditiùs id fieret ac meliori ordine, quilibet iubebatur ad ſuam ſe ciuitatem conferre, quò videlicet cuiuſque familia pertineret. Teſtatur autem hæc ipſa hiſtoria, Romanis iam in Iudæos imperium habentibus, ſceptrum Iuda corruiſſe. hac igitur neceſſitate excitati, Ioſeph quoque vnà cum deſponſata ſibi vxore MARIA proficiſcuntur ex Nazareth in ciuitatem Dauid, quæ vocabatur Bethlehem, quæ quidem duæ ciuitates viginti milliaria inter ſe diſtabant. eò autem manentes non habuerunt in diuerſorio locum, quòd frequentes confluxerant homines, & commodas habitationes occuparant. Itaque in ſtabulum pecorum tanquam pauperes ac viles homines deducuntur. dum autem ibi agunt, implentur dies partus, ac peperit MARIA in ſtabulo primogenitum. Cæterùm quod in Bethlehẽ naſceretur, Micheæ quinto hic locus Meſſiæ natiuitati erat præfinitus. & hæc ſatis, vt temporum continuetur ratio, nihilq; quod ad hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enarrationem pertineat, dum ſeries rerum obtulerit, prætermittatur, ad Auguſtum, vnde digreſſus eſt ſermo, redeo. Hunc principem Oroſius libro ſexto ſcribit quatuor & quadraginta legionibus rem Romanam tueri inſtituiſſe. Euſebius author eſt cenſu ſub Auguſto acto, Romanorum capitum quadragies ſemel centena millia cenſa fuiſſe. Guillelmus Budæus libro de Aſſe tertio has quatuor & quadraginta legiones, etiam ſi iuſtæ plenæque non fuerint, legionariorum peditum centum & ſeptuaginta ſex millia hominum efficere arbitratus eſt. Vegetius plenam & iuſtam legionem ſex millibus peditum, & ſeptingentis triginta duobus equitibus conſtare author eſt: decem cohortibus quælibet legio conficiebatur. primæ cohorti centum & quinque ſupra mille pedites, & centum triginta duo equites ex florentiſſimis ordinibus, ipſa lumināria inſcribebantur. vna quæque legio minima æſtimatione in annuo ſtipendio ducena millia aureorum coronatorum ferebat, etiam ſine equitum ſtipendio. Cuſpinianus authoritate Donati fretus ait, cùm cogitaſſet Auguſtus de tyrannide omittenda, & Republica ſenatui & populo reddenda, conſuluiſſe Virgilium, qui ei ſuaſit, vt dominationem partam honeſtis rationibus continuaret. Cuius ſententiam Auguſtus (cui natura dominandi cupiditatem indiderat, vt Eutropius inquit) probauit, quod vix credibile eſt, cùm ex hiſtoriis conſtet, Octauium cogitaſſe de reddenda Republica, cúmque in ſenatu ſententiam ſuam expoſuiſſet, rationarium imperij tanquam illud dimiſſurus, conſulibus tradidit, ſed ſenatoribus ſine metu, ſine diſſimulatione, vel etiam ex compoſito reclamantibus, variáſque rationes adferentibus, cur monarchia Reipublicæ præſtaret, in principatu perſeuerauit, Deos hominéſque teſtatus intra decẽnium ſe omnem adminiſtrationem depoſiturum: & cùm ea tempora lapſa forent, rurſus ſe eiurare velle imperium ſimulauit. Senatus alios decem annos, quibus in eodem remaneret ſtatu, decreuit, quibus eo tẽpore, quo prorogatum erat imperium, extinguitur: vnde obſeruatũ eſt, vt eius ſucceſſores, quamuis perpetui, quandiu

administrationem imperij exercent, singulis decem annis celeberrimos ludos populo exhibeant, tanquã principatu renouãtes. Ea festa decennalia, vicennalia, tricennalia, appellata sunt, vt Ammianus in Constantio latiùs aperuit, & nostris temporibus Andreas Alciatus. Annum agens septimum & septuagesimum, Nolæ morbo oppressus interiit, vt Aurelius Victor annotauit. Cuspinianus anno suæ ætatis septuagesimo sexto Atellæ in Campania, in eodem cubiculo, quo pater Octauius occiderat, extinctum, Sexto Pompeio, & Sexto Apuleio Consulibus author est. Mortuum multis nouísque honoribus senatus censuit decorandum: nam præter id, quod antea patrem patriæ dixerat, templa tam Romæ quàm per celeberrimas vrbes consecrauit. Ex historiis accepimus Octauium Augustum rexisse imperium ab interitu Iulij Cæsaris annos quinquaginta sex, in quibus annis inclusi sunt anni duodecim, quibus collegam habuit Antonium, cùm autem inchoarentur anni ab interitu Iulij, erat ab vrbe condita annus septingentesimus vndecimus, & ab orbe condito ter millesimus noningentesimus vigesimus tertius, à morte verò Alexandri vsque ad interfectum Iulium, vt Ptolomæo placet, ducentesimus octuagesimus secundus. Dum Augustus Romæ imperat, floruerunt Romæ Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertius, Vitruuius, Titus Liuius, Ouidius, Valerius Maximus, Strabo. Auctum reperitur imperium ab D. Augusti initio ad imperij Theodosij superioris, & Arcadij, & Honorij tempora, per annos quadringentos & quadraginta cum diuersa populi Romani fortuna, multi principes imperarunt. Cantabri & Astures, Hispani ab ipso Octauio subacti, Alpes maritimæ, Cocciæ que & Rhetiæ, Noricum, Pannoniæ, & Mesiæ Romano populo accesserunt,

omnis ora Danubij in prouincias est redacta. Pontus omnis, & Armenia maior, Mesopotamia, Assyria, Arabia & Aegyptus in imperij Romani iura concessere. Mortuo Augusto, Sexto Pompeio & Sexto Apuleio Consulibus, anno ab vrbe condita, vt Cuspinianus, Bibliander, & Glareanus annotarunt, septingentesimo sexagesimo septimo, Olympiade nonagesima octaua, vt Eusebius voluit, Tiberius Cæsar tertius Romanorum imperium consequitur. Non fuit hic Augusti filius, sed mortuis veris hæredibus Augusti, eum (vt Suetonius ait) Augustus in foro lege Curiata adoptauit. fuit hic Iuliæ vxoris Augusti filius. Rexit Romanum imperium annis tribus & viginti præsens. Vbi ad imperij fastigium euectus est, nulla bella gessit, sed ne per legatos quidem aliqua grauia, tantùm præcognitos gentium tumultus compressit, vt Eutropius libro septimo capite secundo latiùs prosequitur. vicem gerens Augusti Armeniam occupauit, & Olympiade centesima nonagesima tertia, Tiberius vastata Germania, imperator appellatus est: eadem Olympiade Tiberius de Rhetiis, Vindelicis, Armeniis, & Pannoniis triumphauit, & de Illyricis, vt Velleius Paterculus scripsit, Cappadociam in prouinciam remoto Archelao rege redegit. Inerat ei literarum scientia multa, eloquio clarior, sed ingenio pessimo, truci, auaro, insidioso, simulans ea velle quæ nollet: his quasi infensus, quibus consultum volebat: his verò quos oderat, quasi beneuolus apparebat. quasi coactus, & quærens miseram onerosámque seruitutem sibi iungi, imperium recepit. Eius imperij anno quarto Titus Liuius historicus Patauii moritur. Imperij verò sui anno septimo Fenestella historiarum etiam scriptor septuagenarius moritur, Olympiade ducentesima prima. Pontius Pilatus procurator

Iudææ à Tiberio mittitur, anno imperij Tiberij duodecimo, vt Eusebius libro primo sacræ historiæ, capite vndecimo, & Iosephus libro decimo octauo Antiquitatum, capite septimo tradiderunt. Hoc quoque tempore Ioannes filius Zachariæ in deserto iuxta Iordanem fluuium prædicans CHRISTVM filium DEI in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque DOMINVS IESVS populis salutarẽ vitã annuntiat. anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris CHRISTVS anno ætatis trigesimo baptisatur à Ioãne. Non defuerunt plerique authores, qui CHRISTI passionem ad decimum quintum annum Tiberij referrent, cõsulibus Rebillio Gemino & C. Fusio Gemino, vt Paulus Orosius libro septimo, capite tertio, & Tertullianus. Iulius tamen Africanus vehementer reluctatur, Euangelica veritate fultus: Lucas enim tertio capite scribit, anno decimo quinto imperij Tiberij Cæsaris procurante Iudæam Pontio Pilato prædicasse Ioannem in deserto peccatorum remissionẽ, & ab eo baptisatus est Christus, cùm esset annorum triginta. Conuersatus est autem inter Iudæos CHRISTVS prædicando & docendo post baptismum tribus annis, & sic passio DOMINI in decimum octauum, nõ quintũ decimũ annum Tiberij incidit, quã Euangelij veritatẽ Cassiodorus complexus satis videtur, qui passionem domini ad decimũ octauũ annũ Tiberij, octauo calendas Aprilis reiicit. sic & Eusebius & Eutropius libro septimo capite tertio. sic Ioãnes Monachus, Eusebius in Chronicis de anno decimo octauo principatus Tiberij loquens, Solis, inquit, facta est defectio, & tenebræ super vniuersam terram, Bithynia terræ motu concussa, & in vrbe Nicena ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in passione DOMINI contigere.

De eo terræ motu Plinius libro secundo satis locutus videtur, quando ait, Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Et hoc de anno passionis DOMINI. De die verò passionis Tertullianus, Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, & Beda conueniunt, octauo calendas Aprilis crucifixum fuisse, eo scilicet die quo conceptus est: conceptus est autem mense Martio, octauo calendas Aprilis, & eodem die passus: quod ex verbis Augustini ex quarto de Trinitate capite quinto liquidò constat. sic in monumento nouo, quo sepultus nullus mortuorum quieuerat, positus est. Congruit hoc vtero MARIAE. Quæ omnia Paulus Mittelburgensis latiùs prosequitur. Ad baptismum CHRISTI redeo. Huic CHRISTI baptismo sunt illustria testimonia addita, in quibus Deus, postquàm se manifestè patefecit, auspicatus est prædicationem Euangelij sui, pœnitentiæ & remissionis peccatorum ac vitæ æternæ. Anno verò decimo octauo (vt prædiximus) Tiberij, Seruator noster DOMINVS IESVS filius DEI incarnatus in cruce offerẽs hostiam piacularem DEO PATRI pro mundi peccatis, iustitiæ diuinæ satisfecit, & diaboli imperium radicitus conuulsit, & septuaginta hebdomades à Daniele prædictas, quæ quadringentis octuoginta & quinque annis terminabãtur, impleuit. Vt autem omnis hæc temporum ratio perstringatur, Maria Virgo sanctissima, ineunte ætatis suæ anno decimo quinto, sub brumam quidem, seu sub hybernum solstitium, nimirum octauo calendas Ianuarij, Christum peperit nostrum Dominum, quem nouem ante menses eadem Virgo integra, & illibata cõceperat quidẽ ex spiritu sancto, tum annos nata quæ.

tuordecim, octauo calendas Aprilis. Porrò, cùm conceptus est Christus, agebatur tunc Olympiadis centesimæ octuagesimæ quartæ tertius annus medius. Natalis verò eiusdem Christi dies, confertur in finem propemodum quadragesimi secundi anni Augusti imperij, purificata & expiata virgo, suo, vt iubebat lex Mosis, expleto puerperij tempore (quanquã nulla quidem, quod ad se attineret, egebat ipsa expurgatione) filium sistit ad templum. Interim Iosephus admonitus, dum somnum capit, nocturno visu, & oraculo, secedit. post acta illa solemnia, vnà cum puero Iesu & ipsius matre, clam, & propere in Aegyptum, vbi mansit ad excessum vsque Herodis regis, qui anno regni sui septimo & trigesimo fato concessit. Agebat tunc Iesus Dominus annum ætatis suæ quintum, ita vt totos quinque plus minùs annos, Aegyptus eum tenuerit. Porrò, Archelao Herodis filio summæ rerum Iudæorum præposito reducitur puer Iesus, tunc quidem sexennis, ab Aegypto in terrã Iudæorum, cùm antea Herodes tyrannus, quòd à Magis delusus esset, in pueros omneis Bethlehemitas, infantes quidem bimulos, aut qui infra bimatum essent, sæuiisset feroci gladio. Dominus dehinc cùm duodecim annos haberet, venissétque ad Pascha cum parentibus Hierosolymam, relictus ibi, peracto festo, inopinanter à suis in templo postea repertus est, sedens inter legis magistros, eos audiens, eos itidem interrogans. postea decedit Augustus, cùm Dominus annos ageret tunc sexdecim, & Olympias numeraretur cẽtesima nonagesima octaua, annus verò esset Romæ conditæ, septingentesimus sexagesimus septimus. Porrò cùm Dominus esset annorum septem & viginti, Pontius Pilatus mittitur in Iudæam à Tiberio, vt res ibi procuret, iurisdictionémq; exerceat cum imperio. Interea crescit Dominus,

& anno imperij Tiberij quinto & decimo, cùm iam tricesimum vitæ suæ annum Dominus iniret, ad Iordanis aquas, sacra Baptismi lotione imbuitur, octauo quidem idus Ianuarij (qui sexus est dies Ianuarij) ministrante Ioanne Baptista: non quod illi opus esset Baptismo, sed vt & legem expleret, & augusta sanctáque sui lotione, Baptismi lauacrum consecraret. Id autem accidit ea ipsa die, qua in cunis cultus est, & opimis diuiníq; muneribus, cum adoratione, donatus est à Magis cùm Baptismum suscipit, iam totos dies tredecim, annum suum inibat tricesimum: vicesima enim quinta præcedentis Decembris die, consummarat annos ætatis suæ nouem & viginti, & sexta die consequenti Ianuaria, ad Baptismum venit: suscepto Baptismo ducitur in deserta, & vastas solitudines, vbi quadragenos totos dies, totidémque noctes, cibo omni abstinet, túmque euestigio, salutis euangelium vbique euulgat profértque, & edit diuina, & cælestia miracula, in eóque persistit euangelicæ prædicationis munere annos duos, & tres menses & decem dies, quo exacto tẽpore, cùm iam menses plus minus tres inchoati anni sui tricesimi tertij perficeret, in crucem sublatus est, Olympiadis ducentesimæ secundæ anno quarto, Tiberio Cæsare iam octodecim annos imperante. Quia verò in Exodo capite 12. iubebatur mactari, edíque agnus, qui Pascha est, decima quarta Luna mensis, vel Nisam, vel Adar, Hebræorum mensium, qui quandoque in Aprilem nostrum, quandoq; in Martium incidunt, Dominus noster cum discipulis suis, eo ipso die, cum panibus azymis, hoc est, sine fermento, sub crepusculum quidem vespertinum (vt ferebat lex) hanc ipsam Paschalis agni cœnam peregit, vt habet etiam Lucas, aiens in vicesimo secundo capite: venit autem dies azymorum, in qua necesse

erat occidi Pascha, & cætera. vtrùm verò luna illa decima quarta, qua in luna Christus Dominus occidit legalem agnum, vesperi quidem, ipséque verus agnus dei eiusdem diei ad horã nonam (nam Hebræi à vespera dies inchoabant) occisus est: vtrùm, inquàm, dies ille mactationis vtriusque agni, & veri, & per legem adumbrati, in vicesimum quintum diem Martij incurrerit, vt aiunt multi, an in tertiũ Aprilis, vt malunt alij: quorũ mensium nostrorum alterutri, per vices quidem respondet Hebræorum Paschalis mensis: suum cuique ea de re esto iudicium, modò ab ecclesiæ Catholicæ decreto & iudicio, neque hîc, neque alibi vsquam discedat. redeo, vnde deflexi. Anno Tiberij decimo nono, CHRISTI verò trigesimo quarto, Paulus iter faciens, ad Damascum conuertitur ad agnitionem CHRISTI, cùm iam annus post CHRISTI resurrectionem exactus esset: commoratus aliquot diebus in Damasco cùm confessionem suam Iudæis palàm faceret, struxerunt ei Iudæi insidias. ille demissus è muro in Arabiam diuertit, vbi triennio Verbum DOMINI concionatur. Postea venit Hierosolymã. ibi cum Petro quindecim diebus doctrinam DEI egit. Is cõgressus Petri & Pauli factus Hierosolymæ incidit in annum vltimum Tiberij, aut in Caligulæ initia, videlicet in annum Christi trigesimum octauum. Inde Paulus Tarsum proficiscitur. hinc in Syriam rediit, regnante Claudio, cùm Herodes Agrippa mortuus esset, & in Seleucia & Cypro docuit. Ex Syria rediit Ciliciam. inde rediit Antiochiam, & inde mittitur ad synodum Apostolorum, cuius mentio fit Actorum capite decimo quinto, quæ synodus incidit in annum CHRISTI quinquagesimum primum, qui fuit annus Claudij nonus, & à cõuersione Pauli decimus sextus.

Ideo Paulus scribit se post quatuordecim annos rursus Hierosolymã venisse, vt ibi cum præcipuis viris de doctrina colloqueretur. Habita hac synodo Paulus rediit in Lystram, & sibi Timotheum adiunxit, anno decimo septimo suæ conuersionis. Eodem anno liberatus à carcere discessit ex Philippis ad vrbem Thessalonicam, & cùm à Iudæis contra eum plebecula concitaretur, à nobilioribus protegitur. Inde Athenas nauigauit. Ibi amplexus est eius doctrinã Dionysius Senator Areopagita. Inde Corinthum venit, anno suæ cõuersionis decimo octauo, vbi integrum annum cum sex mensibus commoratus est. Corinthi conscripta est epistola Pauli ad Romanos, circiter vigesimum annum à conuersione. postea rursus in Asiam nauigauit, & Ephesi biennio cum tribus mensibus commoratus est. Adiit & Laodiceam, vbi conscripta est epistola prior ad Timotheum: nam secunda scripta est dum Romæ in vinculis esset, vt libro temporum Beda tradidit, & Eusebius probat. Inspexit & Galatarum Ecclesias, vt Actorum decimo nono describitur: deinde rediit ad Europam, ac in Philippensi vrbe scripsit duas epistolas ad Corinthios. Rursus ex Philippis in Asiam nauigauit, anno suæ cõuersionis vigesimo quarto, quo tẽpore Neronem rexisse Romanum imperium annorum ratio ostendit. Eius nauigatio in Paschate inchoata est, & (vt in Actis habetur) voluit Paulus ante Pentecosten Hierosolymam venire, quò cùm venisset, captus tota æstate circunducitur. proxima hyeme Romam nauigat, cùm itinere tres menses in insula Melite Paulus & cæteri, qui simul vehebantur, commorati essent. Romæ in libera fuit custodia, donec postremo Neronis anno, capite truncatus interiit, quod Philippus Melanchthon latiùs prosequitur. Carion Paulum prædicasse CHRISTI

Euangelium quatuor & triginta annos scripsit. Ad Tiberium redeamus. Tertullianus in Apologetico scribit Pilatum de Christianorum dogmate ad Tiberium retulisse, vt ex epistola Pilati ad Tiberium in anacephalæosi Hegesippi constat. Tiberium verò, Senatũ omnium, quæ à Pilato acceperat, certiorem fecisse, id enixè agens, vt inter cætera sacra Christiani reciperentur, & Tiberiũ sæpe accusatoribus Christianorum mortem interminatum, Olympiade ducentesima tertia, Eusebius in historiis prosequitur. sic apud Eutropium in annalibus Senatorum Romanorum extat epistola Lentuli ad Tiberium, qua CHRISTI figura, miracula, & dogmata latissimè conscribuntur, quod & Nicephorus libro primo capite quadragesimo tractat. Anno Tiberij vigesimo primo, Olympiade ducentesima tertia, nascitur Volaterris Persius Flaccus, satyricus poëta, & moritur Olympiade ducentesima decima, anno ætatis suæ vigesimo nono, vt Cassiodorus & Eusebius in historiis annotarunt, anno ab vrbe cõdita septingentesimo sexagesimo octauo. Tiberius Cæsar mathematicos vrbe expulit, vt in Tiberio Suetonius, rubrica trigesima sexta prosequitur, ea potissima ratione, vt in secundo Tacitus tradidit, quòd hoc hominum genus petentibus infidum, sperantibus fallax videretur. Nouissimo loco in Campania in villa Luculliana, anno suæ ætatis octauo & septuagesimo, decimo septimo calendas Aprilis intercluſa anima mortalitatem expleuit, anno ab vrbe condita septingentesimo octuagesimo nono, consulibus Acerronio & C. Portio Nigro, anno verò CHRISTI trigesimo octauo. Mortuo Tiberio, Caius Cæsar Caligula imperio Romano præficitur, anno à creato orbe quater millesimo primo, ab vrbe verò condita septingentesimo octuagesimo nono, anno

CHRISTI trigesimo nono. Rexit Romanum imperium annos tres, menses decem, natus ex parentibus, qui excelluerunt naturæ bonis. Eius auus Drusus frater Tiberij fuit, qui in Germania accepto vulnere periit. pater fuit Germanicus, omni virtutis genere cumulatissimus. Rexit Germaniam, deinde Armeniam. Ex his auo & patre natus est Caligula, tæterrima bellua, qui cùm passim ab omnibus Germanici filius scribatur, Eutropius tamen illum Drusi priuigni Augusti filium mauult. Voluit Caius Caligula adorari, & statuam suam misit collocandam ad templum Hierosolymitanum, vt Philippus Melanchthon tradidit. Philo tamen Iudæus & Eusebius scribunt, toto Romanorum imperio demptis Iudæorum synagogis imagines & aras Caio Cæsari consecratas. Anno postea Christi quadragesimo, & ab vrbe cõdita septingentesimo nonagesimo primo, Pontius Pilatus calamitatibus omnibus obnoxius sibi mortẽ consciuit, vt Cassiodorus annotauit: Eusebius in Ecclesiastica historia libro secundo, capite septimo, Pilatum scribit non excusandum, quòd cùm DOMINI resurrectionem agnouisset, eam perfidiosè credere neglexerit: nam ex epistola Pilati ad Tiberium conscripta resurrectionem DOMINI apertissimis probationibus testatus est, vt libro decimo octauo Iosephus latiùs prosequitur. Eodem anno Publio Cotta, & Nerua consulibus, Mathæus (vt Eusebius vult) tum primùm Euangelium scripsit. De his, quæ durante illius Caligulæ imperio gesta sunt, satis. Ad eum redeo. Tranquillus in Caligula ait, Caius princeps inaudita prodigalitate omnium prodigorum ingenia superauit, commentus nouum balneorũ vsum, portentosissima genera ciborum atque cœnarum: vt calidus frigidísque vnguentis lauaretur, precioſissimas margari-

tas aceto liquefactas ſorberet, conuiuis ex auro panes, & obſonia apponeret: aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem. Quinetiam nummos non mediocris ſummæ è faſtigio baſilicæ Iuliæ per aliquot dies ſparſit in plebem. In extructionibus prætoriorum, atque villarum omni poſthabita ratione, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe fieri negaretur. Et iactæ itaque moles infeſto ac profundo mari, & exciſæ rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & cõplanata foſſuris montium iuga, incredibili quidẽ celeritate, cùm moræ culpa capite lueretur. Hũc videtur natura edidiſſe, vt oſtenderet, quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent. centies ſeſtertiũm cœnauit vno die, & in hoc ſceleratorũ omniũ adiutus ingenio, vix inuenit quo modo triũ prouinciarum tributũ vna cœna profunderet. Immẽſas opes, totúmque illud Tiberij Cæſaris, vicies ac ſepties millies ſeſtertiũm non toto vertente anno abſumpſit. Vicies & ſepties millies ſeſtertiũm nomiſmate noſtro ſexagies ſepties millies mille aureos, & quingenta præterea millia valuerunt: lingua noſtra hæc ſumma efficit, ſoixante & ſept milliõs cinq cens mille eſcus couronne. *hic* Caligulæ nomen ſortitus traditur, quia cùm in caſtris natus eſſet, cognomentũ calciamenti militaris, id eſt caligulæ (qua frequenter vtebatur) accepit. Primus diademate capiti impoſito Dominum ſe iuſſit appellari, vt Aurelius Victor annotauit. Anno ſuæ ætatis vigeſimo quinto à Celeribus ſuis in palatio, Phereo tribuno militum authore confoditur, vt Tranquillus, Tacitus, & Euſebius tradiderunt. Extincto Caligula, Claudius Romani imperij ſceptra moderatur, anno ab orbe creato quater milleſimo quinto, ab vrbe condita ſeptingenteſimo nonageſimo tertio, anno verò Chriſti quadrageſimo tertio. Regnauit annos

uit annos tredecim, menſes octo, dies viginti, patre Druſo, Caligulæ patruus ad imperium aſciſcitur anno ætatis ſuæ quinquageſimo, & moritur in palatio anno ſuæ ætatis ſexageſimo quarto. Anno ſui imperij ſecundo D. Petrus cùm primùm Anthiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, & hîc initiũ ſumit Romana Eccleſia, ob id prior dignitate, licet Antiochena fuerit prior tempore. Petrus, qui & Simon, & Cephas dictus eſt, filius fuit Ioannis ſiue Ionæ, frater Andreæ, qui ex piſcationibus in mari Galilææ victum quæſiuit, literarum rudis fuit, ciuis Capernaita: nam ibi ſocrum habuit, vt Mathæi octauo continetur, & poſtea ſoluit didragma exactoribus. Non autem eum poſtremũ inter alios Apoſtolos fuiſſe, hiſtoriæ ſacræ teſtãtur: nã à CHRISTO in montem ducitur vnà cum Iacobo & Ioanne, éſtq; ſpectator admirãdæ Chriſti transfigurationis, vt Mathæi decimo quarto, Marci nono, Lucæ nono continetur. Iuſſu CHRISTI piſcem capit, in cuius ore, vt prædixerat DOMINVS, ſtaterem inuenit, Mathæi decimo ſeptimo. Celeberrimam confeſſionem de CHRISTO, tum ſuo, tum reliquorum Apoſtolorum nomine, edidit. Cùm enim IESVS in partibus Cæſarææ Philippi verſaretur, interrogat eos, quém nam dicerent homines Meſſiam eſſe. Alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex prophetis. Rurſus interrogauit eos, at vos, quem me eſſe dicitis? tum Simon Petrus vnus pro omnibus reſpondit, Tu es CHRISTVS filius DEI viui. Alio tempore CHRISTVS ſermonem habet de clauibus, ſeu remiſſione peccatorum. Ibi Petrus quærit quoties fratri aduerſus ſe delinquenti debeat dimittere, ſatis ne id ſit ſepties id feciſſe: reſpondit IESVS, non dico tibi ſolùm ſepties,

ſed ſeptuagies ſepties, Mathæi decimo octauo. Porrò in horto propiùs ad illud mirandum certamen adducitur, in quo CHRISTVS *cum morte luctans ſanguineas guttas effudit: auſus eſt poſtea domum Pontificis intrare, & obſeruare quém nam exitum illa tragœdia cum* CHRISTO *habitura eſſet, Mathæi vigeſimo ſexto, Marci decimo quarto, Lucæ duodecimo, Ioannis decimo octauo. Facta reſurrectione, Angeli mulieribus ex mandato Domini præcipiunt, vt Petro hoc Euangelium vel in primis annuntiaretur,* IESVM *nempe reſurrexiſſe, Marci decimo ſexto. Ardens Petri fides in* CHRISTO *ſatis aperitur, cùm Petro aliiſque in mari Tiberiadis fruſtra piſcantibus per integram noctem, & manè ſubducentibus nauem ad littus,* CHRISTVS *in littore apparet, nemine eum cognoſcente, quærens num aliquid eſcæ haberent: id cùm negaſſent, iubet eos ad dexteram nauigij rete mittere, quod vbi feciſſent, centum quinquaginta tres piſces capiunt, quare motus Ioannes indicat* DOMINVM *eum eſſe. Petrus eo audito mox inſiliens in aquam, vt erat nudus, ad littus enatat, alij nauicula paulatim appulerunt. Alibi Dominus ſumpto cibo ad Petrum ſeorſum inſtituit ſermonem, Simon, inquit, diligis me? & cùm* IESVS *de regno* DEI *verba faceret, Petrus inter alios erumpit, ſe cum cæteris Apoſtolis reliquiſſe omnia, cui* CHRISTVS *reſpondet in futura vita compenſationem expectandam eſſe, Mathæi decimo nono. Sic poſt cœnam cùm* CHRISTVS *vellet Apoſtolis lauare pedes, Petrus negat ſe admiſſurum, vt* CHRISTVS *ſibi pedes lauet. poſtremò de ſua paſſione* CHRISTO, *ad quam modò ſe accingeret, concionante, Petrus præ aliis de ſua conſtantia prædicat, &* CHRISTVM *quaſi mandacij arguit, ſe omnino vel mortem cum ipſo paratum eſſe ſubire. Non diu pòſt contra* CHRISTI *interdictum, gladio vtitur, & auriculam Malcho pontificis miniſtro amputat. Romam Apoſtolum Petrum veniſſe Irenæus libro ſecundo, capite primo clarè affirmat. Petrum Romæ Euangelizaſſe, eámque eccleſiam fundaſſe & conſtituiſſe eo tempore quo Mathæus ſcripturam edidit Euangelij, Origenes tertio tomo in Geneſim teſtatur, cùm inquit, Petrus in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, & Aſia diſperſis Iudæis prædicaſſe videtur, qui & circa vitæ finem conſtitutus Romæ, capite demiſſo cruci eſt affixus, eo quòd ipſe hunc paſſionis modum expetiuit. Idem & Euſebius pluribus in locis adſtruit, ſub Claudio Petrum Romam eſſe profectum. Longã narrationem de rebus, quas Petrus Romæ geſſit, & quo mortis genere tandem vitam amiſerit, Hegeſippus libro tertio capite ſecundo excidij Iudaici retexit. Caſſiodorus Syluano & Othone cõſulibus, Petrum & Paulum à Nerone trucidatos author eſt, quod Eutropius, & omnium enixiſſimè in prima perſecutione Chriſtianorum Oroſius libro ſeptimo capite quinto tradiderunt: & Auguſtinus de Ciuitate Dei libro decimo octauo, capite quinquageſimo ſecundo. Tertullianus in Apologetico. Philippus Melanchthon in Domitio Nerone. Claudij imperij anno tertio, Marcus Euangeliſta interpres Petri in Aegypto, & Alexandria* CHRISTVM *annuntiat, vt hiſtoria Eccleſiaſtica libro ſecundo, capite tertio & quarto proſequitur. Lucas in Actis capite duodecimo inquit Petrum noctu à carcere liberatum veniſſe ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, vbi erant multi congregati orantes. Paulus ſe-*

cunda ad Timotheũ capite quarto, ſcribit, Marcum aſſume, & adducte cũ: eſt enim mihi vtilis in miniſterio. Teſtificatur & Paulus in Epiſtola ad Philæmonem, Marcũ vnà ſecum Romę tẽpore Neronis fuiſſe. ſic in Epiſtola ad Coloſſenſes capite quarto ſcribit, ſalutat vos Marcus cõſobrinus Barnabę. Alexandriæ octauo Neronis anno mortuus eſt & ſepultus, vt Hieronymus libro de viris illuſtribus narrat, Olympiade ducenteſimâ ſexta, vt Euſebius ſcribit: MARIA Virgo Mater CHRISTI vita functa eſt Claudij Imperatoris tempore, cùm, vt Nicephorus ſcribit, annum ageret nonum & quinquageſimum. fuit ergo ſuperſtes poſt reſurrectionem Chriſti, & vidit initia naſcentis Eccleſiæ, multa miracula, & ſupplicia Sanctorum, & conſiliis ſuis rexit Apoſtolos. Theodorus Bibliander mortem Beatæ Virginis reiicit ad quintum annum imperij Claudij, quo tempore concilium Apoſtolorum Hieroſolymis celebrabatur, in quo legis Moſaicæ abrogatæ ſunt ceremoniæ, & ſyncerrimus Chriſtianiſmus ab Eccleſia DEI receptus. Narrat Nicephorus Mariam vndeſexageſimum annum vixiſſe, & in domo Ioannis Euangeliſtæ ad montem Sion ſita defunctam, & in eius interitu miraculoſè conueniſſe omnes Apoſtolos. Figura corporis Virginis Mariæ latè à Nicephoro libro ſecundo, capite vigeſimo tertio deſcribitur. Anno poſtea CHRISTI quinquageſimo quarto, & imperij Claudij duodecimo, Philippus Apoſtolus CHRISTI dum apud Hierapolim Aſiæ ciuitatem Euangelium DOMINI enuntiat, crucifixus, lapidibus obruitur. Eandem fuiſſe cum Petro & Andrea & Philippo patriam Bethſaidam vicum, Ioannes capite primo clarè teſtatur. ac de vocatione Philippi ad apoſtolatum addit, CHRI-

STVM poſt conuerſos & conuocatos Simonem & Andream abiiſſe in Galilæam, ibíque ad Philippum dixiſſe, ſequere me, exinde verò Philippum in conuictu cum CHRISTO ſemper fuiſſe auditorem & ſpectatorem admirandorum operum, & quod in monte ad mare Tiberiadis confirmandi Philippi gratia CHRISTVS de ratione paſcendi immenſam multitudinem conſilium cum Philippo cepiſſe ſexto capite Ioannis edocuit: & moti miraculo paulo antè à CHRISTO Lazari reſuſcitati Gentiles IESVM videre cupientes, Philippum accedunt, qui re cum Andrea deliberata hoc IESV nuntiat, Ioannis capite duodecimo: & CHRISTVS Philippum in concione à cœna ſe interpellantem ac dicentem, DOMINE oſtende nobis patrem, reprehendit, Philippe qui videt me, videt & patrem, Ioannis decimo quarto. hanc igitur rationem conſuetudinis Philippi cum CHRISTO ante paſſionem & reſurrectionem fuiſſe Ioannes indicat. Conſtat ex ſcriptura alium fuiſſe Philippum, cuius meminit Lucas in Actis capite ſexto, octauo, & duodecimo. Narrat Lucas cùm in diſperſione diſcipulorum & fratrum Hieroſolymis, cùm alij in alias terras Euangelium prædicaturi exirent, Philippum in Samariæ ciuitate magna cum authoritate & fructu concionatum eſſe, & miraculis, quibus ſpiritus immundos expulerit, & claudos & paralyticos ſanaret, admodum claruiſſe. ſic & Lucas Actorum ſexto ait, iudicio duodecim Apoſtolorum lectos eſſe ſeptem viros ex fratribus ſecretos, non ex Apoſtolis Diaconos, quos de numero ſexaginta duodecim diſcipulorum fuiſſe Epiphanius libro primo ſcripſit. ideo alium fuiſſe Philippum eum, qui Apoſtolus, aliúmque eum, qui Diaconus fuit, neceſſe eſt. Et hæc de

Philippo, qui incidit in tempus Claudij, adiicere volui. Dum in Claudij imperatoris tempora & historiam incidimus, nihil omittatur quod ad Ecclesiasticam historiam pertineat, ad Claudium redeo. Anno sexto Claudij Thracia hucusque regnata in Romanorum prouinciam redigitur. Claudius Romæ de Britannis triumphauit, & Orcadas insulas Romano adiecit imperio, in cuius rei memoriam filium suum Britannicum appellauit. Postremò cùm Agrippinam Germanici fratris sui filiam connubio sibi iunxisset, quæ proprio filio imperium enixissimè procurabat, primò priuignum insidiis, dehinc ipsum coniugem veneno sustulit, cuius funus (vt quondã in Tarquinio Prisco) diu occultatũ, dum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulant, Domitius Nero imperij infulis ornatur. Mortuo Claudio, anno mundi quater millesimo decimo nono, vt Philippus Melanchthon supputauit, Theodorus Bibliander anno quater millesimo trigesimo tertio mauult, Eusebius Olympiade ducentesima vigesima ait, anno ab vrbe condita octingentesimo septimo, consulibus Syllano & Antonino, anno verò CHRISTI quinquagesimo septimo, Domitius Nero anno ætatis suæ decimo septimo à militibus Imperator creatur, cùm tantundem pecuniæ eis obtulisset, quantum Claudius dederat, videlicet singulis trecentos quinquaginta coronatos. vixit annos triginta, menses nouem. Cassiodorus tamen & Aurelius Victor trigesimo secundo suæ ætatis anno eum vita functum tradiderunt. Regnauit annos tredecim, mẽses octo. Iste quinquennio boni Imperatoris officia exequutus est, ideo scriptum est Traianum solitum dicere, procul distare cunctos principes à quinquennio Neronis. Pontum in ius prouinciæ, vt Eusebius annotauit, redegit: eo postea dedecore vitam transegit, vt neque suæ pudicitiæ rationem habuerit. Matrem stupro appetiit, eámque postea vita priuauit. Octauiam, & Sabinam matrimonio sibi iunxit, viris earum necatis. Octauiam, vt Eusebius vult, interemit. Britannicum decimum quartum annum agentem veneno sustulit, vt rubrica trigesima tertia in Nerone Suetonius latiùs prosequitur, & latissimè Cornelius Tacitus. Clari hoc tempore habebantur Musonius & Plutarchus philosophi, & Lucius Anneus Seneca Cordubensis, Neronis præceptor, & Lucani poëtæ patruus, qui incisione venarum & veneni haustu periit. Flauius Iosephus scriptor historicus dux belli Iudaici, cùm in Romanorum potestatem deiectus esset, Vespasianum admonet imminentis Neroni periculi, & futuri ad se prominentis imperij. hic Vespasianus Neronis vices gerens Iudæos exitiali bello perdidit, secundum prædictionem Danielis. Hic Nero tæterrima bellua in Christianos omni genere pœnarum tyrannidem exercuit, & cùm eius mandato maior pars vrbis incendio sex diebus flagrasset, vt similitudinem ardentis Troiæ conspiceret, vt illius incendij inuidiam aboleret, falso authores Iudæos, quo nomine Christiani comprehendebantur, huius incendij appellauit, & exquisitissimis pœnis afflixit. Suetonius rubrica decima sexta vnà cum Tacito afflictos suppliciis Christianos superstitiosum genus hominum appellat. Sed Tertullianus in Apologetico in eos maximè inuehitur, qui nostram veram CHRISTI religionem execrabilem superstitionem appellant, nescientes veram religionem à superstitione discernere. Sub id tempus vastata Italia, prouinciæ euersæ, Iulius Vindex Galliæ præses vir bonus & fortis non toleranda Neronis scelera palàm ostendit, præsertim cùm & Gallia nouis expilationibus oneraretur, & facilè

perſuaſit vniuerſæ Galliæ, vt à Nerone deficeret. Defecerũt & à Nerone Germanici exercitus. Anno CHRISTI ſexageſimo tertio, dum Romæ Nero Romanum lacerat imperium, Hieroſolymis Iacobus filius Alphei Epiſcopus Eccleſiæ in Hieroſolyma collectæ, lapidibus obruitur ſæuitia Ananiæ ſummi ſacerdotis, & ſi non licebat Iudæis aliquem ſummo afficere ſupplicio, tamen abſente præſide multùm valuit authoritas Põtificis, præſertim cùm omnia ſeditionibus æſtuarent: erat enim mortuus Feſtus, qui Felici in adminiſtratione ſucceſſerat, & nondum aduenerat Albinus. hæc acta fuerunt anno decimo ante excidium Hieroſolymæ, anno Neronis ſeptimo. Conſtat ex diuina hiſtoria duos fuiſſe eiuſdem nominis CHRISTI diſcipulos, quorum alterum Iuſtum & Domini fratrem, item Minorem & Iacobum Alphei dictum: alterum Zebedæi, & fratrem Ioannis dictum. ſed de Iacobo Alphei ſeu Iuſto incidit ſermo. hic frater DOMINI dictus eſt. alij propter conuictum & conuerſationem, quam cum CHRISTO habuit, illud nomen ſortitum exiſtimant: alij ideo fratrem DOMINI dictum exiſtimarũt, quòd & forma corporis & moribus Chriſto fuerit quàm ſimillimus, vt decimo quarto capite Marci continetur. Sophronius Mariæ ſororis matris DOMINI filium fuiſſe probat, quod & Hieronymus in enarratione epiſtolæ ad Galatas ſcribit, & in libro, quem aduerſum Heluidium ſcripſit, prolixè oſtendit Iacobum Alphei ex Maria Cleophe genitũ, ſícque conſobrinus CHRISTI fuit. Iuſtus dictus eſt ob virtutis prærogatiuam, vt Euſebius ait. fuit filius Alphei & Mariæ ſororis, ſícque conſobrinus Domini, & more Iudæorum frater domini appellatus. Minor dictus eſt ad differentiam alterius Iacobi Apoſtoli filij Zebedæi, qui Maior ideo

ideo dicebatur, quòd prior eius fuerit vocatio. Quæ omnia latiùs Hieronymus proſequitur. Paulus primo capite ad Galatas ait, alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem DOMINI. Euſebius libro quarto capite quinto, & in chronico Iacobum primum Hieroſolymorũ Epiſcopũ ab Apoſtolis ordinatum ait, anno CHRISTI trigeſimo quarto, anno verò Tiberij decimo nono, quod & Beda & Nauclerus probarunt. Hieroſolymis tantæ eum ſanctitatis & authoritatis in populo fuiſſe Euſebius retulit, vt fimbriã veſtimẽti eius certatim cupierint attingere. præfuiſſe eum Epiſcopatui Hieroſolymorum per triginta annos ex Euſebij ſupputatione apparet, quod & Sophronius & Nauclerus teſtantur. Mortuo Iacobo, frater eius Simeon Epiſcopus Hieroſolymæ factus, vixit vſque ad Traiani tempora. functus Epiſcopi officio plus quadraginta annis, eduxit Eccleſiam ex Hieroſolymis aliquantò ante obſidionẽ trans Iordanem in Pellam oppidum. Sophronius Simeonem fratrem Iacobi fuiſſe indicat. ſic Simeonem Alphei ex Maria Cleophe filium fuiſſe oſtendunt recentiores. Euſebius libro tertio capite vndecimo, Simeonem Cleophæ filium exiſtimat, & Cleopham Ioſephi fratrem oſtendit, quod & Hieronymus voluit in enarratione de Beato Paulo. Siue igitur frater, ſiue ſobrinus, ſiue patruelis CHRISTI Simeon fuerit, Chananæum eum decimo capite Mathæus, & Lucas Act. capite decimo Zelotem vna & eadem appellatione dicunt: Chana quippe Zelus interpretatur. Nicephorus Simeonem Euangelium per Aegyptum, Cyrenem, Aphricam, Libyam & regiones ad occidentalem Oceanum ſitas propagaſſe, & per inſulas Britannicas author eſt. de Epiſcopatu eius hæc Euſebius libro tertio capite vndecimo, & libro quarto

capite vigesimo secundo tradidit. Eum in synodo omnium Apostolorum discipulorúmque, qui post martyrium Iacobi & expugnationem Hierosolymorum superstites fuerunt, communibus suffragiis, quòd cõsobrinus Saluatoris esset, Ecclesiæ Hierosolymitanæ gubernatione dignum iudicatum, in qua præfuisse eum annos septem & quadraginta ex Eusebij chronico legitur. Non tamen Episcopum eum Hierosolymis, Iacobíq; successorem creatum omnes fatẽtur, qui tamen volunt successorem Iacobi in Apostolatu fuisse Simeonem aliquem ex numero discipulorum septuaginta. De martyrio eius Eusebius libro tertio capite trigesimo secundo ad hunc modum recẽsuit. Post Neronem, inquit, ac Domitianum sub Traiano imperatore rumor est singulatim, & per ciuitates per seditiones populares motam esse contra nostros persecutionem, in qua Simeonem Cleophæ filium, quem alterum fuisse Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum significamus, martyrio vitã finisse accepimus, & huius rei Hegesippus testis est. Philippus Melanchthon, Iacobum & Simeonem ex vna matre sorore Virginis Mariæ natos scripsit, sed diuersis patribus: Iacobus enim Alphei filius, Simeon verò Cleophæ filius fuit. Ad Neronem redeo. Laudabat Nero mirabatúrque auunculum Caium Caligulam nullo magis nomine, quàm quòd ingentes opes breui spatio prodegisset. Ille nec largiendi nec absumendi modum tenuit. Tacitus libro decimo septimo de Galba loquẽs ait, bis & vicies millies sestertiũm donationibus Nero effuderat, Galba appellari singulos iussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. at illis vix decumæ portionis aliqui reliquit erat. Igitur Nero quatuordecim annis, quibus in imperio fuit, bis & vicies millies sestertiũm donationibus effudit, id est quingenties & quinquagies centena millia aureorum nostrorum, quæ si ad vernaculam linguam nostram referantur, Cinquante & cinq millions d'escus, *efficient*. Accedit ad inenarrabilem huius belluæ prodigalitatem, quæ in Tyridatem regem Armeniæ, qui visendi Neronis gratia Romam aduenerat, octingenta nummũm millia diurna erogauit, quæ nomismate nostro & lingua vernacula nostra efficient, à trente & cinq solz pour escu, vingt mille escus pour iour. Abeunti verò regi super sestertiũm millies contulit: quæ pecuniæ summa si ad nomisma nostrum & linguã nostram referatur, efficiet summam, de deux millions cinq cens mille escus. hæc Tranquillus. Nullam vestem bis induit. sed de his satis. Pudet me horum tyrannorum impiè gesta recensere. Cæterorum duodecim Cæsarum, scilicet Galbæ, Othonis, Vitellij, Vespasiani, Titi, & Domitiani vitas ex Suetonio require. Dion postea Neruæ, Traiani, Adriani, historias conscripsit. sed vt nihil, quod ad historiæ enarrationem pertineat, omittamus, maximè in immutationibus rerum, id sciendum est, Adrianum Antoninum, qui postea Pius dictus est, adoptasse, ea scilicet lege, vt ille sibi duos adoptaret successores, Aelium scilicet Verum, & Marcum Antoninum. Hi sunt duo, qui postea pariter Augusti Rempublicam primùm rexere, quod Spartianus fusiùs prosequitur. Iulius Capitolinus scribit Romæ incendium fuisse tẽporibus Antonini Pij, quod trecentas quadraginta domos absumpsit. fuit & tunc inundatio Tyberis. ad rem redeo. Spartianus Aelij Veri historiam adiecit. Iulius Capitolinus Antonini Pij, & Antonini Philosophi, & Veri imperatorum gesta eleganti stilo posteris reliquit. Aelius Spartianus Didij Iuliani historiam quoque scripsit. Aelius Lampridius Com-

modi Antonini vitam literis mandauit. Iulius Capitolinus Pertinacis gesta conscripsit. Vulcatius Gallicanus Auidij Cassij vitam nobis reliquit. Aelius quoque Spartianus Seueri, Pescentij Nigri, Antonini Caracallæ, Antonini Getæ vitas edocuit. Aelius Lampridius Antonini Heliogabali, & Antonini Diadumeni historias recenset. Iulius Capitolinus Opilij, Macrini, Claudij, Albini, Maximini, Gordiani, Maximi & Balbini vitas contexuit. Reliquorum imperatorum historias Baptista Egnatius Cussinianus, & plerique alij posteris reliquerunt. Illud non omittendum existimaui, quod Lampridius in Heliogabalo tradidit, cùm iam Antonini nomen Cæsaribus multis annis commune fuisset, in Heliogabalo finem habuisse: neque post eum hoc nomen in Republica loco principum frequentatum est, & si qui Antonij dicti sunt, non tamen Antonini. Cûmque senatus Alexandro Seuero sacrum nomen Antonini obtulisset, Alexander Seuerus respondit, Antoninorum nomen vel iam numen potius quale fuerit, meminit senatus: si pietatem, Quid Pio sanctius? si doctrinam, Quid Marco prudentius? si innocentiam, Quid Vero simplicius? si fortitudinem, Quid Basiano fortius? Nam Commodi meminisse noluit, qui hoc ipso deterior fuit, quòd cum illis moribus Antonini nomen obtinuerit. Diadumenus autẽ nec tempus habuit nec ætatem, ideo dicebat Alexander, ego Patres conscripti idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, non quòd me huius nominis pudeat, sed primùm displicet alienæ familiæ nomen assumere, deinde quòd grauari me credo. Vsque ad horum imperatorum tempora excreuit Respub. Romana, septem scilicet regum opera per annos ducentos & tres supra quadraginta, non amplius quàm vsque ad Portum & Hostiã intra

octauum & decimum milliarium Romanum processerat imperium: sub consulibus autem, inter quos nonnunquam dictatores fuerunt, & decemuiri, ac tribuni militares, per annos septem supra quadraginta & quadringentos vsque trans Padum Italia capta est, Africa, Hispaniæq; subactæ, Gallia, & Britannia tributariæ factæ sunt, Illyrici, Histri, Liburni, Dalmatæ sunt domiti, ad Achaiam transitum est, Macedones subacti, cum Dardanis, Mesis & Thracibus est bellatum, ad Danubium vsq; peruentum, in Asia pulso Antiocho primùm pedem posuerunt Romani. Mithridate victo regnum Ponti captum est, & Armenia minor, quam idem tenuerat armis, Romanis obuenit, in Mesopotamiam Romanus peruenit exercitus, cum Parthis fœdus initum, contra Carduenos, Sarracenos, ac Arabes pugnatum est. Iudæa omnis victa, & Syria & Cilicia in populi Romani ditionem deiectæ, Aegypti reges fœdera acceperunt: sub imperatoribus autem ab Diui Augusti imperij initio ad Theodosij superioris & Arcadij & Honorij tempora per annos quadringentos & quadraginta sub diuersa populi Romani fortuna multi principes imperarunt. Cantabri, & Astures, & Hispani ab ipso Octauio superati, Alpes maritimæ, Cocciæq; & Rhetiæ, Noricum, Pannoniæ & Mesiæ Romano populo accesserunt, omnis ora Danubij in prouincias redacta traditur, Pontus omnis & Armenia maior, Mesopotamia, Assyria, Arabia, & Aegyptus in imperij Romani iura conces-serunt. Et sic Roma, quæ sub Regibus serua nata est, libertatem sub consulibus nacta, bellis lacerata ciuilibus circa septingentesimum annum vni Domino Cæsari colla submisit. Ipsa autem imperij inclinatio initium habuit à Gothorum in vrbem Romam irruptione, cùm, potentia crescente, superbia &

diuitiæ virtutem Romanorum superassent. Ea gens, quæ pro Getica dicta est Gothica, à Scythis originem habuit. Scythas verò primos in Europa sub Septentrione & ad Tanaim limitem, feros & paratissimos ad mortem omnium scripta testantur. hos Gothos à Lucullo Romanorum duce primùm victos, & à Mesia pulsos author est Blondus: cuius tamen pugnæ Paulus Orosius non meminit. sic & Gothos ab Octauio pacem per legatos petiisse author est Orosius. Postquam legiones fere decem in illos misit, eorúmque opes vsque adeo attriuit, vt ex ducentis millibus militum ad quadraginta millia copias eorum redegerit, ac parum abfuerit quin gẽtem totam imperio subderet Romano. Cornelius Tacitus scripsit tempore Domitiani, Oppium Sabinum primum, & postea Fuscum Cornelium Romanorum duces cõgressos cum Gothis, & copias amisisse, nec tamen Gothis incruenta victoria fuit. Domuit postea Gothos, & ex Romanis prouinciis expulit Traianus, sed in suis Barbarici soli prouinciis, in quibus quiescere promiserant, dimisit intactos, quos anno postea ferè nonagesimo, Antonius Caracalla in orientem cum exercitu transiturus, tumultuariis præliis superauit. Pariter anno, qui secutus est, vigesimo, Gordianus Iunior Gothos ad Danubium venire parantes magis repulit leui prælio fusos, quàm clade illata insigniter superauit, vnde factum est, vt gens illa ferox anno exinde octauo, Philippi imperatoris tempore in Romani soli prouincias irruperit, à qua Mesia & Thracia miserrimè vastatæ, cum qua Varus & Volusianus fœdus percusserunt. Hi ambo imperatores mox eo icto fœdere, & secundo anno post quàm cœperunt imperare, perierunt, quibus sublatis secuta infelicissima Valeriani tempora: namque in

vinculis Saporis Persarum regis tunc agente, Gothi Bithyniam inuaserunt, illiúsque ciuitatibus deletis, Nicomediam graui clade lacerarunt, exinde Thraciis occupatis Macedoniáque vbique vastata, Thessalonicam obsederunt. sed cùm Macrini ducis virtute iidem Gothi in Achaia superati essẽt, alia Gothorum manus Asiam populatur, qua in grassatione templum Dianæ Ephesiæ spoliatur, & igne absumitur. Repressit Gothorum audaciam mox latiùs vagaturam Claudius imperator, eius nominis secundus, qui plura biennio quàm quisquam Romanorum principum decennio, summa felicitate confecit. Hic omnem Gothorum exercitum ad omnium quasi internitionem deleuit, quem ob rem bene gestam senatus statua aurea & clypeo æquè aureo ornauit: quorum in Capitolio, illa: hic in curia constituuntur. Aurelianus item princeps fortissimus Canabum regem Gothorum nouos vltra Danubium motus parantem cum quinque millibus deleuit. Gothi anno postea trigesimo resumptis viribus nouas excitarunt tragœdias. Sarmatiam Europæ Romanorum prouinciã suis conterminatam Scythiæ finibus occuparunt, quos Flauius Constantinus Magnus, non minore quàm Claudius clade profligauit. & tamen idem Constantinus renouato cũ his, qui cladi superfuerant, fœdere, ipsis bello, quod contra Licinium in oriente gessit, est vsus. Continuerunt se Gothi postea tot acceptis à Romanis cladibus maiori ex parte intra Scythicum natale solum, Romanis prouinciis adiacens per annos circiter septuaginta, donec cùm Valens Romano præerat imperio, Visigothi Mesia occupata, Dacię Ripẽsis, Thraciáq; possessoribus commeatum tributáque imperare cœperunt. Valens interea egressus Antiochia anno imperij sui decimo quinto, lachrymabile bellũ in Thracia cũ Visigothis iam

tum exercitatione virium, rerúmque abundantia instructissimis gessit. In eo prælio imperator Valens cùm sagitta saucius versus in fugam, ægrè in cuiusdam pauperis tabernam victus lateret, à prementibus hostibus deprehensus subito igne absumptus est. Tum Gratianus, cui nepoti Valens occidentale commiserat imperium, afflictis rebus prudentissimè consuluit. Nam Visigothos Thraciam, Mesiam, Daciámque possidere perspiciens, & iam Romano imperio imminere, existimans tantam prouinciam non posse solum obire, Theodosium ingenti virtute virum accersitum ex Hispaniis, consortem imperij declarauit, qui cum Visigothis congressus, eos multis ac magnis prœliis attriuit. Vrbem Constantinopolim victor intrauit. Paulò pòst Gratianus imperator Lugduni occisus est, nec diu pòst Theodosius multis rebus præclarè gestis Mediolani immatura morte præuentus est. Arcadium & Honorium filios in imperio successores reliquit. Commiserat Theodosius in imperio florens tres imperij potissimas partes tribus ducibus regendas, Ruffino orientalem, Stilliconi occidentalem, & Gildoni Africam. Iam Visigothi sub Gratiano & Theodosio simul sex annis, & postea sub Theodosio solo vndecim, atque sub Honorio & Arcadio octo annis Reipublicæ Romanæ stipendia meruerant, & eo in tempore nullos gentis suæ reges aliósue duces quàm ab imperatoribus datos habere curarunt: adeò res Romanorũ & Visigothorum familiaritate & amicitia coaluerant, donec anno imperij Arcadij & Honorij octauo, qui fuit salutis Christianæ septimus & quadringentesimus, Visigothi stipendiis commeatúque solitis destituti, relicta Thracia in Pannonias secesserunt, vbi regem (quo per annos viginti quinque caruerant) creauerunt, Alaricum scilicet ex familia Balthorum in

rum in Gothis nobilissima oriundum, cui sese adiunxit Radagastus & ipse Gothorum dux cum ducentis millibus. Prædicti itaque Gothorum exercitus, Thraciam, Pannonias, Illyricum, & Noricum, continentem quoque illi primam Italiæ partem miserandis & aliàs inauditis stragibus, direptionibúsque afflixerunt, quod & pater Hieronymus ad Paulam & Eustochium scribens satis aperit. Hi autem duo exercitus Stillicone & Aureliano consulibus Italiam ingressi, quorum Radagastus Apenninum transgressus, cùm apud Fesulas cõsedisset, obuios habuit Vadim & Sariam, Hunnorum & Gothorum duces, qui ad Romanorum præsidia, vt Orosius scripsit, inclinauerant. Radagastus itaque inops consilij, subito in Fesulanum montem concluditur, & spem fugæ sumẽs clàm suos deseruit, & in hostes incidit, à quibus captus, & paulisper retentus interfectus est. tanta verò multitudo captiuorum Gothorum fuisse refertur, vt in vilissimarum pecudum modum, singulis aureis passim greges hominum venderentur. Interea Alaricus inter Rauennam & Classense oppidum, in loco, qui dicitur Candianum, cõsedit, qui vbi intellexit maximam Gothorum partem, cum eorum rege Radagasto esse deletam, in proximos è regione positos Apennini colles ad Pollentiam vicum recessit, vbi cum Stillicone manus conseruit, acríque commisso prælio eius exercitum Stillicone mortuo fudit, qua victoria Romana militia neruos viréque amisisse traditur. Visigothi Italiam integro anno liberrimè populati sunt, vrbem obsederunt, & nullo qui tutaretur exercitu in vrbe existente, haudquaquam magno, vt Orosius scribit, negotio irruperunt. Hieronymus pater, quem illis temporibus apud Bethleem floruisse historiæ testantur, de obitu Marcellæ ad Principiam virginem scri-

bens, ait, Terribilis de occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutẽ ciuium redimi, spoliatósq; rursum cruciari, & post substantiam, vitam quoque adimi: hæret vox, & singultus intercipiunt verba dictantis. Capitur vrbs, quæ totum cepit orbem. Siue igitur paruo, vt Orosius vult, negotio, siue post passam à Romano populo, vt alij volunt, acerbissimam famem, Visigothi duce Alarico vrbem Romam calendis Aprilis, anno salutis Christianæ duodecimo & quadringentesimo in suam ditionem deiiciunt. Hic annus fuit ab vrbe condita sexagesimus quartus & centesimus supra milesimum. hic fuit inclinationis imperij Romani initium. Profecti vrbe Visigothi tertia die quam ingressi fuerant, Campaniam, Lucaniam, & Brutios populati sunt. fretum postea traiecêre, vt Siciliam diriperent. tempestas coorta prohibuit, quæ nauibus allisis aliquot cohortes absumpsit. Ipsis exinde varias in recedendi, aut iterum vt traiicerent intentandi sententias pendentibus, moritur Alaricus apud Consentiam Brutiorum vrbem. Subrogatur in regem Athanaphus ex Balthorum gẽte Alarici cognatus, cui Galla Placidia primo captæ vrbis die fuerat desponsata, quæ Theodosij superioris fuerat filia, & Arcadij & Honorij tunc imperatorum soror. Huius nuptias apud forum Cornelij celebratas fuisse constat. hæc sua prudentia regem Barbarum summopere deliniuit: nam testatur Orosius paucis post acceptam cladem aut annis, aut mẽsibus, si quis populum Romanum & multitudinem vidisset, & vocem audisset, nullam cladem Romam accepisse arbitratus fuisset, nisi aliquantæ existentes ex incendio ruinæ forte docuissent. Hinc Athanaphus Honorij & Arcadij imperatorum fœdera quæsiuit, & post factas apud forum Cornelij nuptias, omnem emensus Italiam, apud Barchinonem citerioris Hispaniæ concedit. Dum hæ in Italia, & Hispania tragœdiæ excitantur, Atani, Sueui, & Vandali, Gallias aggrediuntur, circumagitur irruptionis Visigothorum in vrbem annus primus, quo tempore Arcadio Constantinopoli diem functo successit Theodosius minor eius filius. Tunc Honorius à Visigothorum agitatione respirans (Nam apud Barchinonem & citerioris Hispaniæ loca quieti sedebant) tyrannos tollere statuit, spe adductus, vt his sublatis facultas fieret cæteram barbariem opprimendi, cui morbo omnem medicinam adhibuit vsque ad tertium annum, quo declinauerat imperium. Quo tempore tot támque variis aut tyrannis aut inobedientibus ducibus magna felicitate sublatis, adducitur Honorius in spem posse instaurare collapsam occidentalis imperij dignitatem, & in Visigothos destinauit expeditionem, quòd ea gens proximiora Hispaniæ citerioris loca teneret. vnde in ipsam ex Italia facilius exercitus mitti possent. Qua gente deleta, Alanos, Vandalos, Francos, & Burgundiones, & Sueuos, remotiora colentes imperij loca, & inter se non conuenientes, ad imperij cultum reuocare facillimum existimabat. Reparato igitur apud Arelatum vrbem Galliæ exercitu, à Constantio, quem militiæ magistrum Honorius declarauerat, breui magna rerum gerẽdarum industria, Athanaphum Visigothorũ regem omni ora Galliarũ & citerioris Hispaniæ maritima cõmeatu intercluſit, Narbonáque relicta in vlteriorem Hispaniam fugere coëgit. vnde in tantas adductus difficultates Athanaphus, vires reparare conatus est, sed sui Visigothi indignè ferebant, eum Gallæ Placidiæ vxoris blanditiis delinitũ, triennio antè acto temperasse bellis, in quibus facilè poterat Honorium imperatorem tyrannorum motibus agitatum imperio

pellere, ac quascunque maluisset prouincias occupare. Hinc regem dolo circumuentum tertio anno quàm rex creatus fuerat, obtruncarunt. subrogatus autem illi fuit Sigericus, in Romanum, vt Visigothi existimarunt, bellum ardentius cõsensurum. sed cùm is etiam ad pacem, quæ offerretur, pronior esset visus, suorum insidiis pariter occiditur. Huic in Visigothorum regnum successit Vallia, qui ad pacem pronus & ipse erat, & tamen Visigothorum rabiem expleturus, magnam eorum manum nauigio armísque instructissimam in Africam traducere mollitus est, sed hi omnes naufragio perierunt. Memor itaque alterius, quam sub Alarico in freti Siculi angustiis Visigothi acceperant, cladis, vltra adduci non est passus, vt aliam expeditionem Visigothi in Africam traducerent, quin potiùs spreto Visigothorum consilio pacem optimam cum Honorio imperatore datis lectissimis obsidibus firmauit, & Placidia, quam post Athanaphi mortẽ honorificè honestéq; habuerat, Honorio fratri reddita, suã Reipublicæ operã est pollicitus. Aduersum cæteras gentes, quæ per Hispanias consedissent, hac pace firmata Honorius Placidiam sororem Constantio Cæsari declarato matrimonio iunxit, Constantium purpura indutum occidentalis imperij fecit consortem, & ex Placidia Valentinianum suscepit, qui postea vix pueritiam supergressus, ipsi Honorio in imperio subrogatur, tertius huius nominis Imperator. Sed quia in huius historiæ enarratione, Gothorum, Visigothorum, & Ostrogothorum meminimus, id discutiendum est, vt cognoscamus quibus diuersarum sectarum nominibus vtimur, varias appellationis causas adferri. Paulus Diaconus (qui Eutropij & Orosij scriptis addidit) eius diuersæ appellationis hanc addidit causam, quòd temporibus Valentiniani superioris, cùm intra

Thraciæ fines, Gothorum populi communi ratione, & appellatione, & viuendi modo vterentur, per Alatheum & Frigiternum bifariàm diuisi, decreuerũt vtranque prouinciam, Frigiternus orientalem, Alatheus occidentalem opprimere, eósque qui Frigiternum secuti sunt, pro orientalibus Ostrogothos lingua patria, & alios pari ratione Visigothos pro occidentalibus appellatos: quod Ablabius & Blondus non satis probarũt, sed in Scythia superiores sedibus Ostrogothos, inferiores Visigothos appellatos, nulla verborum reddita ratione malũt. Nõ defuerũt grauissimi authores, qui Getas Ostrogothos dictos, Dacos verò Visigothos, ppriis nominibus appellatos tradiderũt, quòd hi ad occidentẽ, ad orientẽ illi magis spectẽt: tamen plerunq; hæ cognominationes à rerũ scriptoribus cõfundũtur, id tamen cõstat, Gothos ab eruditis antiquis Getas nominatos, vt Pater Hieronymus in Genesim fusiùs scripsit. Getæ sunt qui Istrũ habitant, vt authores sunt Strabo, & Mela, & Plinius, latéq; regionẽ possident inculrã magnã parte, rigoribus immitẽ, tenéntq; vlteriora Istri & citeriora ad Thraciã. Locus ille Ouidij exilio clarus, qui se apud Getas agere nõ semel in Tristibus & Ponto scripsit. Ad rem redeo. Honorius memor fœderis, quod cum Vallia Gothorũ rege in Hispaniis percusserat, sibi Tholosam cũ aliquot Auxitanę prouinciæ ciuitatibus summisit: quæ omnis regio Barbarorũ vocabulo tunc appellata Vasconia, id est Latinis verbis Gothia occidentalis, ad ætatem vsque nostram nomen retinet, licet magnam mutationem in prouinciæ finibus fecerit temporum longitudo. Hinc Honorius Romam profectus est. Cõstantius parãdis iis quæ expeditioni Hispanicæ necessaria videbantur, Rauennæ substitit, vbi septimo imperij sui mense immatura morte præreptus occubuit: post quem Honorius

dum per Bonifacium in Africam exercitum traiicere curat, Romæ diem supremum clausit. Paulo post Theodosius Iunior, qui quintum iam annum orientale apud Constantinopolim regebat imperium, audita Honorij patrui morte, Valentinianum Placidiæ amitæ suæ ex Constantio filium Cæsarem declarauit. Sic diuerso marte Romanum tractatur imperium, ad occasúmque semper flectitur. Iam quartum & quadragesimum annum imperium inclinabat, ab vndecimo Arcadij, & Honorij imperatorum anno in vndetrigesimum Valentiniani principis, in quo Attila mortuus est, annum: intra quod tempus Germaniam omnem, Daciámque, & Sarmatiam, & cæteras prouincias ad Danubium Rhenúmque sitas perdidit Romana Respublica. Hispania quoque vlterior, Aquitania, & Vasconia, atque etiam Ednensium Vesemtionúmque vrbes sunt amissæ. Pariter factum est anno inclinationis imperij sexto & vigesimo, de Senonensi Parisiorum Francis subiecta. Quarum omnium prouinciarũ nulla post modum Romanis paruit. Anno qui mortem Attilæ secutus est, Valentinianum imperatorem Trasila Aetij quondã miles, Romæ in loco, qui dicitur ad Laurum, occidit, in cuius locum suffectus est Maximus Patritius Romanus ciuis, cuius tempore Gensericus Vandalorum & Africæ rex, omnes Afros & Mauros æquè ac Vandalos, ad trecenta hominum millia exciuit, nauigióq; imposuit, & in Italiam nauigauit: ad cuius improuisi potentissimique exercitus aduentantis nuntium exterrita vrbs, in montes syluásque & munitiora oppida populus demigrauit. Maximus verò imperator dum fuga & ipse sibi consulit, ab Vrso milite Romano occiditur. Erat Romæ per id tempus superstes Leo Pontifex Maximus, cuius prece & hortatu Attila Italia excesserat. Is summis precibus cum barbaro agebat, vt sacra dimitterentur intacta, & à ruinis & incendio vrbis abstineretur: sed preces voluuntur inanes. Barbarus Arianæ hæresi pollutus, templa, sacráque ædes simul cum reliquis vrbis partibus diripi iussit. Quatuordecim dies Romanum populum vrbe abfuisse tradunt historici. Egressi vrbe Barbari Campaniam longè latéq; populati, obsiderũt Capuam, quę vi expugnata direptáq;, solo adæquata est. & cùm totius Campaniæ oppida Barbarus attriuisset, ad Neapolim ventum est, qua mœnium firmitate, & ciuium robore munita, pertinaciter resistente, Gensericus obsidione soluta in Africam rediit, quieuitque donec Anthemius in Occidente, & Leo in Oriẽte Cæsaris imperium regerẽt, quo tempore ingentem ex omnibus Africæ littoribus contraxit classem: cui cùm innumeras imposuisset copias, ad littora Italiæ nauigauit, nequaquam potiri posse diffisus imperio vrbis, & Italiæ, quod quidem ardẽtissimè multis iam annis concupisset. Eam classem cùm in Africa parari intellexisset Leo imperator, Anthemio principi Romano opem ferre constituit, & Basilisco patritij ordinis eius belli duce declarato, haud quaquam contemnendas dedit copias, quas ipse Basiliscus in Italiam perduxit. Parauerat verò aliam classem in Italia Anthemius, & sese in vrbe ad reprimendum Genserici impetum communierat. Itaque Basiliscus coniuncta vtraque classe hosti primo occurrit. Gensericus prælium detrectans, si ventos nactus fuisset secundos, visa hostili classe in Africam remeare decreuerat. nec tamen adeo potuit certamen subterfugere, quin vrgente Basiliſco manum conserere coactus fuerit. Commissum est autem prælium nequaquam paribus animis, sed quale consueuit esse cùm pars vna in fugam pendẽs, id solum enititur,

vt fuga prælio se subtrahat: altera verò instans & iam præsumpta victoria audacior nihil timet. Gensericus namque prælio se subtraxit, sola qua vehebatur classe Africam petiturus, sed cùm primùm nauis suæ proram conuerti sui viderunt, illico dissipati in fugam & ipsi fœdissimam conuertuntur. Eo superatus prælio Gensericus, multis nauibus & militibus amissis, littoribus Africæ appulit. Paruo pòst temporis interstitio, Anthemius insignia imperij deposuit, & in priuatam concedens vitam, vrbis custodiam senatui & populo commendauit: nec multò pòst Constantinopoli Leo imperator cùm naturam sibi vitæ finem adferre perspiceret, Leonem ex Mariagne sorore nepotem & Zenonis Isaurici filium instituit imperij successorem: ipse verò puer Leo cùm paucis mensibus orientali præfuisset imperio, Zenonem genitorem manu propria coronatũ fecit imperatorem, & Romæ nepos imperator creatur. sic vt res Romana patrum & seniorum authoritate creuerat, sensim indies delabitur. Iustinianus Cæsar genere Thrax, ignotis parentibus & obscuris natus, maiores nullos habens claros, sed vel armentarios tantùm vel suarios, à pueritia, Iustini auunculi opera, ex boum custodia gregarius miles factus per omnes dignitatum honores gradatim ascendens, à Iustino est ad prætorij præfecturam euectus, consúlque designatus. postea à Iustino adoptatus, & consors imperij factus, & quarto pòst mense solus imperator regnauit: non enim naturalis filius Iustini fuit Iustinianus, vt voluit Accursius in proœmio institutionum, sed adoptiuus solùm, & ita intelligendus est textus in §. est & aliud de donationibus. & § pe. quib. non est permissum facere testamentum. Inciderunt Iustiniani principatus primordia in eum, qui quintus & vicesimus

simus fuit supra quingentesimum humanæ salutis annum. Anno postea salutis nostræ quingentesimo quadragesimo tertio, Totylas Gothorum rex Italiæ ciuitates infandis cladibus direptionibúsque afflixit, Romámque infenso agmine ingressus diripuit, incendióque quasi diutino euertit, & parte murorum collapsa, vacuã habitatoribus reliquit. Narrat Procopius Romã quadraginta diebus in solitudine fuisse, & tredecim emicuisse flammã pari crudelitate. Florẽtiã in Hetruria solo æquauit. Quib⁹ cladibus Dei flagellũ dictus est, vt in gestis Gothorũ Raphael Volaterranus scripsit. Platina tamẽ in Leone primo nõ hunc, sed Attilam flagellum Dei vocatum mauult. Scribũt Procopius & Petrus Crinitus Belisariũ ad Totylã, cùm is de euertẽda Romana vrbe cogitaret, vt eum à tam infando cõsilio deflecteret, literas in hanc sententiam cõscripsisse: Si hoc bello victoria ad te declinarit, Romámq; deleueris, rem haud sanè alienam, sed tuam perditum ibis: sin victus eris, seruata vrbe gratias immortales: deleta verò humanitatem nullam à victore expectare debes: quam quidem epistolam refert Procopius Totylam sæpe perlegisse, bonique admonitionem consuluisse, & ab incepto diruendæ vrbis opere destitisse. Verùm cùm media iam plus parte deflagrasset, tota ferè incendio absumpta est: vnde & Francorum rex Totylæ eius filiam obnixiùs vxorem petenti, nuptui dare noluit, quòd diceret, eum non esse Italiæ regem, qui Romam rerum dominam, & Italiæ caput incendisset. Belisarius postea Romam ab incendio & inaudita post homines natos direptione recentem occupauit, & incredibili celeritate muniuit: septem enim & viginti diebus fossa, vallo, propugnaculis, omnifariámque munitionibus aduersus omnem vim hostilémque impetum instruxit, Totylámque reuersum

vi repulit. quem si fugientem Belisarius persecutus fuisset, Gothicæ victoriæ laudem Narseti ademisset. Belisarius à Iustiniano reuocatur. Diuersæ huius reuocationis à Procopio adferuntur sententiæ. In huius locum Germanus Patritius Iustiniani Augusti frater patruelis, vir impiger, & militari disciplina clarus, contra Totylam (qui absente Belisario Romam receperat, & eam instaurare, ciuésque reuocare studebat) missus in Illyria morbo occubuit, in cuius locũ Narsetes eunuchus à Iustiniano suffectus est. Valebat hic Narsetes plurimùm gratia, & authoritate apud Augustũ, administrabátq; eius aulã suo arbitrio, vir ad omnia virtutis opera natus, magnus quidem consilio, sed religione ac pietate maior. Is anno CHRISTI quingentesimo quinquagesimo primo, magno cum exercitu Italiam ingressus, ad Taginam Gothos vicit, vbi Totylas occubuit, vt Procopius & Blõdus annotarunt. Anno postea quingẽtesimo quinquagesimo secũdo, Teias à Gothis rex eligitur, qui à Narsete prelio vincitur, & occiditur, anno sui regni primo nondum finito. Quo excidio Gothi perculsi, Italia excedere coguntur, atque sic Gothorum regnum in Italia finitum est post quinquaginta octo, ex quo cœperat, annos. Narsetes deuictis Gothis Italiam rexit proconsul annis sexdecim. Dum Iustinianus adoptiuo patri Iustino succedens, bellis, Persicco, Gothico, Vandalico, Neapolitano, Mediolanensi, Iudaico obruitur, Ecclesia CHRISTI diuerso marte agitatur, recens adhuc ab ea hæresi, quam Iustinus adoptiuus Iustiniani pater summo studio euerterat. Is siquidem Iustinus ferè hæreses Eutychianam, Nestorianam, & Arianam, summo studio deleuit. Hæreticorum episcopos proscripserat, eiúsque tempore finiti sunt anni centum & quinquaginta, id est quinq; menses, quibus

Ariani potentes esse debebant, vt libro Apocalypsis prædictum erat. Romanam Ecclesiam regebat Hormisda, quinquagesimus Romanorum Episcopus, vt Nicephorus author est. Iustiniani tempore anno quingentesimo quadragesimo secundo, Epiphania DOMINI ad secundum Februarij diem celebrari cœpta, nos Purificationis festum dicimus. Anno postea quingentesimo quinquagesimo secundo contra Theodori væsaniam Constantinopoli synodus, vt Palmerius annotauit, cogitur. Cassiodorus sæculari diuináque doctrina eruditus claret. Dum bellum Gothicum Romæ terminatur, ecce de repente Longobardorum in Italiam ingressus, anno inclinationis Romani imperij centesimo sexto, & quinquagesimo, Benedicti Papæ, qui Ioanni successit pontificatus initio, & Iustino Minore annum iam decimum tertium imperante, anno à creato orbe quater millesimo quingentesimo trigesimo nono, anno verò nostræ salutis quingentesimo septuagesimo septimo. Ij eo anno calendis Aprilis Pannonia cum vxoribus & liberis egrediuntur, Italiam petentes, & decedentes Pannonia per Noricum, quæ priùs Bauaria, nunc in ea parte dicitur Austria, peruenêre Liburniam, quæ tunc sicut & nũc dicta est prouincia Foriulij, oppidóque Foriiulio cum ipsa, cui dat nomen prouincia, per incolarum deditionem potiti, ad Planem fluuium consederunt. Alboinus rex Longobardorum Sisulfum nepotem adolescentem prouinciæ Foriiulij præfecit. Longinus à Iustino imperatore Narseti suffectus, de Longobardorum in Italiam aduentu certior factus, Cæsaream cõmuniuit. Exinde Longinus Venetæ regionis vrbibus, quarum munitioni magis fidebat, præsidia imposuit: sed Roma recens à Narsete instaurata, & Italia pridem tantis agitata motibus, nullis

armata præsidiis fuit, & si quæ aderant præsidia, nullus aderat, qui ea cogeret, vel educeret dux, qualem tanta res exposcere videbatur. Longinus primus Italiæ Exarchus anno à CHRISTO nato 569. à creato verò orbe 4531. (& nouissimus Exarchus fuit Paulus, anno à CHRISTO nato 727.) in Italiam nouum adduxerat magistratus nomen, Exarchatus Italiæ, qui interpretabatur summus Italiæ magistratus: & Rauẽnæ se continens, nunquam Romam profectus est spectandæ vrbis, vt eam præsidiis muniret, gratia: sed magistratum, quem præsidem appellauit, Romæ præfecit, & qui successerunt, duces sunt appellati. Nam post Basileum, qui cum Narsete consul fuit, nec consules Roma habuit, nec senatum legitimè coactum: sed à duce Græculo homine, quem Exarchus ex Rauenna Romam mittebat, res Romana administrabatur. Interea Alboinus Longobardorum rex Vincentiam, & paulò pòst Veronam, nullo ferè negotio ditioni suæ adiecit. Inde Abdua amne transmisso, Mediolanum breui cepit. sexto ab ingressu Alboini in Italiam exacto mense, Longobardi castra ad Papiam metati sunt, cui vrbi Longinus quicquid egregij militis habuerat, præsidio imposuerat, quam triennio obsessam in potestatem suam redegerunt. Erat tunc tertius & dimidius exactus ab ingressu Longobardorum in Italiam annus, quo in tempore Alboinus omni pene Hetruria & Arimino, ac in Transalpinis Galliæ partibus à Bononia Papiam vsque, omnibus, excepto Brixillo, potiebatur vrbibus & oppidis, Veronam se contulit: in qua vrbe vxorem diuitiásque & omnem regiam supellectilem habebat, vbi decreuerat regni constituere sedem: & paulò pòst Rosimunda filia Gundamandi, quẽ Alboinus

vita priuarat, Alboini vxor Helmelchidi opera Alboinum proditoriè necandum curat: mox ambo ad Longinum Exarchum confugiunt, cuius suasu Rosimunda (nam Longobardorum regnum ambibat) Helmelchidi veneno mortem parat, qui accepto potu, dolum, qui parabatur, præsentiens, Rosimundam reginam vt reliquias hauriret, vi compulit. sic ambo vno die veneno sublati sunt. Interea Iustinus Tiberium Cæsarem creat, & Romæ Benedictus sexagesimus Episcopus creatur. Longobardi interea habito ad Papiã frequenti concilio, Clephim in sua gente nobilissimum regem delegerunt, qui truculentissimus fuit, tam in illos, qui sponte se dediderant, sæuiens, quàm in pertinacissimos hostes. vbi Forum Cornelij fuerat ab Antiocho Narsetis præfecto demolitum, Imolam fecit: sic tunc primò dicta ab arcis nomine, quam eminẽtiori & vnico in tumulo Forum Cornelij ciuitas habuisset. Fuit autem Imolæ ædificationis causa, quòd præsidio imposito Fauentinos, Forolienseſq;, & ipsos Rauennates inde voluit agitari, ad Ariminum autem delatus ex ea in Classense oppidum duxit, cui oppido ocyus capto & maiori ex parte spoliato, Longobardos imposuit: mittens verò in vrbem Romam duces suos Clephis, omnes ciuitates & oppida, quæ Alboini ducibus restiterant, Tybure excepto, cepit: & famuli sui dolo, anno regni secundo nondum exacto, interceptus occiditur. Et quia in suos Longobardos etiam tyrannidem exercuerat, factum est vt post eius mortẽ nullum Longobardi regem crearint, sed vrbibus inter se distributis suam quilibet sumpsit regẽdam. Fuerunt verò duces triginta Clephi defuncto immitiores, qui per Ariminum, & Vrbinum delati sunt in Vmbros, & ea capta regione, Picentes, Pelignos, Marsos, Samnitésque pernasere, & ducibus

ſuæ gentis vno apud Spoletum, altero apud Beneuentum conſtitutis, Campaniam, & omnia, quæ in maritimis, aut in mediterraneis vſque ad Romam iuris ſui fecêre. Potiti tam multis Italiæ regionibus Longobardi in vrbem exercitum duxerunt, nec tamen diu eam obſederunt: nam Romani eos cùm admonuiſſent, vt meliora de ſe, déque alijs Italiæ populis ſperaturi mali finem imponerent, & ea quæ vi ceperant tenẽtes, cum eis inducias conſtituerent: id quod Longobardi non inuiti conceſſere, & icto inducias fœdere illico abſceſſerunt, quieuítque vrbs donec Longobardi communi conſilio decreuerunt regem vnum creare, decimo anno poſtquàm Clephis vita exceſſerat, creatúsque eſt ipſius Clephis filius Antharis nomine, cuius adoleſcentis fama multis ſtrenuè & fortiter editis virtutis documentis apud gentem ſuam, apúdque hoſtes celeberrima ferebatur, anno à creato orbe quater milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, anno verò ſalutis noſtræ quingenteſimo octuageſimo ſexto. Quo tempore Mauritius imperator orientis ſceptra moderabatur, & Pelagius ſecundus Romæ ſummus Pontifex habebatur: quo tempore ſynodus Gangrenſis coacta fuit, in qua Patriarchatus Venetiæ ad Aquileiam tranſlatus eſt. ad rem redeo. Smaragdus ſecundus Exarchus in Italiam ab imperatore miſſus, anno à creato orbe quater milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, ſalutis verò noſtræ quingenteſimo nonageſimo primo, inducias cum Anthare pepigit, vniuerſaléſque vbique in Italia inducíæ fuêre, quibus induciis expletis, miſit ipſe Longobardus rex exercitum in Iſtriam, tantíſque cædibus, incendiis, & rapinis eam afflixit prouinciam, vt multis auri millibus Iſtrij pacem redimere coacti ſint. Auctus his opibus Antharis Longobardorũ rex, Childebertum regẽ Francorũ

miſſa legatione orauit, vt pacem ſecum perpetuam initurus, matrimonio ſororem ſecum iungeret, deſpondítque Francus: ſed cùm Viſigothæ gentis rex Ricaredus eandem popoſciſſet puellam, mutauit ſententiam Childebertus, quòd Longobardum inueteratum hoſtem, & idololatram eſſe, & Viſigothum audiſſet recens Chriſtianiſmum agnouiſſe: nam hoc quoque tempore Ricaredus ſexaginta duorum Epiſcoporum ſynodum apud Toletum coëgit, qua in ſynodo Ricaredus Ariana hæreſi abdicata, Catholicam Chriſti fidẽ tunc primùm in Viſigotha gente habere curauit. Igitur regis Francorum ſororem Ricaredo Viſigothorum regi in cõiugem data, Anthariſ Teudelindã Bauarorũ regis filiã vxorẽ duxit. Paulò pòſt Mauritius imperator, Smaragdo Italiæ Exarcho ſucceſſorẽ nomine Romanũ, dat attributis ſibi copiis, cum quibus Romã acceſſurus Longobardos Italia pelleret. Interea Agiaulphus Longobardorũ rex, anno à creato orbe quater milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, noſtræ verò ſalutis anno quingenteſimo nonageſimo tertio creatur, quo anno Gothi ad vnionẽ Catholicæ fidei redierũt, vt Palmerinus annotauit. Regnauit in Longobardorũ gente Agiaulphus annos quinq; & viginti. Exarchus ille nonus, nomine Romanus, ſtatim vbi ſuo cœpit defungi munere, Patauium, Montem Silicem, Mantuã, & Cremonam munit copiis, vt Longobardos vndique agitaret, & Romæ quieti conſuleret, ad illam ſe contulit, exercitu, quẽ ſecum ex Rauenna eduxerat, Romæ adaucto. recepit vnica æſtate, Sutrium, Polimarcium, Hortã, Tudertum, Ameriam, Peruſiam, Luceolũ. Tunc cœpit vrbs Roma per arma ſolito feliciora, ſeruorum ſcilicet CHRISTI prædicationem, & ſummi Pontificis authoritatem Britanniæ inſulæ, & eius incolis denuò imperare. Dum hæc

aguntur, Exarchus nomine Romanus, sed moribus & gente Græcus, post partam dictarum ciuitatum victoriam in omnia vitia prolabitur, & vt rapinis quietior vacaret, nec bellum hostibus inferebat, nec patiebatur vt inducię constituerentur. dum hæc infelici fato Romæ geruntur, Rauennæ Romanus Exarchus moritur. missúsq; ex Constantinopoli successor Gallinicus, anno ab orbe creato quater millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo. Illum habuit quartum Italia eius nominis magistratum. fuit à rapinis temperans, & belli aduersus Longobardos gerendi studiosissimus. furorem Longobardorum aliquandiu compescuit. Diuerso marte res in Italia geruntur, donec Agiaulphus traductis Pado copiis cum equitatu aduolans, tanto irruit impetu, vt parùm absuerit, quin Romam interciperet: & cùm ianua prohibitus esset, Romam integro anno obsedit, & vbi omnis potiundæ vrbis facultas est adempta, in Hetruscos diuertit. Dum hæc in Italia geruntur, Mahumet pestis Christianorum pessima nascitur, anno à creato orbe quater millesimo quingentesimo quinquagesimo nonò, nostræ verò salutis quingentesimo nonagesimo septimo, & postea anno salutis nostræ sexcentesimo tertio, Mauritius anno vno & vigesimo imperij sui Chalcedone securi percussus est, & Phocas Constantinopoli magno populi & exercitus applausu imperator declaratur. Hic nihil habuit antiquius, quàm quærere vt pari quoque Romanorum voto confirmatus, vniuerso orbi ostenderet se iure ad imperium ascitum. Iam Smagardi iterum Exarchi in Italia facti aduentus parùm profuerat ciuitatibus & oppidis in Romanorum & Rauennatum fide solitis permanere, & Agiaulphus Longobardorum rex quàm primùm intellexit imperiũ apud Constantinopolim, ob res nouas à Phoca intentatas,

intentatas, vacillare: copias, quibus in obsidione vrbis vsus erat, denuò contraxit, & Cremonam intra trigesimum diem expugnatam solo adæquauit. exinde in Mantuam est ductum, & ea deditione capta, non est aliter sæuitum, quàm quòd mœnibus magna ex parte euersis reddita est immunita. Interea Vulturniẽses cùm vidissent duabus his vrbibus Pado proximis, nullum Rauenna venisse subsidium, sese Longobardorum fidei commiserunt. Anno à Christo nato sexcentesimo vndecimo Phocam coniurati obtruncarunt, & Heraclius Orientis imperator per vim & arma constituitur. Illud non omittendum existimaui, Phocam publica, & in vniuersum orbẽ dimissa sanctione constituisse, vt Romanæ Ecclesiæ, Romanóq; Pontifici omnes orbis Ecclesiæ obedirẽt. Anno postea nostræ salutis sexcentesimo tredecimo, Thrax sextus Exarchus Italiam regit, & anno sexcentesimo decimo sexto Eleutherius septimus Exarchus creatur. Anno postea salutis nostræ sexcentesimo decimo octauo, Adalnaldus decimus quintus Longobardorum rex fit, cui vt Tritemius annotauit, Lotharius huius nominis secundus, Francorum rex, tributum duodecim millium florenorum auri, quod quotannis tenebantur Longobardi Francis pendere, remisit. Anno postea salutis nostræ sexcentesimo vigesimo secundo, Isacius Patritius Constantinopolitanus, octauus Exarchus creatur, & Arioaldus decimus sextus Longobardorum rex designatur, cui successit anno salutis nostræ sexcentesimo trigesimo tertio, Rotharis decimus septimus Longobardorum rex. Hic fuit Ariana hæresi pollutus, in eiúsque regno singulæ vrbes Episcopos duos habuerunt, Catholicum vnum, & alterum Arianæ perfidiæ, vt Paulus Diaconus fusiùs scripsit, & omnes Romanorũ vrbes ad mare sitas à Luceria vrbe Thusciæ

vsq; ad Francorum fines Longobardis subiecit. cum Rauennatibus & Romanis prælio conflixit. ceciderunt octo Romanorum millia, vt Diaconus fusiùs tradidit. Anno postea salutis nostræ sexcentesimo sexagesimo secundo, Constans imperator Tarentum appulit. inde pedestri itinere vadens in agro Beneuentano, cum Longobardis conflixit, aliquot ciuitates recepit, Luceriam solo adæquauit, inducis factis Romã perrexit, quam omni ornamento ita spoliauit, vt hostes infensissimi multis annis eam vix tantùm exhaurire potuerint, vt fusiùs Egnatius tradidit. sub id quoque tempus Sarraceni Romanorum fines ingressi, & populati sunt. Anno postea salutis nostræ sexcentesimo octuagesimo primo, Rauennatis Ecclesia, quæ Romanæ semper par fuerat, à Theodoro eius Archiepiscopo Romanæ subiicitur, vt Flauius Blondus prosequitur. hæc noua Exarchatus inuentio, quæ consules & senatũ Roma expulit, imperio Romano eam iniecit cladem, quam nouæ rerum excogitationes creare regnis & imperiis consueuerunt. Anno à Christo nato quingentesimo sexagesimo nono, Flauij Iustini Iunioris imperatoris anno quarto, à creato verò orbe 4531. Longinus nouum Exarchatus magistratum inuexit in Italiam, qui durauit vsq; ad annum à CHRISTO nato septingentesimum vigesimum septimum, à creato verò orbe quater millesimum sexcentesimum octuagesimum nonum, quo Paulus nouissimus Exarchus Italiæ, Rauennæ publico omnium consensu interimitur. Tunc singulæ ciuitates Italiæ suos sibi duces præficere consueuerunt. Deposito Exarchatus magistratu, iam Italia authoritate sanctissimi Papæ Gregorij huius nominis tertij ab imperatore deficit. Tunc Carolus Martellus Francorum princeps erat, Leo imperator Iconomachus, id est imaginum

expugnator factus, turbas magnas in imperio excitat. Roma & Italia tributum pendere negant. tumultus & seditio magna Constantinopoli ob imaginum euersionem excitantur. Anno à CHRISTO nato septingentesimo trigesimo quinto, Luitprandus Longobardorum rex Romam obsidet. Gregorius Romanus pontifex Carolum Martellum in auxilium rogat. quæ omnia fusiùs Paulus Diaconus prosequitur. Leo imperator ab Episcopo Romano, Damasceno, & aliis anathematisatur. Anno postea trecentesimo quadragesimo quarto, per quos Romanum ad id tempus inclinauerat imperium, ad desolationem vrbis Romæ & Italiæ vergentibus omnibus rebus, Gregorius Romanus Pontifex Astulphi Longobardorum regis sæuitiam metuens, qui statuerat Rauennam cum suo Exarchatu, mortalium cæde, rerum direptione, ædificiorúmque incendio omnino euertere, vt liberior ad vrbem solo adæquandum pateret aditus. Gregorius itaque, qui omnem spem in confirmatione vrbis & Italiæ ad Gallica sceptra contulerat, Pipinum Francorum regem adduxit, vt Astulpho Longobardorum regi per Oratores suaderet, seruanda esse Romano pontifici pacis fœdera, & contra ius fásque capta reddenda. Hæc Longobardo recusante, Pipinus expeditionem publico edicto Franciæ & militiæ ducibus indixit. præmisit Pipinus leuis armaturæ turmas, quæ Alpium saltus meatúsque insidentes, hostem ab incursionibus prohiberent, paritérque Astulphus non leuem præmisit exercitum, claustra Alpium seruaturus, qui paucitatem spernens Pipini militum, illis congressus non paruam accepit iacturam, & Alpibus deturbatus est. Quæ cùm Pipinus audisset, agmina accelerare, nec vllo in loco quiescere, priusquàm Papiam obsidione premeret, iussit. Qua obsidione

preſſa, ager proximus, atque omnis adiacens regio, à tanto Francorum exercitu premitur. tum Gregorius miſericordia victus, cum Longobardo fœdus percuſſit, ea ſcilicet lege, vt pacta antea inter eos inita ſeruarẽtur. Eas ſoluendæ obſidionis, & innouandæ pacis conditiones, Aſtulphus non modò accepit, ſed magnis adulationum fallaciis bonitati & clementiæ Pontificis gratias egit, inſupérq; plura & meliora quàm poſtularentur, ſponte ſua ad promerendam ſancti viri gratiam eſt pollicitus: ſecũdum quæ conſtituta multis adſtipulationibus, & ſacramenti religione à Longobardo rege firmata, Pipinus relicto apud Pontificem Varnerio ſpectatæ virtutis inter Francos proceres viro, qui pacta ex fœdere impleri curaret, in Franciam reduxit exercitum. Durauit hæc Longobardorum in Romanos perfidia, & perpetuus ſine intermiſſione furor, vſque ad annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum ſeptuageſimum quartum, ab orbe condito quatermilleſimum ſeptingenteſimum trigeſimum & tertium annum, quo Carolus Magnus Francorum rex ab Adriano Romano pontifice in Italiam ſuppetias Romanis laturus, eſt accerſitus, qui Deſiderium Longobardorum regem deditione capit, regnóque Longobardorum finem facit, quod durauerat in Italia annis ducentis & quatuor. Primus rex Longobardorum fuit Clephis, anno CHRISTI quingenteſimo ſeptuageſimo quarto. dum Chilpericus & Theodoricus eius filius Francorum regunt imperium, & nouiſſimus Longobardorũ rex fuit Deſiderius: dum Carolus Magnus in Francia regnat, anno CHRISTI, vt diximus, ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Pipinus antea Rauennam, eiúſq; Exarchatum, à Longobardis occupatum cùm armis recepiſſet, Romanæ Eccleſiæ reddiderat. Blondus Petri Lateranenſis

Eccleſiæ Bibliothecarij verba refert, quibus facile perſpicitur, quibus Rauennæ Exarchatus terminis concludatur, à quinq; ciuitatibus exordium ſumens, Rauẽna ſcilicet, Cæſarea, Claſſe, Foroliuij, & Foropopilij, deinde à Foro Cornelio, vbi nunc Imola, quicquid eiuſdem nominis via omnium Italiæ celeberrima, per Bononiam, Mantuam, Rhegium, Parmam, Placentiam, ad Padum vſq; habet, cõplectebatur: Placentinos autem, Parmenſes, Rheginenſes, Mutinenſes, Bononienſes, & Imolenſes, agrorum fines à ſummis Apẽnini iugis ad Padum protendi etiam noſtra ætate videmus, vt Rauennæ agrum pariter ab ipſo Apennini iugo per Fauentinos eius agri partem, ad Padum & Cæſenates, Cerniénſéſq;, ſui itẽ agri portionẽ, à ſummo Apennino ad Adriaticũ pertinere certiſſima habentur documenta. Id etiam vel terræ, quæ intra Mincium, Padúmque à Veronenſis, Vicentinique agrorum finibus in Venetorum ſtagna, Adriaticúmque vergit, agrum fuiſſe Rauennatem, cùm cæteri ſcriptores, tum omnia oſtẽdũt monumenta. Alia verò loca, quæ idem dicit Bibliothecarius, à Pipino rege pontifici Romano dono conceſſa fuerunt, vt Ariminum, & ab illo diſtans duodecimo milliario concha pridem mari ſubmerſa, Piſaurum, Faunum, Vrbinum, colles Euceoli, Eugubium, Vrbina vrbs, & Naruia, Eſis & Serra. Dum prædicta Gregorio Romano pontifici ex fœdere redduntur, Pipinus ad radices Alpium ſe continebat, & dum Aſtulphus Ferrariam, & Fauentiam reddere differebat, apoplexi correptus in venatione interiit. Iam quicquid Exarchatus Rauennatis complectitur, Romandiola dici cœpit. iam ad Carolum mortuo Pipino rege Francorum rediit imperium. Alcuinus Francorum gloriæ ſtudioſiſſimus, & hiſtoriarum ſcriptor, ait Carolum viginti propè annis, per quos

Desiderio capto ad Italiam reuersus, quater Romã reuersum, asserítque Alcuinus Adrianum Romanum pontificem, qui per illos item viginti annos vixit, Pipinum Caroli primogenitum sacro lauacro abluisse. Interea Constantinopoli imperator Constantinus bellum in Bulgaros innouauit, & se morbo implicari sentiens, concedendæ pacifacilem se præbuit, & Constantinopolim reuersus Elephantiæ morbo grauari cœpit. ex quo adusti spumantísque sanguinis vitio, putrida caro neruos, ossáque destituens, illum vbique vlceratum ad crudelissimum, & sua omni vita dignissimum perduxit interitum, successórque eius filius iam solus imperator Leo eius nominis quartus primam in Sarracenos Syriam tenentes duxit expeditionẽ: sed leuibus factis incursionibus quàm primùm intellexit Sarracenos in se ducturos, cum exercitu retrocessit. fuit moribus genitori similis, atque si diuturniorem habuisset in imperio vitam, totum se flagitiis immersisset. Quo vita functo Hirenes vxor eius, & filius Constantinus sextus imperium acceperunt. Hirenes imperatrix Athenienſi patre genita forma specioſissima, iustè imperium, & magna cum populorũ quiete administrabat, continebátq; filium ne in auita paternáque vitia (in quæ illum procliuem perspiciebat) prorumperet, & cùm religiosa esset, Therasium Constantinopolitanum tunc laudatæ vitæ patriarcham audiebat, eiúsque consilio synodum in Nicea vrbe cogi curauit. in qua synodo execrantium imaginum sacrarum venerationem hæresis perpetuò abdicata est. Carolus autem rex Francorum talia támque multa tunc gerebat, vt planè ostenderetur, eum ideo natum vt simul Romanam Ecclesiam, Romanúmque imperium instauraret. Carolus sexto obsidionis Papiæ mense, sanctum resurrectionis Dominicæ Pascha in

vrbe celebrare constituit. Assumptis itaque Episcopis, Abbatibus, Iudicibus & ex nobilitate præstantibus, per Hetruriam iter fecit. venienti Romam Carolo Adrianus Pontifex obuios, qui deducerent, misit, clerum & Romanos ciues. Deductus per viam Claudiam ad Vaticanum Carolus Adrianum pontificem ad summas beati Petri Basilicæ marmoreas scalas in atrio spectantem omnibus scalæ gradibus primò, & posteà pontificis pedibus oscula figens salutauit. postea itũ est ad sacrosanctum Basilicæ altare, vbi se mutuò Romani Francíque sacramento seruandæ perpetuò amicitiæ obstrinxerunt. secundum quæ amicitiarum fœdera Adrianus & Carolus vrbem ingressi, Lateranensem primò, deinde cæteras ædes sacras ex more Christiano inuiserunt: nudius postea tertius cùm vrbem satis Franci perlustrassent, Carolus donationem, quam Pipinus pater Gregorio tertio Pontifici Romano fecerat, confirmauit. quam confirmationem solemni decreto factã Bibliothecarius asserit apud beati Petri altare depositam inspexisse, additis huic donationi Spoleteno & Beneuẽtano ducatibus. Fuit Adrianus Pontifex vir magnanimus, & certissima ardentis virtutis indicia ostendunt eum & sciuisse fortuna, cùm adfuit, vti: & eam, cùm aduersaretur, potuisse consilio superare. Anno postea, qui fuit nostræ salutis octingentesimus, conuentu ad diem natalem Domini habito, inter Missarum solemnia Leo Pontifex Romanus scito precibúsque populi Romani Carolum imperatorem Romanorum declaratum diademate vetusto coronauit. tunc populus Romanus frequentissimus ter acclamauit, Carolo Augusto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori, vita, & victoria. Cùm primùm tacuerunt Romani, Pontifex Carolum sacro vngens in id confecto bal-

ſami oleíque liquamine, ad Pipinum ſe conuertit, eúmque Italiæ regem declaratum pari modo inunxit. Conuentu diſſoluto, maior & accuratior pontifici, & imperatori fuit cura vrbis, & Italiæ rebus ſolidè diſponendis: præcipua cura fuit Græcorum atque Longobardorum, qui Italiam premebant, rebus ita prouidendi, vt certa ac firma quies Romæ & in Italia poſthac haberetur. Quantum ad Longobardos attinebat, ea gens ducentis iam & triginta & duobus ferè annis maiori Italiæ portione habita nihil iam externi præter nomen retinebat, quam cum tam multis Italiæ populis affinitatibus ac ſanguine coniunctam, nec eiicere tutum, nec delere humanum videbatur: Pontifex, & imperator conſtituerunt, vbi ſedem diu & ſtatus ſui fundamẽta habuerat, genti Longobardæ nomen & ſolum patrium conſeruare. ſed ea, quæ per nouam Caroli Magni creationem facta eſt, imperij Romani à Conſtantinopolitano diuiſio, nullos habuit certos prouinciarum fines. In eorum fœderibus illud accuratè apud vetuſtos ſcriptores legimus interueniſſe, vt Venetia vrbs Italiæ maritima, vtrunque reuerita imperatorem propriis vteretur legibus, & ſiue bello ſiue pace, neutrius partium cenſeretur, quod & Blondus poſt antiquos egregiè proſequitur. Dum tot tantíſque procellis imperium agitabatur à Gothis, Viſigothis, Hunnis, Vandalis, Longobardis, ecce anno ſalutis noſtræ quingenteſimo nonageſimo ſeptimo, Mahumet peſtis Chriſtianorũ maxima naſcitur, & anno à CHRISTO nato, ſexcenteſimo decimo tertio in Arabia Propheta vocitatur, toto decennio venenum ſuum occultè ſpargit, donec aucta potentia, vi & armis dogma ſuum ad alios propagarit, vt latiùs annales proſequuntur. & anno CHRISTI ſexcenteſimo vigeſimo tertio, Arabum & Sarracenorum

racenorum dux & propheta fit, & regnauit annos nouem. Dum Romanum & Græcum imperium diuerſis calamitatibus fluctuant, Sarraceni nouum exordiuntur imperium, quod Chriſtianorum ruinis primò ſupra quàm credibile eſt, creuit: deinde proſtrato Chriſtiano imperio, fit ad Turcam orientalis imperij tranſlatio, anno Chriſti octingenteſimo vigeſimo ſexto. Sarraceni Cretam inſulam occupant, & eam ſui iuris fecere. Græcos duplici bello vincunt. Eodem anno Sarraceni Palæſtinam incurſionibus fœdant, & anno octingenteſimo vigeſimo nono, Sarraceni ex Africa in Italiã traiiciunt, & Vaticanum diripiunt, quod Maſæus fuſiùs proſequitur. & anno poſtea octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, & anno octingenteſimo quadrageſimo nono, Sarraceni Romam aggreſſuri apud Hoſtiam à Romanis ciuibus proſpero bello vincuntur. Anno poſtea noningenteſimo Sarraceni Italiam miſerè afflixerunt, & Roma periclitatur. anno noningenteſimo vigeſimo tertio, Sarraceni Calabriam, Apuliam, & Romanas quaſdam ciuitates occupantes à Ioanne Papa Alberici Hetruſiæ Marchionis fratris ſui auxilio vincuntur, vt latiùs Blondus Flauius proſequitur. Anno ſalutis noſtræ milleſimo ſeptimo, Sarraceni Italiam bipartito exercitu ingreſſi, Capuam ceperunt, Barum obſederunt. Quos Petrus Vrceolus Venetiarum, & Gregorius Græcorum imperij duces, iunctis copiis fuderunt. Dum multis iam ferè ſæculis, hæc Sarracenorum impietas per vniuerſum orbem bacchatur, Vrbanus Romanus pontifex concilium Clarmontanum conuocat, anno ſalutis noſtræ milleſimo nonageſimo quinto. Gotfridus Lotharingiæ dux propter expeditionem in terram ſanctam, Bullionis ducatum Sperto Eburonum Epiſcopo, magna auri quantitate vendidit, vt

libro quarto Paulus Aemilius fusiùs prosequitur. Circa hæc ferè tempora Præmonstratensium oritur ordo, Cistertiensis item ordo enascitur, & anno millesimo nonagesimo sexto expeditio Christianorum in terram sanctam apparatur. Gotfridus collectis copiis ad Antiochiam Syriæ penetrauit, & paulò pòst Hierosolyma superata in Christianorum manus deiicitur. Anno Christi millesimo nonagesimo nono Gotfridus primus Hierosolymæ rex creatur, cui in regno successit Balduinus fratri Gotfrido suffectus, & regnauit annis decem & octo. Guillelmus quoque Pictauiensis dux magna coacta militum manu Christianis opem tulit, anno salutis nostræ millesimo centesimo sexto. Balduinus Ascalonem vi oppugnat, & postea anno Christi millesimo centesimo nono, Balduinus Beryntum & Sidonem bello superatas iuris sui fecit, & anno millesimo centesimo decimo quinto, Balduinus à Turcis, & Sarracenis vincitur. Anno Christi millesimo centesimo decimo nono Balduinus secundus patrueli in regno Hierosolymitano successu coronatur. Regnauit annis sexdecim. Anno sequente Balduinus Gazi Turcorum regem armis vicit, & cepit. Eodem item anno regem Camasci vicit, cepitque. Anno millesimo centesimo vigesimo quarto, Balduinus à Sarracenis capitur, & post biennium pretio dato restituitur. Anno millesimo centesimo vigesimo septimo, Sarraceni à Balduino bis vincuntur, nec incruenta nobis fuit victoria. Anno millesimo centesimo trigesimo quarto, Balduino natura finem vitæ attulit, & Fulco gener Balduini rex creatur, qui in venatione equo delapsus interiit. huic in regno successit Balduinns huius nominis tertius, à primo tamen Hierosolymorum rege quintus, Fulconis filius. Regnauit in regno Hierosolymitano annis decem. Quo extincto successit in regno frater Almericus comes Ascalonis, alter Fulconis filius, qui regnauit annos decem. Ei successit Balduinus, eo nomine quartus, tamen in ordine regum septimus. Huic Balduino successit alter item Balduinus eius nominis quintus, puer quinque annorum, cuius tutores fuerunt Beltrandus, Hugo comes Tripolitanus, qui postea regnum Saladino prodidit, & Guido cui Sibylla Balduini mater erat nupta. Anno millesimo centesimo octuagesimo septimo, Balduinus rex à Saladino cum multis nobilibus capitur, & Hierosolyma amissa est. Mortuo Balduino Henricus Balduini filius rex creatur. Ptolemais à Christianis recipitur. Anno à nato Christo millesimo centesimo nonagesimo quinto, Ioannes Hierosolymæ rex Henrico patri successit. Iam videmus omni ex parte collabi imperium. Nouissimus annotandus est imperij Græci dies. Anno salutis nostræ millesimo trecentesimo Othomanus Turcorum imperium regnandi libidine ductus suscepit, magnámque Bithyniæ partem subegit. oppida quædam ad Euxinum sita vi diripuit. Regnauit annis octo & viginti, cui successit in regno Orchanes Othomani filius, secundus Turcorum imperator, qui regnauit annos duodecim, & Michaële Paleologo Constantinensium imperatori bellum intulit. Anno millesimo trecentesimo trigesimo octauo, Ioannes Paleologus, & Ioannes Contacuzenus de imperio Constantinopolitano cõcertarunt. In Francia regnabat Philippus Valesius. Sarracenorum ingrauãte regno facta quàm plurima strages. Philippus Nauarræ rex in obsidione Argesillæ vrbis interiit. Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octauo, Imbertus Delphinatum regi Franciæ vendidit, ea lege vt primogenitus regis filius in Delphinatu perpetuo succederet. Clemens sextus Romanus Pontifex ha-

bebatur. Anno CHRISTI milleſimo trecenteſimo vigeſimo octauo, Orcanes in expugnatione Pruſiæ & Bithyniæ occubuit, cui Amurates tertius Turcorum rex ſucceſſit. Interea Carolus Ioannes Conſtantinopolitanus imperator pulſo armis Contacuzeno, qui imperium affectabat, in patriam rediit, opera Franciſci Gateluſij Gemmẽſis, cui imperator Liſbum inſulam dono dedit. Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, Carolus quartus occidentalis imperator nuptias Craconiæ magna ſolemnitate celebrauit, & Amurates Gemmenſium nauibus vſus Helleſpõtum ad Abydum ſuperat, & in Europam traiicit & Adrianopolim & Philippopolim occupat, & occurentes hoſtes maxima clade proſternit. Inde Seruiam, Bulgariámque inuaſit. Lazarus Seruiæ princeps in acie cecidit, & anno ſalutis noſtræ milleſimo trecẽteſimo ſeptuageſimo ſecũdo, Amurates à ſeruo dominum ſuum vindicante occiditur. Bazaites interempto fratre Solymano, quartus Turcorum rex creatur, & regnat annos viginti: & anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Andromeus patrem ſuum Conſtantino regno pepulit, quem Veneti regno reſtituerunt. Bazaites mortem patris vlturus, Marcum Bulgarorum principem prælio ſuperat, magnámque Bulgariæ partem ſibi aſcripſit, vt Egnatius & Paulus Iouius fuſiùs tradiderunt. Illyrici partes à Turcis circa hæc tempora vehementer diripiuntur. his ferè diebus Carolus ſextus Gallis imperat, Gandauienſes & Flandros inſigni clade perculit, & hoc quoque tẽpore Galeatius vice-comes Mediolanenſis interfecto Barnabone maxima potentia creſcit. Anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo tertio, Boſſina & Croatia, vlterioréſque Illyrici partes à Turcis funditùs euertuntur, & anno milleſimo treceteſimo octuageſimo ſexto, Bazaites Conſtantinopolim octo annis obſidet. huic ſucceſſit Machometus quintus Turcorum rex, qui Orchanem fratrem, qui & Calepinus dictus eſt, per inſidias interfecit: & regnauit annos decem & ſeptem. Hinc Amurates anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo, Conſtantinus Conſtantinopoli imperat, & Mahumetes ſecundus Amurati filius Turcorum imperator regnat. Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, Conſtantinopolis à Turcis capitur, & anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto, Romanus Pontifex Turcis bellum indixit, & Turcæ ad Albam Græcam à paucis Chriſtianis cæduntur. Anno poſtea milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo, Corinthus in Turcorum deiicitur poteſtatem, & per ea quoque tempora Trapeſnutinum imperium ad Turcam deficit. Mitylene à Turcis vi occupatur. His temporibus Ludouicus vndecimus regni Franciæ ſceptra moderatur, & Federicus Germaniæ imperium regit, & Pius ſecundus Aeneas Syluius Senenſis Romanus erat Pontifex. His igitur modis collabitur omni ex parte orientale imperium. Cætera, quæ occidentale imperium reſpiciunt, invitis Pontificum excutientur.

DE REGNORVM GALLIAE ET FRANCIAE ORIGINE, INCREMENTO, ET CONTINVATIONE.

COMMENTARIOS *aut publicos aut priuatos Franciæ principes, nec à maioribus acceperunt, nec posteris reliquerunt: vnde factum, vt rerum nostrarum eatenus memoriã habeamus, quatenus ab auis tantùm ad nepotes per manus accepimus: & fabulamenta pro rebus gestis recepta sint. Hinc contigit vt gens hæc Francorum bello pacéque clarissima, in ordinem degenerum socordiúmve populorum cogeretur, ni externorum hominum lucubrationbus eluceſceret. Iulius Cæsar historiæ Gallicæ libro sexto inquit: Fuit antea tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent, & vltrò bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agríque inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea quæ fertilissima Germaniæ sunt loca, circum syluam Hercyniam, Volgæ Tectosages occuparunt, atque ibi consederunt. (vbi nunc est Vuitembergia, & Bohemia, vt Lazius in Meradaco tradidit) Quæ gens ad hoc tempus his sedibus se continet, summámque habet iustitiæ & bellicæ laudis opinionem: núncque in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent, eodem victu & cultu corporis vtuntur: hæc Cæsar. Titus Liuius decadis primæ libro quinto Bellouesum tradens & Sigouesum impigros iuuenes, Ambigati Celtarum regis ex sorore nepotes, in eas quas Dij dedissent terras augurio emissos, in Germaniæ latè patentem terram*

venisse, elegisséque Hirciniam, quam à Danubij exortu ad Pannonica vsque hyberna Plinius libro tertio, capite duodecimo videtur extendere. Herodotus libro secundo & quarto, Danubium in Celtis oriri, ac Celtarum populos per totam penè Europam Herodoti tempestate insedisse author est, Strabo Parthiscum, hoc est Tibiscum è Scordiscis & Galatis in Istrum defluere apertè scribit, vt nullum dubium sit Gallicos populos, siue tribus, sedes in Pannoniis ante Romanos habuisse: nam de Alpibus, Noricis, & Rheticis, ipse idem author capite vigesimo apertiùs testatur. Huc pertinet quod Iustinus libro trigesimo tertio ex Trogo repetit, Galatas abundãte multitudine trecenta millia hominum ad quærendas nouas sedes comites sibi asciuisse, studióque augurandi in Illyricum primùm profectos, inde in Pannoniis consedisse, fuisséque hanc gentem asperam & bellicosam, atque primam, quæ post Herculem Alpium iuga frigore intractabilia conscenderit: postremò in Græciam ac Macedoniam delatos, reges Asiæ terruisse, qui ab ipsis Lacessiti pacem pecuniis mercari coacti sunt: quæ Pausanias in Phocide, & libro quinto Athenæus fusiùs tradiderunt: sic Appianus Alexandrinus in Illyrico scripsit, quomodo Galli vrbe Camilli virtute pulsi, Brennone rege in Pannoniam traducti sunt, & Norici Alpes, quibus locis aliæ manus Gallorum, qui partim ob maris inundationem, partim ob hominum multitudinem, Galliam deseruerant, ductoribus Ceretrio, Chichorio, Belgio, & Bathanatio regulis adiunctæ, cùm plus roboris ac virium cepissent, & Græciam atque Macedoniam plenis castris inuasissent, Apollinis indignatione pulsi, pars Brennone duce in Asiam transfretauit, pars cum Bathanatio & Belgio in Pannoniam rediit, locáque ab Istro ad Py-

reneum vsque montem Rhetiæ occupauit, à quorum nimirum posteris Galatæ in Asia, & Gallograeci siue Celtæ in Alpibus Italiæ, Adriæq; vicinis incolentes existimandi sunt, quos non solùm Plinius libro tertio capite vigesimo, sed Polybius quoque in secundo delineauit. Ex historijs constat Brencos, Teuanos, Sennones, Boios, cæteróſque ab ortu Rheni in ortum colentes, Italiámque claudentes populos, partim à Strabone & Plinio, partim à Polybio & Appiano recensitos Gallos extitisse, intérque Illyricos enumeratos. Titus Liuius libro quarto decadis quintæ, occasione Macedonici belli, Gallos à Perseo contra Romanos solicitatos docet, suppetiásque tulisse, ductoribus Cassignatio, & Cloduico. Rursus Liuius libro decadis quartæ nono, Gallos in Foroiulio coloniam deduxisse, & ædificasse author est. Idem decimo quartæ decadis libro, coloniam scribit Aquileiam fuisse deductam in agro Gallorum. Iosephus lib. de bello Iudaico secundo, scribit Gallos tantis munimentis naturam cinxisse, ab Orientali plaga Alpium montibus, à Septentrionali, Rheno flumine, à Meridie Pyreneis montibus, ab Occidente, Oceano, & cùm Agrippam loquentem ad Iudæos introduxit, Gallos trecentis & quindecim gentibus numerosos docet, fontes felicitatis domesticæ habentes, omnibúsque bonis totum penè orbem irrigantes, nihilominus vectigaleis Romanorum esse, ac felicitatem suam in eorum felicitate reponere, ídque sanè non per animorum mollitiem, nec propter ignobilitatem parentum, quippe qui octoginta annos pro libertate pugnarint, sed Romanorum admirati sunt horruerúntque cum virtute fortunam, qua illi plura sæpe obtinuêre, quàm bellis. Sed de his satis: nunc ad huius gentis originem diuertendus est sermo. Ex libro Herodoti quarto elicitur Cimmerios, alios Cimbros,

bros, alios Sicambros appellatos: & Berosus Chaldæus author est Cimmeriorum progeniem, per Europam latè diffusam diuersa nomina sortitam fuisse, alióſq; Cimbros, alios Sicambros, alios verò Frãcos appellatos. Ante Augustum de Germaniæ statu nihil certi habetur ex historiis. Porrò de Francorum antiquitate, id ex Strabone, qui tempore Augusti scripsit, & militiam vnà cum Romanis secutus est, colligimus, Francos Vindelicis, hoc est Bauaris coniunctos esse. In Pannonias sunt trãsgressi anno à creato orbe ter millesimo quingentesimo vigesimo, duce Meradaco, cùm sedibus ad Bosphorum Cimmerium à Gothis pulsi fuissent. Cimmerij incolæ itinere terrestri non classibus per Thraciam & Mesiam in Pannoniam commigrauere, & cùm hanc eandem prouinciam reliquissent, ad eam multis posteasæculis reuersi sunt: sed mutato nomine Cimbri iterum repetiuêre, qua iterum pulsi, in Noricum ad Pyrenæum montem penetrauere, positíque in Alpibus Celticis sedibus, cùm latrociniis insuescerent, Romana in se arma concitauere: sed victores Aurelium Scaurum, Manlium Cæpionem, & Carbonem Papyrium cum legionibus missos fuderunt. qua aucti belli fortuna, & numero, & animo creuerũt. Ambronibus & Theutonibus in commilitium ascitis, aperto marte Italiam inuadunt, sed victi ad Athesim à Mario maiore exercitus deleta parte, qui cladi superfuerunt per Noricum hinc inde Pannoniáque dispersi, deperdito iam vnà cum viribus nomine quidam in Alpibus, quidam in Pannoniis consedere. quibus Sicambri congentiles à Rheno & Galliis procul à Iulio Cæsare propulsi accessere, & postea quàm in Romanorum Illyricum deiicitur ditionem, sub Cæsarum tributo vixere, conditáque Sicambria ciuitate ad Istrum sub signis Romanis

meruere, primum quidem in cohortem admissi (qua Cornelius Tacitus Tiberium Cæsarem in Thracia fuisse vsum libro quarto scribit) postremò integram ex his regionem conflatam, de qua Claudianus in Getica historia plura scribit. Sicambria celebris Germaniæ prouincia inter Busacteros paruos & Bucteros, authore Ptolomæo, constituta est: quam abbas Spanhcimensis Francos incoluisse author est, quod multis argumentis ratio loci suadere videtur, tum quòd vicina fuerit Gallis, cum quibus perpetuò bella gessisse Annales testantur. At quî poterant semper bella gerere, nisi cum vicinis, vt pote quos tantùm fluuius Rhenus disiungit? Ab altera enim parte vel Batani, vel Eburones, vel Menapij, vel Vbij erant, quos omnes bello Francos vicisse omnibus innotescit, prius quàm in Celticam & Ludunensen mouissent. Alia ex parte satis constat, quanto odio Sicambri in Gallos flagrauerint, adeò vt Octauius claudere portas Iani non potuerit, nisi prius traductis in citeriorem Rheni partem aliquot Sicambrorum millibus, vt ex Suetonio didiscimus. Huc accedit, quod Hunibaldus, Trithemius, & cæteri, qui hasce historias nobis per manus tradiderunt, Francos coma vsos, capillitiique magnam habuisse curam, authores sunt. Ideóque subactis Gallis, comam victis totondisse, vt victores à victis eo facilius dignoscerentur: quæ omnia Sicambris optimè quadrant. hinc Martialis,

Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri.

Nullæ enim aliæ Germanorum gentes sicà coma prædicantur, vt Sueui & Sicambri. Adde quòd Franci in inuiis siti erant paludibus, vt Trebellius Pollio, Vopiscus in Probo tradiderunt, qui & Francorum meminerunt. Paludes autem esse nemini ambiguum est ea in parte, quam nos Sicambriam olim dictam credimus, videlicet vbi nunc Intphania vrbs sita est, & non longè ab Asciburgo, quam Embricam quidam vocari existimarunt. Ingens & famosa palus versus Vuestualos protenditur: præterea vbi Frisij occidentales solum ipsum natura paludosum cernitur, quod & fusiùs Hermannus à Nuemare aperuit. Beatus Rhenanus rerum Germanicarum libro primo meminit epistolæ Tiberij ad Germanicum, qua testabatur consilio potius quàm vi effectum, vt Sicambri se dederãt, & eos Sicambros fuisse testatur, qui in Galliam traiecti sunt. vnde satis elici potest, quanto tempore ea gens ante Christũ natum floruerit. Cæterùm Gothis & Hunnis in Pannoniis inualescentibus, cùm Valentinianus hoc nomine secundus tributis populum laceraret, ductore Priamo & Antenore in Germaniam concessêre, proximique Turingis habitantes, vbi postea Francia orientalis prouincia fuit, quæ modo Franconia dicitur, congentilibus suis ad vtramque Rheni ripam habitantibus aduersus Romanos auxilio fuêre. quo tẽpore nouo adscito nomine siue ob audaciam, siue à Franco rege, omnibus modis limitẽ Rheni, Galliarúmque incessêre, tantísque copiis effusi in Neruiis, Belgis, Menapiis, & Contrusiis, postea Franci, Toxandri, Adnatici, siue Aduarij sunt nuncupati. vnde Cornelius Tacitus libro duodecimo Sicambrorum videtur in Galliis meminisse, atque hi quidem Romano sub tributo viuebant, Romanæq; militiæ nomen dabant, vt Tacitus libro quarto annotasse videtur. At maior pars eorum cis Rhenum à Frisiis vsq; ad Salam fluuium Turingis proximi colebant, perpetui atque acerrimi Romani nominis hostes, & qui Galliis iam inde ab initio inhiabant, & limitaneos ad Rhenum exercitus perpetua clade labefactabant, vnde Claudio Aure-

liano & Probo Augusto cum Francis secus Rhenum fuit, vt in ipsorum historiis Flauius Vopiscus animaduertit. Quinimo Maximiniano, & Diocletiano imperantibus, Franci iidem Rheno traiecto, in Neruiis & Treuiris consederunt, agrósque ibi Cæsarum authoritate sub tributo coluerunt. hi cum Cæsaribus pacati eo tempore vsque ad Iuliani & Valentiniani imperia vixerunt, in militaria etiam à Romanis signa dimissi, & in palatio apud Constantium imperatorem officia gesserunt, vt libro decimo quinto Ammianus Marcellinus annotauit. Verùm postea Valentiniano ad culmen imperij euecto, Melobandis regis auspicio, & Saxonum auxilio noua Francorum manus ex interiore Germania excita, Rhenúmque transgressa, dum Cæsar Marcomanico Sarmaticóque bello in Illyricis detinetur, littoralem Belgicæ oram occupauit. quod Marcellinus libris septem & viginti refert. Procopius libro primo Gothicorum bellorum describens locum, vbi Rhenus in Oceanum Germanicum influit, sic ait, Hisce locis paludes sunt non modicæ, vbi primitus Germani habitabant, gens barbara, nec magni tunc momenti viri, qui nunc Franci appellantur. Idem Procopius libro tertio scribit Germanos Galliam iuris sui fecisse: sed de alia Germanorũ gente credi hoc non potest, cùm Francos eo tempore Gallia potitos constet. Primus omnium Francorum Clodouæus vniuersam Galliam eiectis Romanis obtinuisse traditur, qui tempore Martiani imperatoris regnauit: post quem Iustinianus imperauit: centum amplius annorum interuallo fuit Procopius, vir equestris ordinis, qui sub Iustiniano Cæsare militauit. Idem Procopius in Aureliani Cæsaris vita sic ait: Aurelianus apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruẽtes cùm vagarẽtur per totã Galliã

sic afflixit, vt trecentos ex his captos, septingentis interemptis sub corona vendiderit. Hinc sat supérque colligitur, Francos, postquàm à Scythia digressi sunt, annis ante Christum natum quadringentis, Galliis semper inhiasse. Idem Vopiscus in vita Probi imperatoris, Probum Cæsarem à deuictis Francis Francicum à Romanis salutatum affirmat, & Francos à Probo Cæsare victos in inuiis paludibus scribit. Ex his habes Francos victos ab Aureliano necdum Cæsare, qui plus centum annis ante primum Valentinianum imperauit. Deinde Eutropius de temporibus Diocletiani loquens: Franci, inquit, & Saxones mare infestabant, quibus Carausius comprimendis dux præficitur. Hieronymus in Hilarione tradit, temporibus Constantij Cæsaris, missum sacro patri liberandum iuuenem ex Francia. Ea, inquit, prouincia media est inter Saxones & Sueuos. Orosius autem, Valentinianus, inquit, Saxones in Francorum limitibus oppressit. Ammianus Alexandrinus libro decimo septimo, Francos Salios olim dictos author est: quod & Claudianus, & Beatus Rhenanus libro de rebus Germanicis primo probant. Nec mirum videri debet Francos olim diuersa nomina sortitos fuisse, modò Cimbri, modò Salij, modò Sicambri, modò Frãci siue à rege eorum Francone, vt Hunibaldus vult, siue à libertate, vt Gregorius Turonensis & Sigisbertus malunt. ea enim mutandi nominis ratio peculiaris & fere domestica Germanis & Gallis semper fuit. qui enim nunc Leodienses, olim Eburones fuerunt: Colonienses, Vbij: sic Austria nunc appellatur, quæ olim Pannoniæ pars erat: sic Alsatia dicitur, quæ olim Alemania, quod & in Galliis ex Iulij Cæsaris commentariis peculiare fuisse satis colligi potest.

Francos duas habuisse leges antiquissimi authores asse-

runt, Salicam scilicet, & Ripuariam: quibus ante Carolum Magnum nullus quicquam adiicere tentauit: has Francis sacrosanctas fuisse testatur vetustas. in Latinam linguam posterioribus sæculis translatæ reperiuntur. Hermannus enim Nuerarius exemplar temporibus Caroli Magni conscriptum, in quo passim gentis vocabula, quæ Latini vertere non potuerunt, vernacula Germanorum lingua exprimuntur, penes se habuisse author est. Ab eo tempore confirmatis sedibus Francorum in Galliis, cùm & numero, & viribus quotidie crescerent, & Romani contrà intestinis partim bellis, partim à tot ferarum gentium examinibus, multis in locis, Hunnorum præcipuè & Gothorum affligerentur, Aegidio atque Siagrio Galliarum præsidibus debellatis, Belgicam totam, & magnam Lugdunensis Galliæ partem sui iuris fecerunt. Quo tempore & Burgundi Narbonensem, Sequanæque partem, ac Gothi Aquitaniam Romanis ademerunt, cum quibus aliquandiu fœdere percusso communi auspicio rem aduersus Romanos, Hunnos, Alemanósque gerebant, donec Franci omnem ad se rei militaris laudem trahentes, sociis superiores facti, & illis inferre bellum cœpêre. ex quibus Gothi in Hispaniam ex Aquitania profligati abierunt: Burgundi verò serui Francorum facti in vnam cum illis gentem coaluêre, quod ex rerum serie & ordine postea discutietur. scitote igitur dum Artaxerxes Longimanus Persis imperat, quo tempore Iudæi cum Esdra congregati à fluuio Babylonis Ahana Hierosolymam versus proficisci cœperunt, mandatis à rege acceptis, vt Hierosolymam reædificarent, à quo tẽpore Ioãnes Functius septuaginta hebdomades Danielis incipiendas existimauit. Romæ cõsulibus (eodem Functio authore) Marco Papyrio Crasso, & Caio

Furio Pacilo, anno ante CHRISTI natiuitatem quadringentesimo trigesimo tertio, vt Tritemius annotauit: quo tempore Herodotus Thuriis historiam scripsit, vt Plinius libro duodecimo, capite quarto scripsit. Marcomani, qui Scythæ, & Cimbri, & Sicambri, & vltima nominatione Franci nuncupati sunt, relictis vltra Danubium & mare Scythiæ finibus, longo itinere versus Aquilonem errantes, ac deinde contra regionem Theutonum, viam flectentes ad occasum, transmigrationem suam cum vniuerso populo, regni vxoribus, liberísque, omníque supellectile magno labore difficilem & diuturnam incœperunt. fuerunt autem in illa Francorum transmigratione virorum præter mulieres & paruulos centum septuaginta quinque millia, sexcenti quinquaginta & octo ad bellum promptissimi, si Tritemij calculus verus est, cui & Functius satis accedit. Hic Marcomirus populum, cui præfuit, in Germanorum fines ad hostia Rheni perduxit, vbi noua regni sceptra constituit, ex quo tandem vtraque Franciæ regna propagata sunt. huius meminit Herodotus libro quarto, vbi docet quomodo Scythæ Cimmerios regione cedere coëgerunt. hic populus à Saxonibus Nemuage in initio dictus est, quod nouos cognatos significat, & eam prouinciam incoluit, quam Frisij occidentales, Geltenses quoq; & Hollandi inhabitant, circa eam videlicet plagam, vbi tribus ostiis Rhenus mare influit. hinc Sidonius Apollinaris,

Francus Germanum primum, Belgámque secundum
Sternebat. Anno postea regni sui vigesimo, Marcomirus flumine Rheni traiecto, eam terrã quæ insulis Rheni cõclusa mari est proxima, expulsis antiquis colonis iuris sui fecit, eiúsq; tuitionẽ Sunnoni fratri suo commisit, sed Gallis molestè feren-

tibus irruptionem nouæ gentis aduentitiæ in fines Hollandinorum, & eam variis modis irritantibus, rex Marcomirus anno regni sui vigesimo quarto, plurimo contracto exercitu, tam suorum quàm Saxonum nauigio Rhenum trāsiuit, Galliam occidentalem intrauit, & omnia ferro & igne absumens ad Mosam penetrauit, multa cum Gallis prælia victor gerens, cum Britannis fœdus percussit. Iam initium bellorum Francorum cum Gallis, quæ per annos ferè noningentos nunquam cessauerūt, interdū victi, sæpius etiam victores, donec totam Galliam in suam potestatem armis coëgerunt. Iam armis flagrantibus, Marcomiro, anno regni sui vigesimo octauo, natura finem vitæ fecit. Dum hæc in Galliis agūtur, bellum intestinum apud Græcos cœpit, quod Peloponesiacum dicitur, & durauit annis viginti septem, de quo Thucydides & Xenophon scripserunt. Pericles moritur, post quàm rebus Athenienſium quadraginta annis superstes fuit, vt Plutarchus in Pericle, & Thucydides libro secundo testātur. & Socrates, qui scholam philosophorum regebat, plurimo sermone celebratur, vt Eusebius annotauit. Macedonum duodecimus Archelaus rex erat. Darius Artaxerxes Xerxis filius diem obiit. Darius Nothus Persarum sceptra moderatur. Romæ consules erant M. Genutius Augurinus, & C. Curiatius Philo. Quo tempore lata est lex de connubio patrum & plebeiorum, & anno sequente Mugillano, & Lucio Sempronio Atratino consulibus, tribuni militum primùm creati tres. Marcomiro regi successit senior natu filius Antenor, anno à creato orbe, vt Functius annotauit, ter milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, Olympiade nonageſima prima. Persarum rex erat Darius Nothus. quo tēpore Athenienſes cum Argiuis, Mantineis, & Elæis fœdus percusserunt,

cusserunt, in annos centum, Alcibiadis opera, vt Thucydides libro quinto, & Plutarchus in Alcibiade annotarunt. His quoque temporibus Aegyptus à Persis deficit. Romæ Quintus Seruilius Priscus dictator Equos, Lanicanósque vicit, & Lanicos oppidū cepit, & eo colonia deducta est. Antenor filius Marcomiri Francis triginta annos imperauit. connubio sibi iunxit Cambram Belini regis Britanniæ filiam, in qua inerat mira & formæ, & ingenij felicitas, à qua populus Sicamber dictus: nam quandiu hic populus cum Armenis fuit, Armenius dictus est, cum Scythis Scythæ, cum Germanis Germani, cum Gallis Galli, donec tandem Franci in præsentem diem dicti sunt, vt & Tritemius annotauit. Hic Antenor mores gentis nimium Scythica feritate rudes, legibus reddidit cultiores, vrbes & castella proceres ædificare docuit, linum serere, canapúmque terræ committere, atque in vestem vsúmque varium texere mulieribus scientiam dedit, leges composuit, ius dixit. His editis operibus, anno regni sui trigesimo ab hac luce subtrahitur. Antenore secundo rege extincto, Priamus regis Antenoris ex Cambra regina vnicus filius, post patrem Sicambrorū sceptra moderatur. hic populus postea Francus dictus est, cuius regis tempore Sicambricus populus sermonis patrij paulatim cœpit obliuisci. Regnauit Priamus anno à creato orbe ter milleſimo quingenteſimo octuageſimo. Hoc tēpore Mnemon cognomēto Magnus Persis ius dicebat. Ioathan summus Hebræorum erat sacerdos. Romæ Marcus Manlius Capitolinus de saxo Tarpeio deiicitur. solitudo magistratuū vrbem quinquēnio tenuit, plebe reficiēte duos tribunos, Licinium Stolonem, Luciúmq; Sextium Lateranum, & his comitia tribunorum militum perpetua interceſſione tollentibus, segniùs resistentibus patribus,

ob tres quas illi leges promulgarunt, quarum prima fuit de ære alieno minuendo, altera de agrorũ modo finiẽdo, postremò de communicando cum plebe consulatu, quæ omnia Liuius fusiùs prosequitur. hic Priamus post patrẽ Sicambris, qui postea Franci dicti sunt, ius dixit, annis sex & viginti. rerum ad Rheni dextram vsque in Germaniam potitus est paulo antè Alexandri ætatem, vt Lazius annotauit, octauo sui regni anno Cambra mater, & Priamus filius inter ostia Rheni vrbes duas construxere, quarum alteram Neopagum, alteram verò Neomagum in aduentitij sui nominis memoriam appellarunt. In his duabus ciuitatibus, & in Neopago præcipuè regum Francorum sedes fuit. Ab hac luce subtrahitur anno regni sui vigesimo sexto, pluribus ex quatuor vxoribus, quas simul habuerat, relictis liberis. Helenus Priami regis maior natu filius patri in regno successit, anno à creato orbe, vt Ioannes Functius annotauit, ter millesimo sexcentesimo septimo, Olympiade centesima quinta, vel vt Lazius scripsit, anno à creato orbe ter millesimo sexcentesimo quinto. Regnauit annos nouem & decem, mortuus est, vt Tritemius vult, anno ante Christi natiuitatem trecẽtesimo trigesimo septimo: quo tempore Philippus pater Alexandri Macedonici regni sceptra moderatur, & ab vniuersa Græcia imperator appellatur. Romæ Marcus Curtius se armatum deuouit. Chasmatis illius meminit Plinius libro secũdo, cap. vigesimo septimo. Lucius Furius dictator hoc quoque tempore Aruncos vicit, & Sora Voscorum vrbs in Romanorum potestatem deiicitur: & hoc Helenoregnante, Romæ Lucius Manlius Torquatus, & Caius Plancius cõsulatum gesserunt, & paruo pòst tempore Quintus Seruilius Hala tertiùm, & Caius Martius Rutilius consules creantur. His

quoque temporibus Plato moritur, post quem Academiam rexit Speusippus, vt Eusebius tradidit. Persarum rex erat Arsames vel Arses, Helenus Sicambrorum rex cum Gallis Cismosanis sæpe bello conflixit, vnóque bello sexdecim millia Gallorum prostrauit, & primogenitum regis Morinorum singulari prælio interemit, & bonam ditionis partem superato Mosa fluuio iuris sui fecit. Tandem anno regni sui decimo nono egit animam. Diocles Heleni regis natu senior filius post patrem regnauit annis nouẽ & triginta, homo statura corporis procerus, moribus asper, & nimia maturitate seuerus, audax, & ad omnia bella paratissimus. Regnauit anno à creato orbe ter millesimo sexcẽtesimo vigesimo sexto, Olympiade centesima decima, quo tempore Alexander Magnus Thebas captas disrupit, & in Asiam cum exercitu traiecit, ad Granicum Persas collatis signis superauit. Darius ad Issum Ciliciæ victus, mater eius, & vxor cum duabus filiabus captæ ab Alexandro summo honore habitæ, Tyrus obsessa iuris Alexandri fit. Dum hæc in Galliis & Asia geruntu, Romæ Lucius Furius Camillus secundùm consul omne Latium Romano imperio adiecit, statuas equestres meritus. Cõsule T. Valerio cẽtum & septuaginta mulieres veneficæ Romæ deprehensæ damnatæ sunt. Lucius Papyrius Cursor primus, cui imperium prorogatum est, de Paleopoli triumphauit. Lucius Furius Camillus tertiùm cõsul, Lucius Papyrius dictator de Samnitibus triumphauit, anno ab vrbe condita quadringentesimo trigesimo. Idem Papyrius Cursor dictator sine consulibus creatur, anno ab vrbe condita quadringentesimo quadragesimo. Quintus Fabius sine cõsulibus dictator Samnites fudit. In Perside verò his ipsis temporibus Bessus Bactriæ præfectus Darium proditorie interemit. Per-

ſarum regnum ad Græcos tranſlatum à deſtructa Perſarum potentia incipit. prima Callippi Periodos poſt primam Olympiadem annis quadringẽtis quadraginta ſex. harum Periodũ frequens apud Ptolomæum eſt ſermo: ad rem redeo. Anno regni Dioclis duodecimo, vt Tritemius annotauit, & ab orbe condito, vt Ioannes Functius tradidit, ter milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, Gothi fines Saxonum populantur. Bellum ſubitò exarſit. Quinque illius ſæculi potentiſſimi reges fœdus percutiunt. ſæuiſſimæ genti obuiàm itur. Reges erãt Saxonum, rex Doringorum, Theutonum, Rugiorum, & Diocles ipſe Sicambrorum. Committitur atrox pugna: cæſa feruntur plus quàm centum millia Gothorum. Herima quoque rex Doringorum deſideratus eſt. Diocles omnẽ ætatem poſtea exegit in incurſionibus Gallicis, ita vt nec annus quidem quietis adiici ſuo regno poſſit. Moritur tandẽ anno regni ſui trigeſimo nono. Helenus maior natu Dioclis filius ad regni faſtigium aduehitur, anno à creato orbe ter milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, nec regno vtilis, nec populo gratus, ad pacem ſtolidus, & ad bellum ineptus. Anno regni nedum impleto quartodecimo ob inertiam regno ſe abdicare coactus eſt, anno ante natiuitatem Domini ducenteſimo octuageſimo quarto. Baſanus iunior Dioclis antè dicti regis filius poſt reiectionem Heleni ad Sicambriæ ſceptra adſciſcitur, fortis, & audax: quo tempore Demetrius Antigoni filius apud Macedones, Lyſimachus in Thracia, & Romæ Claudius Marcellus, & Nantius Rutilius conſules rerum ſummæ præerant. Baſanus Sicambris ad ripam Rheni imperauit annis ſex & triginta, ac caſtrũ Baſamburus in Iuliacenſi agro condidit. Hac tempeſtate ſeptuaginta duo interpretes ſacram ſcripturam Ptolomæo rege curante in Græcam linguam tranſtulerunt. fuit hic Baſanus obſeruantiſſimus æqui: eius præcepta impunè interuertere nemini licuit vnquam: quocunque pedem promouebat, lumen ſibi præferri, & gladium edicto ſanxit, vt manefeſta iuſtitiæ fides ex his eluceſceret, cuius adeò fuit ſtudioſus, vt neque proprio ſanguini, neque fratri pepercerit. filium habebat, cui Sedani nomen indiderat, qui adulterij reus capite à patre damnatur, & proceribus ſuæ aulæ veniam criminis adoleſcentuli ſupplici oratione orantibus reſpondit, Nolite, ô viri nobiles, iuſtitiæ iura delere, & leges, quas maturè vobis conſentientibus decreui, ne ſubuerti velitis: & conuerſo ſermone, filio dixit: Non ego fili te occido, ſed lex patria, quam ſciens violaſti: apprehenſumque filium capite propria manu truncauit. Is vt ſcripſit Amerodacus Sicambrorum philoſophus, diuinitatis fuit appetentiſſimus, iuſtitiam coluit, gentem dilexit, hoſtem proſtrauit, bonis pius, iniquis ſemper crudelis & ſeuerus. Euanuit, & ſe ſubtraxit à procerum conſilio, vt Tritemius annotauit, anno ſui regni triceſimo ſexto, ante Domini natiuitatem ducenteſimo quadrageſimo octauo, quẽ Sicambri, vt in Deorum cæleſte conſortium tranſlatum, ſub nomine Baſangor coluerunt. Clodomirus Baſani maior natu filius in regno ſucceſſit, anno à creato orbe ter milleſimo ſeptingenteſimo decimo quinto. Regnauit annos octodecim, cui ſucceſſit Nicanor, qui regnauit annos triginta & quatuor. Nicanori ſucceſſit Marcomirus, anno à creato orbe ter milleſimo ſeptingẽteſimo ſexageſimo ſeptimo. Marcomiro ſucceſſit Clodius. Clodio, vt Tritemius tradidit, Antenor, vel vt Lazius voluit, Clodomirus. Clodomiro Merodacus filius ſucceſſit, anno ab orbe creato ter milleſimo octingenteſimo quadrageſimo, vt Lazius annotauit, & Olympiade centeſima ſexa-

geſima quarta, vt Ioannes Functius tradidit. Regnauit annis ſex & viginti, & moritur anno ante Chriſti natiuitatẽ nonageſimo tertio, vt Tritemius ſcripſit, anno regni ſui vigeſimo. Caium Manlium Maximum, & Quintum Seruiliũ Scipionem cum maximis Romanorum copiis ad Rauennam bello fudit, caſtríſque exuit: quo anno Marius de Iugurtha Romæ triumphauit. Quibus temporibus Marcus Tullius Cicero natus ab Aulo Gellio libro decimo quinto, capite vigeſimo octauo traditur. Anno poſtea regni ſui vigeſimo ſecũdo, C. Mario Romæ bellum contra Merodacum committitur, eáque de cauſa conſulatus continuatur, quod contra Cimbros dicitur, latéque à Floro, in Liuio, & Oroſio libro quinto, capite decimo ſexto, & Eutropio libro quinto, & Plutarcho in Mario deſcribitur. C. igitur Marius legiones Romanas cum Gallis ad Moſam cõiunxit, vbi Sicambros, qui & Cimbri quoque dicebantur, bello fudit, proſtratis viginti Cimbrorum millibus. Merodacus fuga ſibi ſalutem conciliauit, & paulò poſt fatis conceſſit. Huic ſucceſſit Caſſander. hic Sicambris imperat. Sylla Archelaum vicit. Athenas capit. Mithridatis exercitum fudit, vt Eutropius, & fuſiùs Plutarchus in Sylla tradiderunt. Caſſandro ſucceſſit Antharius, anno ab orbe creato ter milleſimo octingenteſimo nonageſimo primo. Regnauit annis quinque & triginta. mortuus eſt ante Chriſti natiuitatem anno ſeptimo trigeſimo. Dum hic Sicambris imperat, Hieroſolyma à Pompeio in Romanorum primùm deiicitur poteſtatem, vt Ioſephus libro decimo quarto, & Plutarchus in Pompeio authores ſunt. Hyrcanus ſacerdotales honores geſſit, partim ſolus, partim cum Antipatro Herodis patre. His quoque temporibus Libya Romano imperio per teſtamentum Appionis eius regis acceſſit, vt Eutropius

annotauit. C. Iulio Cæſari Gallia prouincia in quinque annos decernitur, & anno regni Antharij decimo ſeptimo Heluetij Gallias inuadere volentes à Cæſare vincuntur. Anno decimo quinto regni Antharij, Titus Liuius Patauinus hiſtoricus naſcitur, vt Euſebius tradidit. Anno regni Antharij vigeſimo ſeptimo, bellum ciuile Cæſaris & Pompeij exardeſcit. Anno illius regni vigeſimo octauo, Caius Iulius Cæſar oppreſſa Republica primùm ſingulare imperiũ obtinuit. Anno trigeſimo quinto regni Antharij Ouidius poëta naſcitur. Is Antharius Caſſandri regis filius Moguntinos Romanorum colonos miſerabli clade attriuit, eorum vrbem incendio perdidit, Galliam ruinis & armis tam frequenti aggreſſione populatus, vt incenſis vrbibus, vicis deſtructis, caſtellis ſubuerſis, regionem antè fructiferam in ſolitudinem redegerit. Verùm eo conſeneſcente rege, anno regni ſui nouiſſimo irrũpentibus in regionem Sicambrorum Gallis, ſuperato Moſa flumine, celeri exercitu Antharius rex obuiam progreditur, vbi cùm dimicaret incautiùs, ab hoſtibus circumſeptus cum viginti millibus Sicambrorum interiit. Francus Antharij regis maior natu filius regnauit, anno à creato orbe ter milleſimo noningenteſimo vigeſimo nono, ab vrbe condita ſeptingenteſimo decimo quarto, C. Domitio Caluino, & C. Aſinio Pollione conſulibus, à quo Sicambri mutato nomine Franci dicti ſunt, vt Hunibaldus, Tritemius, Lazius, & Functius tradiderũt, ita vt qui antea Cimbri Sicambríq; appellati ſunt, iam paulatim à rege nouo Franci vocari cœperint, vt fœderis ratione Germani. & Gregorius Turonenſis author eſt, cùm beatus Remigius Clodouæum Francorum regem ſacro lauacro ablueret, in corona ſuæ aulæ procerum regi ornamenta regalia deponenti dixiſſe, mitis depone colla

Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti. Anno igitur ante natiuitatem Domini vigesimo quarto, nomen primùm Sicambri mutauerunt in nouum Francorum nomen, & nihilominus in antiquorum scriptorum monumẽtis postea Germani & Sicambri nuncupati reperiuntur: nam licet ipsi nomen sibi Francum sub Franco rege desumptum asciuerunt, subitò tamen exteris & longo interuallo itineris disiũctis populis inclarescere non potuit. hinc factum vt historiarum scriptores, qui eo tempore mutati nominis, & postea claruerunt, siue ignoratione nominis, siue detestatione vocabuli, hanc de qua fit sermo gentem Germanicam sæpius quàm Francicam appellarint, quam gentem non scriptis, sed armis, non amore, sed timore cognouêre Romani. quod ex epistola, quam Beatus Rhenanus libro rerum Germanicarum primo, exscripta à Tiberio ad Germanicum recenset, satis constat, quando consilio potius quàm vi effectum ait, vt Sicambri se dederant. Cum hoc Franco rege Theutonici populi fœdere perpetuo iuncti traduntur, vt quæ regio alteri si opus esset auxilio veniret, à quo fœdere Germanorum nomen eis impositum plerique existimauerunt. Philippus Beroald. in Tranquill. Sicambros populos Trasrenanos Germanus fuisse docet, qui quondam se in solitudinem ac syluas abdiderunt, quos Drusus auspiciis Augusti aggressus tam graui clade vicit, vt pecora, & torques eorum, ipsósque etiam pretio dimiserit, ac vendiderit. Beatus Rhenanus Germanos dictos ait à vocula Gar, & Man, quasi Garman, id est ex toto vir, vel totus vir. Rex itaque Francus pulsis de finibus Saxonum Gothis, rediens ad ostia Rheni, certior factus est Gallos iunctis Romanis, traiecto Mosa flumine, regionem suam igne ferróque perdidisse, nullam nectens moram coacto valido

lido & quàm plurimo exercitu, fabricato ponte Mosam traiecit, & vsque ad flumen Tabul, & mare tam Occidentale quàm Septentrionale, Tungros, Tarubanos, Legiósque, & quicquid his vel interiacet vel adiacet, ferro & igne absumpsit. In eo congressu ceciderunt plus quàm ducenta millia Gallorum: quo facto perculsi Romani, legiones Lollio duce in Saxoniam mittunt, qui primo congressu octodecim millia Germanorũ prostrarunt, quibus rex Francus, vt auxilio socios iuuaret, Clogionem filiũ suum primogenitũ cum valido exercitu suppetias laturum præmisit, qui Romanos fudit fugauitque, anno regni Franci quarto & vigesimo, vt Tritemius diligentissimè obseruauit. Postea anno regni sui vigesimo octauo, ante natiuitatem Domini anno nono fatis concessit. Dum hæc sub hoc rege in Galliis aguntur, in Iudæa Herodes Hierosolyma potitur, & à senatu Romano rex appellatur, per quẽ sceptrum à Iudæorum sanguine ablatũ est, vt prædictum erat Geneseos quadragesimo nono capite. Antonius sexdecim legionibus Parthis bellum infert, & postea victis ac fugatis apud Actiũ Antonio & Cleopatra, inde ad Pharum Alexandriæ iterum fusis, & ab Octauio ad mortem sibi ipsis inferendam necessitate compulsis, Aegypti regnum in Augusti potestatem venit, & Romani populi prouincia facta est, vltimo Franci regni anno. Bellis ciuilibus finitis, imperium Augusti inchoatur: & anno huius regni nouissimo, Cæsar in Syriam nauigauit, pax cum Parthis inita, signis à rege Phraarte, quæ sub Crasso, & postea sub Antonio capta erant, cum captiuis redditis, vt Iustinus tradidit. Franco regi successit Clogio maior natu filius, qui Francis triginta annis imperauit. vir astutus, ingenio versatilis, augur, magus, & astrologus curiosissimus. Anno regni sui

quarto Tiberius in Germaniam validissimo exercitu traiecto populari agros cœpit, cui Clogio rex Francorum, quem vicinæ nationes cum suo exercitu non Frãcum, sed Germanum appllarunt, occurrit: & hoc bello manum cum Tiberio conseruit, & nouissimè cadentibus ex vtroque exercitu pluribus, sine victoria Romani abierunt. Anno postea regni Clogionis decimo octauo, IESVS CHRISTVS æternus & coæqualis Dei filius, homo natus est, qui fuit ab orbe cõdito ter millesimus noningentesimus sexagesimus primus, & antea anno ab orbe condito ter millesimo noningentesimo quadragesimo nono Maria Mater Saluatoris nata erat, vt Beatus Hieronymus tradidit, & Functius supputauit. quo anno Clogio Phrisum filium suum secundo genitum ducem constituit eius regionis, quæ mari Germanico adiacet versus Aquilonem, ab eiúsque ducis nomine Phrisia nomenclaturam accepit, quam paulo post ad regni fastigium euexit, regióque nomine honestauit, adiectis legibus, vt Phrisij omnes ditioni Francorum perpetuò submitterentur, singulisque annis tributum ducentorum sexaginta boum penderent, vt Tritemius annotauit. Is Clogio Turingorum ac Saxonũ auxilio Marcum Lollium aduersus se missum bello fudit, ac interemit: vt Functius, & Lazius tradiderunt. Regnauit anno à creato orbe ter millesimo noningentesimo quinquagesimo quarto, quo tempore Herodes Cæsaream in Cæsaris honorem condidit, quæ prius Stratonis turris Eusebio authore dicebatur. Anno huius regni tertio seditio domestica in domo Herodis orta, vt Iosephus fusiùs prosequitur, anno verò octauo Herodes Aristobulum, & Alexandrum filios suos laqueo nequari iussit, vt Iosephus libro decimo octauo tradidit, annóque huius regni vigesimo, Archelaus relegatus Vi-

nam Galliæ cõcessit. Coponius rector iudex datus est. Herodes Galileæ tetrarcha præficitur, quod idẽ Iosephus fusiùs annotauit. Regnauit Clogio annos triginta. Eo mortuo, successit, vt Tritemius & Functius annotarũt, Herimerus regis Clogionis maior natu filius, anno ab orbe creato ter millesimo noningẽtesimo octuagesimo quarto, & regnauit annos duodecim. huic successit Marcomirus, qui regnauit anno à creato orbe ter millesimo noningentesimo nonagesimo quinto. Primo eius regni anno, Dominus noster pro peccatis nostris passus, & mortuus est, & resurrexit propter iustificationem nostram, reduxítque nobis iustitiam æternam in fine septuaginta hebdomadum, vt nono Danielis aperitur. Quæ in Actis Apostolorum vsque ad caput nonum recensentur, hoc anno gesta sunt. Huius regni anno septimo, Caius Cæsar Caligula, quartus Romanorum fit imperator. Clodomirus anno regni sui decimo octauo fatis concessit. Clodomirus Marcomiri supradicti regis filius regnauit anno à creato orbe quater millesimo decimo quarto, anno ab vrbe condita octingentesimo primo, dum Claudius Drusus Cæsar Romanis imperat. Anno huius regis quarto Philippus Christi Apostolus apud Hierapolim cruci affigitur, & lapidibus obruitur, vt Eusebius annotauit, & Iudæa miserabili clade à latronibus & magis seductoribus laceratur, & affligitur, vt Iosephus & Tacitus libro decimo sexto annotarunt. Moritur Clodomirus Francorum rex anno sui regni duodecimo, postquàm cum Romanis ad Moguntiam Germanorum auxilio dimicauit, & Gallos non dicendis malis affecit. Huic in regno successit Antenor, anno à creato orbe quater millesimo vigesimo quinto, & ab vrbe condita octingentesimo decimo tertio, quo anno Iacobus frater Domini, quem omnes

Iustum appellabant, à Iudæis interimitur, vt in historia Ecclesiastica libro secundo capite vigesimo tertio fusiùs excutitur, & Iosephus libro vigesimo, capite decimo sexto tradidit Romæ Domitius Nero imperat, & Britannicus Claudij filius veneno absumitur. Is Antenor vigesimus secundus Francorũ rex post patrem regnauit annis sex, & anno regni sui sexto, ponte facto in Mosa flumine submergitur, & cum eo nouẽ principes & sexaginta Francorũ nobiles, anno natiuitatis Dominicæ sexagesimo octauo. Antenori extincto successit Ratherus maior natu filius, anno à creato orbe quater millesimo trigesimo primo, & anno ab vrbe cõdita octingentesimo decimo nono. Hic oppidũ Ratherodamũ extruxit. hoc anno Ecclesia Christi, quæ erat Hierosolymis, cõgregata diuino numine agitata in oppidũ Pellam trans Iordanẽ situm trãslata est, vt Ecclesiastica historia fusiùs explicauit, & Vespasianus à Nerone rebus Iudaicis præfectus multa præclara bella gessit. Hinc belli Iudaici initiũ, de quo Iosephus toto libro de bello Iudaico. Ignatius secũdus Antiochię Episcopus ordinatur. Mathematici Italia pellũtur, vt Tacitus tradidit. & Quintilianus à Galba ex Hispania Romã ductus est, vt Eusebius scripsit. Anno huiꝰ regis secũdo, Nero imperator primã in Christianos tragœdiã excitauit, capite minutis Petro & Paulo. Pòst Ratherus rex Gallos plurimis bellis attriuit. Eius regis gesta carmine descripsit Arebaldus, quę postea Hunibaldus soluta oratione auxit. Moritur anno regni sui vigesimo primo, Dominicæ natiuitatis anno octuagesimo nono, cui successit Richimerus anno à creato orbe quater millesimo quinquagesimo secundo, anno ab vrbe condita octingentesimo quadragesimo, regis Ratheri filius, qui regnauit annis quatuor & viginti. Romæ Clemens tertius Episcopus est, vt

Ecclesiastica historia libro tertio, capite tertio prosequitur. hæresis Nicolaitarum exoritur, vt eadẽ historia capite vigesimo nono tractat, & Irenęus libro primo, capite vigesimo septimo, & Augustinus in catalogo hæresum tradiderunt. Domitianus imperij sceptra moderatur. Quintilianus Calagurritanus ex Hispania primus Romæ scholam publicã aperuit, & à fisco salarium publicũ accepit, vt Cassiodorus & Eusebius annotarunt. anno huius Richimeri quarto, Domitianus se Deum appellari iussit, vt Cassiodorus prosequitur, & ne arua negligerentur ob nimium vinearum studium, nouellare prohibuit. Hoc quoq; tempore Iosephus historiam de bello Iudaico conscripsit, vt ipse idem in peroratione Antiquitatum edocuit. Tertia his diebus in Christianos persecutio Domitiano authore fit, vt Ecclesiastica historia capite decimo septimo fusiùs edocuit, & liber reuelationum de Ecclesiæ statu ab Angelo Christi demonstratis visionibus per Ioannẽ scriptus est, quem nos Apocalypsim vocamus, vt Irenæus libro quinto testatur. Anno huius Richimeri regni decimo tertio, Beatus Ioannes Apostolus & Euangelista moritur, vt pater Hieronymus tradidit, post quem claruerũt discipuli eius Papias Hierosolymitanus Episcopus, Polycarpus Smyrnensis, & Ignatius Antiochenus, de quibus Ecclesiastica historia capite trigesimo sexto & trigesimo nono: & mortuo Clemente, Euaristus Ecclesiæ Dei præficitur, & occiso Domitiano, Cocceius Nerua decimus tertius Romanorum imperator creatur. Hic Richimerus vigesimus quartus Francorum rex, princeps fuit perquàm magnificus, audax, & ad arma paratissimus, in cultura idolorum gentis suæ nimium superstitiosus, quippe qui Romanos in numero Deorum non solùm æquare, sed vincere maximè studuit. Anno

regni sui vndecimo Richimerus Francorum rex cum Romanis & Gallis non procul ab vrbe Basana acerrimè pugnauit, & facta vtriusque exercitus plurima strage, receptui canit vtraque acies, & Romanis legionibus ad Coloniam Agrippinam reuersis, mors Neruæ Cæsari eis innotuit. hoc quoque anno Gothi Germaniæ fines armis aggressi à Richimero vincuntur, & huius regis anno decimo septimo Germani, Frãci, Saxones, Turingi colonias in eam regionem, quæ nunc Marchia Brandeburgensis est, deduxerunt: quorum primus dux fuit Sunno Richimeri secundo natu filius, vt populos ab oriente & septentrione in Germaniam excurrentes itinere prohiberent. Tandem moritur Richimerus anno regni sui vigesimo quarto, & anno Dominicæ natiuitatis centesimo decimo tertio, cuius vitam & mores Ruthunicus Francorum vates carmine conscripsit: cui successit Odemarus maior natu filius, anno ab orbe creato quater millesimo septuagesimo sexto, anno à Christo nato centesimo decimo quarto. quo tempore Traianus in rubro mari classem instituit, vt inde fines Indiæ popularetur. Romæ Sixtus sextus pontifex est, Hierosolymis post Philippum decimus cõstituitur Pontifex Seneca, post quem vndecimus Iustus, cui successit duodecimus Leui, post quem fuerunt decimus tertius Ephris, decimus quartus Ioses, decimus quintus Iudas. hi omnes ordine successiuo episcopi Hierosolymis fuerunt, vsque ad euersionem, quæ sub Adriano contigit. fuerúntque omnes ex circũcisione, regno Odemari quinto, Aelius Adrianus imperator decimus quintus Romæ regnat, & anno Odemari nono, Britanni à Romanis deficiunt, quos Trebellius vices Adriani gerens vicit & compescuit. hinc vt Spartianus tradidit, Britannia à Scotia muro diuisa est, quod tamen opus

pleriq; Seuero imperatori ascribũt. Is Odemarus Francorum rex inducias cum Romanis, & Gallis pepigit, quas, quandiu vixit, inuiolatas seruauit. pacis studiosissimus fuit. regnauit annos quatuordecim. moritur anno Dominicæ natiuitatis centesimo vigesimo septimo. huic successit Marcomirus maior natu filius. Marcomiro successit Clodomirus. Clodomiro successit Farabertus, anno à creato orbe quater millesimo centesimo vigesimo octauo. Romæ Marcus Aelius Antoninus Philosophus imperat, & anno regni Faraberti duodecimo, Antoninus cum filio suo Commodo, quem Cæsarem fecit, triumphum egit, de quo Iulius Capitolinus, Lampridius, & Eutropius fusiùs historiã contexuerunt. Et anno regni Faraberti decimo quinto, Antoninus Philosophus Cæsar Antonino Commodo & Varo consulibus, vita decessit: cui Antoninus Commodus in imperio successit, à prima statim pueritia turpis, improbus, crudelis, ita vt balneatorem, qui non statim audierat dicto, in fornacem ignis coniici iusserit. Libidinosus denique adeo, vt trecentas concubinas, & totidem puberes in deliciis habuerit, vt copiosè Aelius Lampridius tradidit. Anno imperij primo de Germanis nondum victis triumphum egit. Romanæ verò Ecclesiæ præfectus erat Eleutherius, duodecimus Episcopus, qui statim ab initio sui pontificatus Faganum & Diuianum Episcopos in Britanniam misit, petente id Lucio rege, qui anno regni sui decimo tertio Christi fidem susceperat, vt Beda & Gildas Angli authores tradiderunt. Ecclesia Christi, imperante Commodo placida pace cõposita est, qua antea verbum Domini quàm maximè populo innotuit, vt historia Ecclesiastica capite vigesimo primo tradidit. Irenæus Episcopus Lugdunensis, qui cõtra sui temporis hæreses & eleganter & piè scripsit, clarus

habebatur, vt Eccleſiaſtica hiſtoria capite vigeſimo, & vigeſimo ſexto fuſiùs ſcripſit. hic de quo nunc fit ſermo Farabertus, maior natu Clodomiri filius, Francorum rex regnauit annos viginti. antiquum fœdus cum Germanis renouauit, & amicitiam per Francum regem contractam, & longis temporum interuallis confirmatam, & ſæpius conſtitutione noua roboratam, cum Saxonibus, Doringis, Theutonibus, Marcomanis, & Cimbris ratam & firmam conſtituit. quæ amicitiæ fœdera & pignora cùm Romani æquo animo non ferrent, anno regis Faraberti ſexto, qui fuit Dominicæ natiuitatis centeſimus ſeptuageſimus primus, Aurelius Commodus Cæſar, miſſis per Sarmatiam legionibus, in Germaniam contra Dacos, Marcomanos, Theutones, Saxones, Germanos, & Francos, agros populari cœpit, cui valido exercitu obuiàm itum eſt, támque felici marte pugnatum, vt re infecta Romani non ſine dedecore receptui canere coacti, vnde digreſſi fuerant, reuerterunt. Anno poſtea regis Faraberti vndecimo, denuò Romani per Sarmatas in Germaniã exercitum traduxerunt, diúque acri prælio pugnatum eſt, magna ex vtroque exercitu ſtrage facta. De cuius belli exitu Hunibaldus, & Tritemius prolixè hiſtoriam contexuerunt. his rebus terminatis, Farabertus Francorum rex diem clauſit extremum anno centeſimo octuageſimo quinto. Cui ſucceſſit Sunno, Faraberti maior natu filius, qui mortuus eſt anno regni ſui octauo & vigeſimo, Dominicæ verò natiuitatis ducenteſimo decimo tertio. Dum hic Francorum ſceptra moderatur, Romanis imperat Aelius Pertinax imperator, qui poſt alterum menſem & dies viginti quinque, poſtquàm imperator factus eſt, occiſus à militibus quinto calendas Aprilis, vt Iulius Capitolinus annotauit: cui in imperio ſucceſſit

ceſſit Didius Iulianus cædis Pertinacis author. qui imperauit diebus ſexaginta & quinque. Hinc ſecutus Lucius Septimius Seuerus Afer, vigeſimus ſecundus Romanorũ imperator. Sunnoni in Francorũ regno ſucceſſit Hildericus Sunnonis regis maior natu filius, qui regnauit annos quadraginta, & mortuus eſt anno Dominicæ natiuitatis ducẽteſimo quinquageſimo tertio. Romæ imperarunt, dum hic Francorum rebus præeſt, Antonius, Baſianus, Caracalla, Seueri filius Romanorum vigeſimus tertius imperator, & eo extincto Opilius Macrinus, vigeſimus quartus imperator imperio Romano præficitur. Quo extincto ſucceſſit Marcus Aurelius Heliogabalus, vigeſimus quintus Romanorum imperator, libidinoſa bellua: cui ſucceſſit in Romano imperio Aurelius Alexander Seuerus Mammeæ filius, vigeſimus ſextus Romanorũ imperator, qui à cõſiliis ſuis doctiſſimos aſciuit, quorum meminit Lampridius. fuerunt autem Fabius Sabinus, Domitius, Vlpianus, Aelius Gordianus, Iulius Paulus, Venatus Pomponius, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Calliſtratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celſus, Proculus, & Modeſtinus: hi omnes fuerunt iuris profeſſores, & diſcipuli Papiniani. Fuerant antea Iuriſconſulti percelebres: omnium iuris conſultorum vetuſtiſſimus fuit Quintus Mutius Scęuola, cuius apud Ciceronem plurimus fit ſermo. Gallus deinde Aquilius Ciceronẽ orãtem pro Milone iudex audiuit, quem Cicero in Topicis familiarẽ ſuũ appellat, horum tantũ reſpõſis irrigãtur digeſta, Labeoni aſcribũtur libri pithanõn, hoc eſt credibilium ſeu veriſimiliũ. item poſteriorum decem, Labeonẽ vocat Horatius inſanum, de cuius ingenio, natura, ſtudiis, & doctrina multa Gellius in Atticis noctibus. Saluius Iulianus floruit Adriani tempo-

ribus, & iudicanti fuit in consilio Numeratius Priscus, & Metianus, & Iulius Celsus, Adriani tempore floruerunt. claruit etiam his temporibus Solbidius Scæuola, cui Marcus Antoninus philosophus operam dedit: & deinde factus imperator plurimum illo vsus est. hic Seuerum docuit & Papinianū. hæc Politianus, qui Metianū & Celsum ad Adriani tempora reiicit, tamē Lampridus Alexandri tēporibus hos floruisse scribit. ad rem redeo. Temporibus Childerici Francorum regis, celebris apud Francos habitus est Hildegastus, qui Francos ad cultiorē vitam, & mores tam amictu quàm in ædificiis traduxit. Nam ante hæc tempora humilibus ædificiis vsi sunt. mortuo Childerico Batherus Childerici regis maior natu filius in Francia regnauit decem & octo annos, ab orbe creato quater millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. Anno regni sui nono, cùm Romani sub Gallieni lasciuientis imperio torperent otio, tempus nactus rei præclarè gerendæ, per opportunum conspiciens, auxiliarijs Germanis, Saxonibus, Bauaris, atque Doringis in Italiam exercitum traduxit, omniáque vsque ad Rauennam ferro & igne absumpsit, & amplissimis Italorum spoliis locupletatus, patrios remeauit ad agros, & anno huius Batheri decimo tertio, qui fuit Dominicæ natiuitatis ducētesimus sexagesimus sextus, Franci auxilio Germanorum & Saxonum valido cōtracto exercitu, & Rheno Mosáque transmissis, Galliam acerrimis bellis infestarunt, & per Bellouacos vltra Sequanam producentes exercitum omnia ferro ignéque vsque ad Hispanias absumunt. Incursionis Francorum in Hispanias meminit Beatus Rhenanus libro rerū Germanicarū primo. Tarraconensem vrbem nobilem obsidione cingentes funditùs euerterunt: tandem anno regni sui octauo & decimo egit

animam, anno Dominicæ natiuitatis ducentesimo septuagesimo primo: cui successit in regno Franciæ Clodius regis Batheri maior natu filius, rex tricesimus secundus. Regnauit annos septem & viginti. Anno illius regis tertio, Romani missis legionibus Alemaniā nuper receptæ iniuriæ memores bello petierunt. acriter pugnatum est. Franci Galliam inuadunt. ceciderunt ex Gallis & Romanis multa corporum millia. Franci magnam Galliæ partem septennio occupantes habitauerunt. moritur Clodius anno Dominicæ natiuitatis ducentesimo nonagesimo septimo. Dum hic in Francia regnat, Romæ imperatores sunt Valerius, Aurelianus, annis sex minus paucis diebus: & occiso per serui sui fraudem Aureliano Augusto, per sex menses imperator ex consulibus factus est Annius Tacitus, octauo calendas Octobris, qui imperauit menses sex. Hoc quoque à militibus occiso, Florianus, Taciti frater, imperauit per menses duos diésque viginti. post hos imperium adeptus est Aurelius Probus, à militibus oriētis Augustus factus, Floriano à suis interfecto. Belli, quod Probus Cæsar contra Francos gessit, vnà Francisci nomen adeptus est, meminit Procopius in Probo. Extincto Aurelio Probo, Carus cum filiis suis Carino & Numeriano Romani imperij sceptra consequuntur. Carus bellum Persicum, quod Probus parabat cum filio Numeriano, aggressus Mesopotamiam obtinuit, & Ctesiphontem vsque peruenit. in tempestate maxima morbo periit. Numerianus ab Apro socero suo occiditur. his in imperio successit Diocletianus, qui Aprum Numeriani occisorem propria manu interfecit, vt Aurelius Victor latiùs prosequitur. Dum hæc in Frācorum regno & Romano imperio geruntur, Paulus Samosatenus vltimo Antiochiæ Episcoporum habito concilio, hæreticus

damnatur, cùmque cedere ſacerdotio nollet, authoritate Aureliani manu publica eiicitur, vt Eccleſiaſtica hiſtoria fuſiùs capite vigeſimo ſexto edocuit. hoc quoq; tempore Felix, vigeſimus quintus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur, & poſt eum longo tempore Caius. Antiochenæ Eccleſiæ decimus octauus Epiſcopus fit Cyrillus, cuius opera doctiſſimè conſcripta hodie extant. his diebus Manichæorum hæreſis à Manete quodam in cõmune humani generis malum exoritur, vt Eccleſiaſtica hiſtoria capite ſeptimo & vigeſimo ſeptimo fuſiùs tractat. & de his ſatis ſupérq; ad rẽ redeo. Vualtherus Clodij regis filius poſt genitorem Francis annis octo imperauit, anno ab orbe creato quater milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo, Olympiade ducenteſima ſexageſima nona. Princeps fuit fortis. Huius regni tempore Diocletianus in oriẽte, & Maximianus in occidẽte publica vbiq; Chriſtianorum perſecutione Chriſti dogmata euertunt, Eccleſias, & libros diuinos igne perdunt: & hæc fuit decima poſt Neronẽ Chriſtianorũ perſecutio. Diocletianus primo anno Vualtheri Francorũ regis ſe vt Deum adorari edicto in hãc rem cõſcripto ſanxit, quo tẽpore Alexandriã cum omni Aegypto Romano adiecit imperio. Belli, quod Diocletianus cõtra Francos geſſit, meminit Eutropius in Diocletiano. Anno huius regis Vualtheri ſecũdo & tertio magnæ in Britannia excitãtur tragœdiæ. Mortuo ante aliquot annos Lucio rege, qui piam Chriſti religionẽ cum omnibus ſuæ ditionis hominibus agnouerat, anno à natiuitate Chriſti octuageſimo quinto. Tẽporibus Faraberti Francorũ regis, Romani Seuerũ ſenatorẽ in Britanniã, vt regni ſceptra cõſequerentur, miſêre: qui apud Eboracũ à Fulgenio occiditur. Illo quoq; tẽpore Baſianus Seueri filius occidítur. Quo extincto Ceraufus Britãniæ regnũ

inuaſit, ſpretis & neglectis Romanorum iuribus. Dum hæc in Britannia gerebantur, rex Vualtherus quieuit à bellis, & moritur anno regni ſui octauo, Dominicæ verò natiuitatis anno trecenteſimo ſexto. Quo extincto Dagobertus Vualtheri Francorum regis maior natu filius, anno ab orbe creato quater milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono, in regno ſucceſſit, quo tempore Conſtantius Chlorus, & Maximinus Galerius Auguſti, imperium diuiſerunt. Gallia, Africa, Hiſpania, & Italia Conſtantio: Græcia, Illyricum, & Orientis prouinciæ Galerio obueniunt. His temporibus Sylueſter trigeſimus primus Romanorũ pontifex clarus habebatur. Maximinus in Orientis partibus crudeliſſimè in Chriſtianos debacchatur. Morbo graui correptus edictum, quod in Chriſtianos tulerat, reuocauit. Hoc quoque tempore Lactantius Firmianus Criſpi Cæſaris Magiſter, vir omnium ſui temporis doctiſſimus clarebat, ſed tanta egeſtate laborans, vt plerunque etiam neceſſariis indiguerit. Interea Cœlus, qui Britanniæ regno armis occupato potiebatur, fœdus cum Romanis percuſſit, pacis conditiones erant, vt quotannis tributum Romanis à Cœlo pro Britanniæ regno penderetur. Qua pace firmata non diu Cœlus ſuperſtes fuit, cuius filiam Helenam pulchritudine, ſapientia, religione Chriſtiana, & pietate in DEVM nulli virginum ſecundam, Conſtantius vxorem duxit. Ex eo matrimonio natus eſt Conſtãtinus imperator cognomento Magnus, qui regno Britanniæ cum ea, de procerum omnium aſſenſu, potitus eſt. Dum hæc in Britannia geruntur, Dagobertus trigeſimus quartus Francorum rex, anno regni ſui vndecimo ſatis conceſſit, anno à natiuitate Chriſti trecenteſimo decimo ſeptimo: cui in regno ſucceſſit Clogio, trigeſimus quintus Francorum rex Dago-

berti regis filius, qui duobus duntaxat regnauit annis, & secundo regni sui anno, Romanis & Gallis acerrimo marte Francos in regionibus Cismosanis aggredientibus, omnia igne ferróque absumentibus, cùm rex Clogio contractis (vt per tempus licuit) copiis, hostibus occurrisset, incautiùs dimicans occubuit, vt Eutropius libro decimo fusiùs prosequitur. At Clodomer regis peremptifrater, retracto ex acie corpore, illius se induit armis, vt à cunctis ipse rex esse existimaretur, ne amici cognita regis morte deficerent animis, néve inimici indigna morte regis exultantes, animis crescerent. Itaque dux Clodomer regiis armis indutus ad aciem regressus, cùm rex ipse esse communi errore putaretur ab omnibus, & suis constantiam, & hostibus metum incussit: & fortiter pugnando bellum restituit, Gallósque tandem cum Romanis ad fugam coëgit, & parta victoria, collectis hostium spoliis, Francos hoc periculo liberauit. Clogio itaque Frãcorum rex occubuit anno regni sui secundo, natiuitatis Dominicæ trecentesimo decimo nono. filios reliquit duos, quorũ natu maior Helenus annũ tunc agebat vigesimũ, iunior verò Richimer octauum decimum. Lege autem fuit Francis interdictum, ne quem in regem promouerent priusquàm quartum & vigesimum ætatis annum compleuisset, vt Tritemius annotauit, Quæ tamen lex postea abrogata est, vt in Clodouæo & Clothario cõstat. Hinc factum, vt eorum neuter ad regni infulas peruenerit: sed eorũ patruus Clodomirus regno cõmuni Frã-
corũ decreto potitus, anno à creato orbe quater millesimo ducẽtesimo octuagesimo secundo, & anno Christi trecentesimo vigesimo. Regnauit annis decem & octo. Beatus Rhenanus libro, quem de rebus Germanicis scripsit, primo, meminit Ascarichi & Regaysi duorum Francorum regum, quos Constan-

tius bello fudit, & in terrorem Francorum diris excruciatos suppliciis trucidari iussit. Demortuo Constantio, eius filius Constantinus ex Helena, fauore militum, & Croco Alemanorum rege illi auxilium ferente, imperium arripuit, cùm postea in Italia ad imperij fastigium à Galerio subueheretur Licinius, eóque & paulò post alterum par Augustorum, nempe Maxentius & Maximinus accederet, quo paulatim glisçente odio mutuis bellis confecti conciderunt: longissima tamen concordia inter Constantinum & Licinium fuit. fuêre itaque eodem tempore imperatores Constantinus, Maxentius, Licinius, & Maximinus annis tribus. Postea Constantinus, Licinius, & Maximinus annis quinque. Postea Cõstãtinus, & Licinius annis octo. Nouissimo loco Cõstantinus Magnus solus anno Christi trecentesimo vigesimo septimo, vsque ad annum Christi trecentesimum trigesimum nonum. Quo tempore synodus trecentorum decem & octo Episcoporum Niceæ Bithyniæ, iussu Constantini congregatur: in qua peruersa Arianorũ impietas damnata est. De qua Russinus libros decem scripsit. Est tamen hæc ratio de Niceni concilij temporibus multo extricatius expedienda. Eusebius eam synodum in Nicea vrbe congregatam ad trecẽtesimum vigesimum quartum annum Christi reiicit. Cæterùm Græcus liber canones synodales complectens, eam ad annum trecentesimum sextum reponit. Nicephorus Ecclesiasticæ historiæ libro octauo, anno Domini 327. mauult. & Helena mater Constantini Imperatoris crucem, in qua salus mundi pependit apud Hierosolymam reperit, vt Eusebius, Russinus, & Tripartita historia libro secundo, capite decimo octauo tradiderunt. Hoc quoque tempore Constantinus Dominicum diem sanctum, & à iudiciis, aliísque prophanis negotiis

liberum decreuit. L. Omnes. C. de Feriis, & historia Tripartita libro primo capite nono. Ad Clodomirum redeo. Cùm perpetuum inter Sueuos & Doringos bellum exardesceret, neque mederi huic morbo humana consilia possent, visum est Doringis defensionis murum inter eos & Sueuos interponere. Terra erat & amplitudine contra meridiem lata, & fructuum vbertate fœcunda: cuius vltimos fines Sueui disterminant. hanc Doringi Francis offerunt, vt positis Franciæ incolis Doringis sint in murum defensionis, Sueuis verò in metum. At Franci, qui nihil habebant antiquius, quàm Francorum proferre imperium oblatum, terram suscipiunt. Anno igitur Clodomiri regis Frãcorum septimo, Dominicæ verò natiuitatis trecentesimo vigesimo sexto ab ostiis Rheni, vbi primas Franci in Germania sedes olim habuerant, exierunt cum vxoribus, liberis, & omni supellectile, viri armati triginta millia, agricultores duo millia sexcẽti octoginta sex, ad nouas cõsequẽdas sedes Frãcis à Doringis pmissas: profecturi ducẽ populi Franciæ orientalis rex Clodomirus Genebaldũ fratrem suũ constituit, cui exercitũ, & totius ducatus administrationem his legibus commisit, vt ipse eiúsque perpetuò successores sub Francorum ditione viuerent, Francorum mandatis omnino parerent, in omnibus Francorum bellis mandati suppetias ferrent. His datis & acceptis legibus, Genebaldus dux Franciæ orientalis ad Meniganium proficiscitur, & oblata patria triginta annis potitur, patriámque illam non solùm prudenti consilio rexit, sed limites auxit. Iacet hæc terra circa Menum fluuium, ab oriente Boios habens atque Boëmos, à meridie Sueuos, ab occidente Rhenanos, & Moguntianos, ab aquilone verò Fagophagos, atque Doringos. Quæ omnia fusiùs Hunibaldus, & Tritemius prosequuntur.

prosequuntur. Regnatum est in hac Francia orientali quatuordecim supra quadringentos annos, viginti ducibus ordine successiuo ex eadem stirpe succedentibus: donec anno Dominicæ natiuitatis septingentesimo quinquagesimo secundo, Pipinus regno Franciæ iam ornatus, ducatũ Franciæ orientalis, de quo nunc factus est sermo, sancto Burghardo, Ecclesiæ Vuirciburgensi primo Episcopo, & successoribus eius perpetuò donauit, vt Tritemius annotauit. hæc terra, vt Lazius vult, hodie Ostro Francia, siue Franconia dicitur. Mortuo Clodomiro, Richimerus Clodomiri regis maior natu filius patri succedens regnauit annis tredecim, anno ab orbe creato quater millesimo trecentesimo, Olympiade ducentesima septuagesima octaua, anno verò Christi trecentesimo trigesimo octauo. Hoc tempore Constantinus Magnus Byzantium Thraciæ vrbem amplissimo muro circumdedit, multísque nouis splendidis ædificiis exornauit, & ex nomine suo Constantinopolim dixit, Romæ Pacatiano & Metilio consulibus. Is nouissimo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediæ Episcopo in Nicomedia sacro lauacro abluitur, Hieronymo & Ambrosio testibus, & moritur Constantinus anno Christi trecẽtesimo trigesimo nono, anno verò ab eiectis regibus octingentesimo quadragesimo sexto, & anno ab vrbe condita millesimo nonagesimo, Olympiade ducẽtesima septuagesima nona, priùs in filios fratrísque filium Dalmatium concordiæ conseruandæ causa diuiso imperio, quod pleno ad liberos iure pertinebat, & postea quoque peruenit: Dalmatio protinus à Constantini Augusti morte à militibus in Thracia trucidato, simul imperant Constantinus, Constantius, & Constans annis tribus: & postea Constantius & Constans annis decem, & postea Constantius solus. Dum hæc Romæ geruntur,

Richimerus trigesimus & septimus Francorum rex, anno regni sui quarto, contractis amicorum auxiliis, Galliam omni ex parte adoritur: cui Tiberianus Romanorum præfectus cum valido Romanorum & Gallorum exercitu fit obuiàm, & coniunctis manibus ad certamen diu ancipiti marte pugnatum est. Postremò victi Romani & Galli, fuga saluti suæ consuluerunt. Anno postea Richimeri regis sexto sub Constante Cæsare Romani & Galli denuò manus conseruêre: prima congressione victores Romani, secunda victi & superati solo cesserunt, & nouissimo loco, decimo tertio Richimeri anno pugna acri cum Romanis acta Francus rex occiditur. Dum hæc in Galliis geruntur, concilium Arianorum Antiochię habetur, in quo Nicenũ damnatur, vt Tripartita historia fusiùs prosequitur capite 3. paulò pòst concilium Sardicense in Illyria cogitur, quo Nicenum confirmatum, Ariani excommunicati. Athanasius, & (qui ob veram Christi pietatem ab Ecclesiis pulsi erant) Episcopi in sedes suas restituti sunt, vt Tripartita historia capite vigesimo fusiùs enuntiauit. Tandem Richimerus fatis concessit, cui in regno Franciæ successit Theodomirus, qui regnauit anno mundi quater millesimo trecentesimo decimo tertio, & decimo sui regni anno à Romanis bello captus cum matre Hastilla capite damnatur. Huic successit Clogio trigesimus nonus Francorum rex, qui regnauit anno ab orbe creato quater millesimo trecentesimo vigesimo tertio, & anno Christi trecentesimo sexagesimo primo, quo anno Beatus Antonius Monachus anno ætatis suæ centesimo quinto diem obiit. de quo Hieronymus in vitis patrum. Concilium Nicenum secundum hoc tempore congregatum terræ motu dissipatum est, vt Tripartita historia capite trigesimo quarto fusiùs edocuit.

Romæ Claudius Iulianus Cæsar Augustus erat. Clogio Francorum rex moritur anno regni sui decimo octauo, qui fuit Dominicæ natiuitatis trecentesimus septuagesimus octauus. Tres reliquit liberos. Nos nouissimi meminisse voluimus, qui fuit Hector, cognomento Degenbart, ex quo Pipinus, & Carolus cognomento Magnus imperator suam traxerunt originem, vt Tritemius annotauit. quadragesimus Francorum rex fuit Marcomirus Clogionis maior natu filius, anno à creato orbe quater millesimo trecentesimo septuagesimo nono. Hic quatuor continuis annis bellum cum Romanis gessit. tandem ad Agrippinam cum ingenti præda victoriam obtinuit. postea rex Marcomirus contractis copiis exercitum in Galliam ducibus Sunnone, Genebaldo, Priamo, & Antenore traduxit, qui nõ longo temporis interstitio Galliæ non modicã partem Francorum adiecerunt imperio. Interim dum hi duces bello intendunt Gallicano, Romani Francorum regnum duce Valentiniano Cæsare, qui cum Theodosio imperabat, adoriuntur: cum quibus Marcomirus acerrimo prælio congreditur, & ab hostibus peremptus cecidit, aliis Francis fuga labentibus, anno regni sui decimo quinto, Dominicæ verò natiuitatis trecentesimo nonagesimo septimo. Dum Valentinianus hoc bello superior omne Francorum imperium spe deuorat, de repente Longobardorum incursionibus in Italiam retrocedere compellitur, & dissimulata necessaria reditus in Italiam causa, Francis aut necessarium bellum obeundum esse, vel tributum Romanis pendendum, alterum proxima die eligant necesse esse: at Franci rege orbati, & robore militiæ cum ducibus in Gallia constituto, viribus se Romanis impares conspicientes, electione tributi pendendi, periculo liberantur. quod tamen promittere sine principum

procul absentium consensu minimè licuit: qui principes in Franciam reuersi, patriam in auita libertate conseruare cõstituerunt. Vacauit autem rege Francorum regnum sex & viginti annis, & duces Francorum regnum viginti sex annis administrant: quo tempore Valentinianus tributum Francis ab eis nuper pactum imperat. Franci se tributum imponere cæteris nationibus consueuisse, soluere nunquam, vitam potius quàm libertatem perdere malle aiunt, antea à Valentiniano dolo, non fortitudine victos. His temporibus satis iniquo marte Franci pugnarunt: Gallias inuadunt. Inde nouum bellum nascitur. Franci quoque postea Rhenum transeuntes à Burgundionibus & Vandalis repelluntur. Interregno durante Francorum, duces fuere duo, Dagobertus interrex anno Dominicę natiuitatis trecentesimo nonagesimo septimo, & Genebaldus, qui in gubernatione regni Francorum, præfuit genti annis vno & viginti, qui tamen nec regẽ se scripsit, nec regẽ nominari passus est. Is vnà cum reliquis Francorum ducibus Rempublicã, & bella cõmuni suffragio felicibus auspiciis administrauit. Præfuit Genebaldus huic administrationi anno ab orbe creato quater millesimo trecentesimo sexagesimo nono. Hoc tẽpore Beatus Augustinus sancti Ambrosij discipulus Hipponæ Africę Episcopus ordinatur. Claudianus poëta insignis habetur. Anastasius trigesimus septimus Romanus Episcopus creatur: durauitq; hoc interregnũ vsq; ad Pharamũdum oriẽtalis Franciæ ducẽ, qui omniũ Francorũ assensu rex Francorũ declaratur, anno ab orbe creato quater millesimo trecẽtesimo octuagesimo secũdo, anno Christi quadringẽtesimo vicesimo, Olympiade ducentesima nonagesima nona. fuit hic Pharamũdus Marcomiri magni ducis orientalium filius, cõmuni voto procerũ electus in regẽ, ducatũ verò

Franciæ orientalis eodẽ anno cõmendauit Marcomiro fratri suo regendũ, quem ille strenuè rexit annis decẽ & octo, cuius genus & successores in ducatu Ostro Frãcię ordine successiuo vsque ad Pipinum describuntur, & postea ordine suo discutientur. A Pharamundo incipiunt Francorum reges in Gallia numerari. Hic Pharamundus hoc nomine primus Honorio & Arcadio imperantibus, Francorum regnum ad ostia Rheni administrauit, primúsque limitem ausus est transcendere, pedémque in Belgicam proximam regionem promouere: regionem Mosellanam cepit, Treuirorum Augusta vastata, quem Aetius ne fœcundis agris potiretur, armis demum fugauit. Anno regni sui tertio Pharamundus Franciæ populum moribus incultum, animísque ferocem legibus coërcere vehementer cupiens, conuocatis quibusdam regni proceribus, de nouarum rerum constitutione cœpit habere cõsilium: veterum namque regum constitutiones temporum ratio non admittebat, quas videbat aut correctione mutandas, aut nouitate tollendas: delecti sunt viri prudentes quatuor, quibus vnà cum proceribus, condendarum legum fecit potestatem. Ij igitur volumen legalium constitutionum nouum ediderunt, quod à Salagast præcipuo authore, qui summus Iouis pontifex erat, nomen legis Saligæ accepit: cui postea rex Clodouæus interpretationis quædam capita superaddidit. Regnauit Pharamundus anno à Christo nato, vt Paulus Aemilius annotauit, quadringentesimo vigesimo. Huius regis tempore Bonifacius Romanæ Ecclesiæ quadragesimus Episcopus præest, Hieronymus pater obiit in Bethleem anno suæ ætatis nonagesimo primo, anno verò à Christo nato quadringentesimo vigesimo primo, pectore ob immensos labores ita deiecto, vt lecto, nisi apprehenso mani-

bus fune, qui ad hoc de trabe pendebat, non surgeret. Huius quoque regis Pharamundi tempore concilium Carthaginense, in quo Pelagianum dogma damnatum est, cogitur: vt Ioannes Functius fusiùs annotauit. His quoque temporibus Arcadio Constantinopoli mortuo, Basso & Philippo consulibus, anno imperij sui decimo tertio, Honorius cũ Theodosio filio fratris imperauit. hæc rerum series in rebus Francorum ab Hunebaldo, Tritemio, Functio, & Lazio describitur, quæ mihi magis veritati nixa videtur. Paulus tàmen Aemilius familiaris historiarum Francorum scriptor, longè aliter breui descriptione, & tanquam aliud agens atq; cæteri rem comminiscitur. Troia, inquit, incensa nobilissima ciuium manus duce Francione ad Mæotim paludem se contulit, nec procul ab illa vrbẽ condidit, quam ad Valentinianũ vsque Cæsarem Valentiniani filium incoluit: ab eo honore auctiFranci ad decẽ annos immunitate donati, quòd rebellãtes Alanos in ditionem nominis Romani redegissent: deinde cùm circumacto eo temporis spatio ad vectigal pensitandum reuocarentur, imperium detrectarent, sedibus pulsi duce Marcomiro in eam Germaniæ regionem, quæ nunc Franconia est, concesserunt. hinc Pharamundum & cæteros Franciæ reges originem traxisse. Attamen Paulus Aemilius fatetur Ciceronem ad Atticum scribentem Francorum meminisse: sic & Hieronymus pater tanto pòst interuallo author est inter Saxones & Alemanos Franciam incoli, non tam latam quàm validam, vt manifesta fides sit, eandem & Franconiam fuisse, ac indidem ortos, qui Francorum postea in Gallia consedere reges. hæc Paulus Aemilius: cuius series multis stadiis ab cæteris distat. Illud tamen pro certo compertum est, multis ætatibus ante Valentinianos Cæsares

initium Francorum auspicandum. Guillelmus Langæus ordinis regij miles auratus, à Francione filio Hectoris initium Francorum repetit, qui ducta Remorum rege filia Francis imperauit, eiúsque filius Sicamber, & qui ab eo nati sunt, ordine successiuo, Frãcorũ sceptra rexêre. Aimoinus Monachus perfunctoriè hęc amplectitur. Rem tam veterem pro vero affirmare in tanta scriptorum inopia non audet: optimus enim quisque magis facere, quàm scribere maluit. In eo conueniunt, omnes à Pharamundo Francorum reges in Galliis numerandos: & priusquàm historiæ ordinem amplectamur, de diuisione Galliarum, & nomine prouinciarũ quædam enuntianda videntur. Iulius Cæsar Galliam in tria populorum genera diuisit, amnibúsque maximè distinxit, à Rheno ad Sequanam, Belgicam: à Sequana ad Garumnam, Celticam: à Garumna ad Pyrenæi mõtis excursum, Aquitaniam. Hac in diuisione Cæsar prouinciam, quæ latissimè patet, prætermisit, q̃ ea populo Romano pacata esset. Plinius libro naturalis historiæ quarto, capitibus decimo septimo, decimo octauo, decimo nono, Galliam omnem vno nomine comatã appellatam, in tres scindit partes: à Scalde ad Sequanam, Belgica: ab eo ad Garumnam, Celtica, eadémque Lugdunensis, inde ad Pyrenæum, Aquitania, Aremorica antè dicta. Agrippa vniuersarum Galliarum inter Rhenum & Pyrenæum, atque Oceanum, ac mõtes Cebennam & Iuram, quibus Narbonẽsem Galliam excludit, longitudinem CCCC XX. M. pass. computauit Guillelmus Langæus ordinis regij miles auratus Gallos omnes Celtas dictos author est, quod Iulius Cæsar tot sæculis antè docuerat, quando ait in diuisione Galliarum, tertiam partem incolunt, qui ipsorum lingua Celtę, nostra Galli appellantur. Post aquarum inundationem

iam orbe nouo, Samothes vnus natorum Iapheti filij Nohæ ſceptra in Galliis cõſtituit. Plinius libro dicto naturalis hiſtoriæ quarto, capite decimo nono, Pictones, Sanctones, Conuenas, Tarbelos, Bituriges, Lemouices, Aruernos, Ruthenos, Cadurcos, Petragoricos, cũ aliis multis prouinciis in Aquitania eſſe oſtendit. Octauius Auguſtus edicto orbem terrarũ emenſus, vt Strabo ſcribit, Galliam aliter partitus eſt, primùm inſerta, quam Iulius Cæſar prætermiſerat, prouincia, Celtarum nomine, quod vniuerſæ Galliæ commune eſſet, ſublato: & Aquitania, quæ vna partium Galliæ anguſtioribus terminis circumſcribi videbatur, ampliata: adiectis aliquot oppidis, quæ Garumna & Ligeri fluminibus interiacẽt. Atque ita quadripertitam fecit omnem Galliam. Belgica & Aquitania retinuêre priſcum nomen. Introduxit Lugdunẽſem & Narbonenſem, deducto nomine à duabus nobiliſſimis ciuitatibus, & rerum omnium copia, & emporio florentiſſimis. Hanc eandem partitionem vt omnium perfectiſſimam clariſſimi geographi ſecuti ſunt: ex Græcis Strabo, & Ptolomæus: ex Latinis Plinius. Antea Romani duplicem fecerant Galliam, Ciſalpinam eorum lingua, in quam commigrauerant, Tranſalpinam qua venerant. Nunc diſcuſſa Francorum regum origine, ſupereſt, vt Galliarum & Celtarum reges ex ordine diſcutiamus. Scitote igitur poſtquàm Tubal Celtas & Celtiberos legibus formauit, anno à creato orbe milleſimo noningenteſimo decimo octauo, anno verò Nohæ octingenteſimo quinquageſimo quarto, poſtquàm Magus Samothis filius, Beroſo authore apud Celtas regnauit, à quo plurima oppida conſtructa leguntur: anno bis milleſimo ſexageſimo ſexto ab orbe creato, Dryus vir egregiè peritus in Celtis regnat. Ab hoc Celtarum, Germanorúmque ſacerdotes

ſacerdotes Druides dicti ſunt, quorum meminerunt Iulius Cæſar libro de bello Gallico ſeptimo, & Plinius libro decimo ſexto, capite quadrageſimo quarto. Quæ illis poteſtas fuerit, fuſiùs docet Cornelius Tacitus in libello de moribus Germanorum. Idem Plinius libro trigeſimo refert Druidas hominem immolare ſolitos prodigioſo ſacro exercentes artem magicam. Strabo libro Geographiæ quarto Druidas iuſtiſſimos fuiſſe ſcribit, ideò illorum fidei priuata & publica iudicia commiſſa erant, adeò vt rebus quoque bellicis præeſſent, ita vt pugnaturi iubentibus Druidis à pugna deſiſterent, aut in pugnam impellerentur. Suetonius in Claudio inquit, Claudius Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis tantùm ciuibus ſub Auguſto interdictam penitus aboleuit. Ad rem redeo. Anno poſtea bis milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſecundo, apud Celtas regnauit Celtes, qui montes Galliam ab Hiſpanis diſiungentes Pyrenæos appellauit, ob frequentem ſyluarum copiam in his creſcentem. Circa hęc tẽpora moritur Iſaac, & eo tempore, quo Celtes in Celtis regnat, Ioſeph cùm eſſet triginta annorum è carcere liberatus, totius Aegypti princeps conſtituitur, & Iacob annum agens centeſimum & trigeſimum deſcendit in Aegyptum, & coram Pharaone ſtetit. Anno poſtea bis milleſimo trecenteſimo decimo quinto Narbon apud Celtas regnat, à quo vt Functius annotauit, Gallia Narbonenſis, quo tempore in Hiſpania regnat Heſperus duodecimus Celtiberorum rex. Anno ab orbe condito bis milleſimo octingenteſimo octuageſimo octauo, Belgius Celtarum rex eſt, quo tempore in Hiſpania Sicanus decimus quintus rex eſt, & Romaneſſus filius Romæ fit primus Aboriginum montanorum ſubregulus. Hunc putant ineffabilem eſſe Romanorum Deum, de quo plerique varia

fabulantur. vide Plinium libro tertio, capite quinto, & Solinum capite secundo. Hoc quoque tempore, vt Eusebius annotauit, Aregilus seu Proclitus primùm quadrigam dicitur iunxisse. In Creta regnat Sidon. Aegypti rex est Orus cognomento Magnus. Postea regnauit in Celtis Allobrox, anno à creato orbe bismillesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, dum Lusus in Hispania regnat. Circa hæc tempora, Memphis in Aegypto ab Epapho, vt Eusebius annotauit, conditur, & Cranaus secundus Athenarum rex est. Anno postea bis millesimo sexcentesimo quinquagesimo octauo, Galathes Iunior apud Celtas regnat. Hic Sarmatas vicit. Postea Celtis regnat Oblius, anno à creato orbe bis millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo. Anno postea bis millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto Rhemus apud Celtas regnat, à quo Rhemij dicti sunt. Anno postea bis millesimo septingentesimo nonagesimo secundo, vt Functius & Guillelmus Langæus tradiderunt, Francus Hectoris filius Celtis imperat despõsata filia Rhemi. ad rem redeo, & vnde digressi sumus ad Pharamundum sermonem profero. Moritur Pharamundus anno regni sui septimo, Dominicæ verò natiuitatis quadringentesimo vigesimo sexto. Clodius seu Clodio regis Pharamundi filius eodem anno patri succedens regnauit annis viginti. Hic Gallos & Romanos fortiter pugnando attriuit. Suos nutrire comas & barbas edicto sanxit, quò faciliùs à Gallis dignoscerentur: hinc crinitus seu capillosus dictus. Anno regni sui sexto Senonẽses, & Aurelianenses ditioni suæ submisit. Anno verò regni sui nono Doringos, Saxones, & Theutones subegit. Anno regni sui vndecimo explorata interiori Gallia omnem regionem mari adiacentem regno suo adiunxit. Anno regni sui decimo tertio,

Batauos, Tungros, Menapios, Terouanos, Morenos, Ambiones, Cameracenses, Tornacenses, Atrebatenses, Beluacenses, & quicquid his regionibus interiacet vltra Sequanam, & Ligerim Francorum regno adiecit. Dum hæc in Belgica gerebantur, Gothi Aquitania, & Burgundiones Gallia Lugdunensi potiuntur. Burgundiones fidem Christi agnoscunt, vt Tripartita historia libro duodecimo capite quarto fusiùs tractat. Visigothi eam Hispaniæ partem occupant, quam Vandali reliquerãt. Huius regni tẽpore conciliũ Ephesi habitum, in quo Nestorius damnatus, vt Tripartita historia latiùs prosequitur. Sixtus quadragesimus secundus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, Ecclesiæ Dei præest. Corpus Ioannis Chrysostomi Constantinopolim reuocatum magno impenso honore conditur, vt Tripartita historia capite decimo quarto tractat. Huius quoq; regis tempore decreto Theodosij Valentinianus Augustus dictus est, Theodosíque filiam Eudoxiam vxorem duxit. Anno regni Clodionis decimo tertio, Giezericus fœdus cum Valentiniano Cæsare percussit, & sedes in Aphrica posuit. hinc Vandali nonaginta quinque annis ibi regnarunt, donec à Iustiniano victi regno eiiciuntur, vt Iustinianus in li. offici. præfecti prætorij Africæ tradidit. Regnauit Clodio anno ab vrbe cõdita millesimo cẽtesimo septuagesimo septimo, anno verò à creato orbe quater millesimo quadringentesimo octuagesimo octauo, & anno Christi quadringentesimo vigesimo sexto moritur. Merouæus Clodij regis maior natu filius (siue, quando variant authores, alienus à sanguine Clodionis) patri succedens, regnauit in Francia annis duodecim, alij decem malunt: & sic errori in annis Pharamundi medentur, anno à creato orbe quater millesimo quadringentesimo nono, anno Christi quadringentesimo quadra-

geſimo ſexto. Hic omnes Galliarum fines, quos pater Francorum adiunxerat regno, non ſolùm ſub ditione continuit, ſed etiam Romanis vbilibet inuentis, vel occiſis, vel fugatis terminos acquiſitæ poſſeſſionis longè latéque auxit. anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo tertio Athila rex Hunnorum, Vualaricus rex Oſtrogothorum, Ardaricus rex Gepidarum, & alij Aquilonares populi ſimùl fœdere iuncti, Pannoniæ finibus egrediuntur, & imperium occidentale, ſimul & regnum Francorum cum quingentis millibus pugnatorũ adoriuntur. ſtrages non dicendas conficiunt, quibus Merouæus rex Francorum, Theodoricus quoque rex Viſigothorum quòd victa hac Galliæ parte Aquitaniam regno ſuo proximam, Hunnico furori prædæque expoſitam proſpiciebat, opem Francis obſeſſis ferebat, Romani Actio duce Francis iungebantur, Athila Aureliam obſidere cœpit. poſtea obſidione ſoluta in Catalannos campos ſe recepit, & in ſubiectis Tholoſæ campis, Catalannicos tunc vocabant. ab ortu ſolis ad occaſum dimicatum eſt. Franci, Viſigothi, & Romani ſuperiores ſunt. Cæſa ſunt in eo bello vtrinque centum octoginta & octo millia pugnatorum. Cecidit Theodoricus quoque rex Viſigothorum, cuius corpus regij funeris pompa Tholoſam delatum eſt. retrocedentibus Francis, & cæteris qui conuenerant, Hunnos Athila rex ſumpta militia in patriam reduxit. Hunni & ipſi Scythæ ſunt, ſed immitiores, rudiorésque humani conſilij, in Riphæos montes inclinatiores, inter Tanaim Maſſagetásque concluſi. Sequenti anno exercitu nouo coacto ingreſſus Italiam, ferè omnes ciuitates aut diripuit, aut funditùs euertit: ad quem Leo Romanus ſummus pontifex pontificalibus ornamentis indutus cùm occurriſſet, non ſolùm vrbi populóque ſalutem impe-

trauit, ſed etiam vt relicta Italia abiret, obtinuit, vt Tritemius & Blondus annotarunt, illúdq; nouum non fuit: nam multis antè ſæculis cùm Alexander Magnus ſuperata Tyro Hieroſolymitanæ vrbi excidium interminaretur, ei obuiàm Ioab ſummus pontifex apparatu pontificio indutus cùm occurriſſet, Alexander dimiſſo vultu ſupplex pontificem ſalutat, eúmque humaniſſimè excipiens, Hieroſolymam non ſolùm multis antiquis opibus ſpoliatam, ſed nouis priuilegiis locupletatam auxit, quod Ioſephus libro vndecimo, capite octauo fuſiùs tractat, & nos in Hebræorum hiſtoria diſcuſſimus. ad rem redeo. Merouæus anno regni ſui vndecimo, Dominicæ verò natiuitatis quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, vrbem Treuirorum, quam & Athila rex Hunnorum paucos ante annos bello capiens, grandi populatione attriuerat, in ditionem Francorum regum redegit. Iam Franciæ regnum limitibus paulatim adoleſcendo ſupra quàm credibile, creuit: nam cùm reges Sicambri, & Franci primo ingreſſu in Germaniam ſedes circa Rhenum, vbi nunc eſt Hollandia, cum populis, qui Gelrenſes, Cliuẽſes, & Friſij dicuntur, per annos fermè ſeptuaginta ſupra octingentos conſederunt apud Neopagum Diſburgum, cæteríſque locis, & caſtellis Ciſrhenanis habitationes trahentes, domicilium in Gallias tranſtulerunt, aſſiduo labore cruentiſſimis bellis & plurimo regum, ducum, procerum, militum, & plebeiorum ſanguine. Tandem creuit in immenſum, & ſupra omnia Europæ regna ſupereminens caput extulit, frequentiáque regna in eum coaluerunt. Porrò cùm eſſent in Troia, moribus & ſermone Troianorum vtebantur, dum in Scythia, ſermone Scyticho, dũ in Germania, vt Germani, dum in Gallia habitarunt, mores & ſermonem Gallicum ſumpſerunt. Dum

& hæc in Galliis geruntur, Chalcedonenſis ſynodus, vt obrueretur euerteretúrq; penitus Eutychis & Dioſcori peruerſum dogma detrahentium Chriſto veram humanitatem, cogitur ſub tempora, quibus Leo primus in regimine Eccleſiæ principem locum obtinebat, & Valerianus Martianus Romanum regebat imperium, anno Chriſti ex aliquorum ſententia quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo. Huius concilij meminere Valentinianus & Martianus Cæſares in l. Quoniam, de Epiſcop. & cler. Hoc quoque tempore dum Merouæus rebus Gallicis ſatagebat, Paulinus Nolæ Epiſcopus pleroſque captiuos bonis Eccleſiaſticis redemit. Deficientibus demum Eccleſiæ diuitiis, ſemetipſum pro viduæ filio in ſeruitutem dedit, qua pietate moti Barbari, eum cum magna captiuorum copia in patriam remeare liberè permiſerunt, vt Paulus Diaconus fuſiùs proſequitur. Illo quoque tempore Valentiniano tertio, & Martiano Auguſtis & imperatoribus, Roma caput imperij & gentium domina in direptionẽ & prædam exponitur, & Genſericus, qui Vandalis imperabat, præter quòd vrbem poſt homines natos potentiſſimam omnibus opibus ſpoliauit, imperialia etiam ornamenta & inſignia ſecum in Africam tranſtulit. Tunc exploratum eſt dictum Marci Varronis libro decimo octauo Antiquitatum. Iam paulo antè Theodoſio Iuniore, & Valentiniano tertio, Auguſtis, Carthago à Romano imperio deſciuerat, in Genſerici & Vandalorum ditionem redacta, cùm iam annos quingentos octuaginta & quinque in ditione Romani imperij fuiſſet, vt Gregorius Oloander annotauit. his quoque temporibus Venetiæ conditæ, vt Blondus libro tertio tradidit. Baptiſta Egnatius Venetiarum natiuitatem ad tempora Theodoſij Iunioris imperatoris refert. Laurentius Monachus patria Venetus, ſcriptor ætate ſua egregius, teſtatur eius vrbis fundamenta octauo calendas Aprilis, anno primo atque vigeſimo ſupra quadringenteſimum ſalutis fuiſſe iacta, quod falſum eſt: nam non priùs ædificari cœpit, quam Athila Aquileiam, Paduam, & cætera Venetorum oppida deleuit. Igitur Blondus libro tertio primæ decadis ad annum quinquageſimum ſextum ſupra quadringenteſimum, ortum Venetiarum reiicit. Valentinianus imperator ægre ferens Athilam non oppreſſum in campis Cathalannis, Aetium occidendum curauit, eum appetitæ tyrannidis inſimulans, anno noſtræ ſalutis quadringẽteſimo quinquageſimo ſexto. Blõdus tamen decadis primæ libro de inclinatione imperij primo, ait: Aetius Burgundiones nouos tunc primùm parantes motus, bello compeſcuit: Francóſque, qui iterato Rheni ripas inſederant Gallias irrupturi magna ſuperatos clade repulit in Germaniam, & Alanos bello cœpit acerrimo agitare. Quæ cùm omnia felici marte gereret Honorius, Aetij cauſam iniuſtè diiudicans, Caſtinum comitem genere Scytham magiſtrum militum & poſtea conſulem declarauit, miſitque Aetio ſucceſſorem. Sequenti quoque anno ipſe quoque à Tranſila Aetij commilitone occiſus eſt. Athila poſtquàm Aquileiam è longa obſidione oppugnauit moritur: cui ſucceſſit filius Hernacus. Dum hæc in occidentali imperio geruntur, Diua Genouefa virgo Pariſienſis, Annianus Aurelianenſis Epiſcopus, Nicaſius Rhemorum Archiepiſcopus miraculis clarẽt. Iam quicquid Merouæus in Galliis ditioni ſuæ adiecit, Francia dici cœpit. Viſigothi non Aquitaniam modò, nobiliſſimáſque Narbonenſis prouinciæ vrbes, ſed & maximam Hiſpaniæ partem imperio premebant. his rebus geſtis Merouæus ægritudine correptus in Paganiſmo ido-

lorum, sicut sui successores agit animam, anno regni sui duodecimo, restitutæ verò nostræ salutis quadringentesimo quinquagesimo octauo. Childericus Merouæi regis filius, anno à creato orbe quater millesimo quadringentesimo vigesimo primo, anno verò reparatæ salutis quadringentesimo quinquagesimo nono, patri succedens, varia rerum mutatione bis regnauit: primò post patrem vno aut altero anno, exinde cùm nefandis luxuriis æstuaret, Franci imperia eius non ferentes, regno eum exegerunt, & Egidius quidam Romanus Suessionum præfectus Childerico suffectus regnauit annis octo: sunt qui triennio malint. & post modum Childericus in regnum reuocatus, regnauit annos duos & viginti. hunc reuertentem secuta est Basana Basini Doringiorum regis vxor, qui Childericum profugũ vrbe & domo sociarat. hæc iniuria fuit merces tanti officij, eámque Childericus connubio sibi iũxit, quæ lapso primo nuptiarum anno Clodouæum peperit. Childericus rem Gallicam omnino Romanis eripuit, & è regio genere subregulos in maioribus vrbibus constituit. anno reparatæ salutis quadringẽtesimo septuagesimo quinto, Colonia à rege expugnatur, & exercitus Egidij fusus est anno sui regni vigesimo. Britanni ex insula, Albione olim, nunc Anglia vocata, profecti, nouas sedes quærentes conantur Pictones, Andes, Cenomanos, & Engolismenses armis sedibus pellere, & vsq; in Aquitaniam, quã Visigothi occuparant, penetrauêre. Moritur tandẽ Childericus anno regni sui vigesimo tertio, interrupti verò vigesimo sexto, Dominicæ natiuitatis quadringentesimo octuagesimo quarto, vt Tritemius annotauit. Paulus Aemilius author est, eum regnasse triginta annos. Clodouæus Childerici regis ex Basina filius, cùm ageret vnum & vigesimũ annum, patri successit, & regnauit

gnauit annos triginta, quorum quindecim paganus in vanitate consumpsit, reliquos quindecim in fide Christi renatus fideliter exegit. Primus omnium totius Galliæ Dominus effectus, cùm Gothi duce Amalarico relicta Aquitania in Hispaniam abiissent. Quatuor maxima prælia victor gessit, primum in Romanos, quorum dux erat Siagrius: quo capto & interfecto, fusísque Romanis, totam Lugdunensem Galliam imperio suo adiicit: secundum vxoris Burgundæ Gathildis precibus aduersus Gothemarum, & Gotegiselum suscepit, qui patrem vxoris Chilpericum, & Sigismundum patruelem Burgundiæ reges occiderant. Tertium bellum in Alemanos mouit, qui ab Agrippina vsque Vosagum montem secus Rhenum colebant. Id quoniam difficillimum videbatur bellum, vxoria suasione allectus, Christianam doctrinam suscepturum se vouerat, si victoria potiretur. Itaque cùm ad Tobiacum Alemanos vicisset, eámq; prouinciæ oram ditioni adiecisset, votum soluit, sacróque lauacro à Remigio Remẽse episcopo ablutus fidem Christi cœpit profiteri. Anno quadringentesimo nonagesimo nono, quartum asperum bellũ contra Alaricum Gothorum regem gessit, quòd Ruothildam filiam indigniùs tractaret. Eo confecto, Sancto Martino apud Turonas egregia munera cum insigni equo obtulit. Quæ omnia Agathius & Procopius fusiùs prosequuntur. Iam in Pictonibus ad campos Vegladenses Alarico rege & Visigothis cæsis mœnia Engolismæ ruinosa in conspectu Clodouæi vrbem aggressuri ruunt. Illinc vsque Burdegalam hostes cædendo prosequitur Theodoricus regis Clodouæi nothus in Aquitaniam præmissus, Albios, Ruthenos, Tolosates imperio Francorum adiecit. Aruerni postremi sese regi dediderũt, Apollinare eorum duce cæso. Tandem Clodouæus

regno Francorum per vniuersam Galliam, & bonam Germaniæ partem ampliato egit animam, anno regni sui trigesimo, ætatis suæ quinquagesimo primo, anno verò Dominicæ natiuitatis quingẽtesimo decimo quarto, à creato orbe quatermillesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Sepelitur Lutetiæ in æde, quam Diuo Petro sacrarat. Hodie tẽplum Diuæ Genouefæ appellatur. Huc vsque Hunibaldus historiam de origine Francorum in decem & octo libros distinctam cõtexuit, tempus complectens annorum non minus noningentorum quinquaginta, reges à Marcomiro (qui gentem primus de Scythiæ finibus, ad ostia Rheni eduxit, vsque ad regis Clodouæi quadragesimi septimi regis copiosè descripsit) Dum hæc in Galliis geruntur, Romæ Ecclesiam Domini Felix quadragesimus sextus Romanus Pontifex nouem annis rexit, & post eum Gelasius quadragesimus septimus annis quatuor, mensibus octo. Post Gelasium Anastasius secundus, annis duobus. hic festa Apostolorum maiori celebritate obseruanda instituit. Romanum verò imperium Anastasius quoque regebat. parcè de hoc principe Paulus Diaconus scribit. parciùs Procopius, qui Herulorum populorum originem sub Anastasio pulcherrimam libro de bello Gothorum describit. Theodoricus Ostrogothorum rex tribus & triginta annis Italiam obtinuit, Trasimundus Vandalorum rex Africa ducentos viginti Episcopos in Sardiniam relegauit, quibus Symmachus quadragesimus octauus Romanus Pontifex Anastasij successor quotidiana subsidia ministrauit. Mortuo Clodouæo superstitibus quatuor liberis, quorum Theodoricus primo genitus, non ex Clotilde regina, sed ex concubina: in iudicio familiæ herciscundæ Austrasiam, cuius Metensis ciuitas regia fuit, obtinuit: in eáque regnauit

tribus & viginti annis, cui in regno successit Theodobertus filius, qui regnauit annis quatuor. Huic in regno Austrasiæ successit Theodobaldus, qui regnauit annis nouẽ. Clodomirus secundus Clodouei filius, sed ex Clotilde regina primogenitus, regnauit Aurelianis annis septem: relictis tribus adolescentibus liberis fatis concessit, quorum primogenitus fuit Theodobaldus, secundus Guntherus, tertius Clodoardus: tertio natus Clodouæi regis filius fuit Clotharius, qui post patrem regnauit Suessione annis quinquaginta, mortuísque suis fratribus, & cunctis eorum filiis regnum in quatuor partes diuisum, in vnam monarchiam reuocauit. Hinc legitimi hæredes filij nepotes, & pronepotes vsque ad Childericum de Pharamundi stirpe in Gallis regnarunt. Quartus Clodouæi filius Childebertus fuit, qui in diuisione monarchiæ, regnum Neustriæ accepit, & apud Parisios annis quadraginta & quinq; regnauit. Sic anno restitutę salutis quingẽtesimo sexagesimo regnum Austrasiæ extincto Theodobaldo, & regnũ Aurelianense anno quingentesimo vigesimo primo, mortuo Clodomiro, & Neustriæ & Parisiorum regnum mortuo Childeberto, anno Dominicæ natiuitatis quingẽtesimo quinquagesimo nono, in vnum Franciæ regnum sub Clothario coaluerunt. Anno regni Clotharij regis Francorum quadragesimo, & Dominicæ natiuitatis quingentesimo quinquagesimo quarto, Bucellinus & Amingus Francorum duces Italiam vario belli euentu euertunt. Inde nauigantes in Siciliam, tributo Francorum eam subiecerunt. Anno verò regni Clotharij quadragesimo secundo, Clotharius contractis validissimis copiis exercitum mouit in Saxoniam, quos pendere tributum abnegantes graui pugna perdomuit, & postea anno Dominicæ natiuitatis quingentesimo sexagesimo quarto,

Clotharius Compendij obiit: in æde Diui Medardi Sueſſionenſis, quam paulò antè ædificare cœperat, ſepelitur. Iam in hoc regno auaritia animos regum inuaſerat, & Clotharius tertiam reddituum Eccleſiæ partem ſibi exhiberi iuſſerat, cuius decreto Turonum Archiepiſcopus fortiter interceſſerat, vaticinatus regno ſpoliatum iri regem, ſi pauperum bona eriperet, vel attenuaret. His temporibus Diua Radegundis apud Pictones Deo quàm marito gratior & acceptior, & beatus Benedictus in Italia moribus, doctrina, vitæ ſanctitate, & miraculis inſignes ſunt. Dum hęc in Galliis aguntur, Iuſtinus Orientis imperator hæreſes Eutychianam, Neſtorianam, & Arianam ſummo ſtudio euertit, atque hîc finiti ſunt centum & quinquaginta anni, id eſt quinque menſes, quibus Ariani potentes eſſe debebant, vt Apocal. libro prædictum erat. Ioannes Romanus pontifex à Theodorico in carcere necatur, cui in pontificatu ſucceſſit Felix ſecundus. Gothes Herulorum rex Conſtantinopoli ſacro lauacro abluitur, & Gorda Hunnorum rex ad Boſphorum baptiſatur. Hildericus Vandalorum in Africa rex valde pius Catholicos à patre pulſos reuocauit. Bellum Iuſtini imperatoris cum Cabade rege Perſarum exardeſcit, vt Procopius latè proſequitur. Zonaras tamen hunc Perſarum regẽ, Quadum nominat, & longè aliter bellum Perſarum ac Procopius deſcribit, qui omnino videndus eſt: nam & illic inuenies egregiè deſcriptum terræ motum, quo Anazarba Ciliciæ Metropolis, & Edeſſa ac Pompeiopolis corruêre, anno Chriſti quingenteſimo vigeſimo nono. Dum in Gallis Childebertus & Clotharius regnant, Iuſtinianus ſolus imperij ſceptra moderatur, & anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo primo, ab ejectis verò regibus milleſimo trigeſimo octauo,

Iuſtinianus Auguſtus ex tribus codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano, reiectis inutilibus, & ſuperadditis neceſſariis, ſacrarum conſtitutionum codicem compoſitum, & ſuo nomine præfulgentem edidit. Anno Chriſti quingẽteſimo trigeſimo quinto, vt Oloander annotauit, quinquaginta libri Pandectarum, in quibus tota iuris ciuilis ex vetere iure enucleati, & in compendium ac nouum ordinem redacti, ratio continetur, à Triboniano excellentis ingenij & doctrinæ viro, mandato Diui Iuſtiniani Auguſti primùm abſoluti ſunt & editi. His acceſſerunt quatuor Inſtitutionum libri, qui fores quodam modo aperiunt ad penetralia iuris ingredi volentibus. Sub hæc tempora bellum Perſicum à Iuſtiniano cœptum, quod Beliſarius confecit. Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo primo, Perſę Romanos apud Suronem cruenta victoria fuderunt, de quo fuſiùs Procopius, qui & victoriam Vandalorum, de qua Beliſarius triumphauit, fuſiùs proſequitur. Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo quinto, Beliſarius dux exercitus à Iuſtiniano in Italiam miſſus, Catinam, & Syracuſas cœpit, & nouiſſimo ſui conſulatus die totam Siciliam Romano imperio adiecit, vt Procopius edocuit. Anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo, Beliſarius Rauennam cepit: anno poſtea quingenteſimo quinquageſimo, Beliſarius Orienti ab imperatore præficitur, & Narſetes bello Italico dux creatur. Anno quingẽteſimo quadrageſimo ſexto, Roma à Totyla deiecta tertia muri parte capitur, & vrbs omni ex parte deſolatur. Eam Beliſarius vacuam occupauit, & muniuit. Quæ omnia Procopius latiùs proſequitur. ad rem redeo. Extincto Clothario regnum iterum inter Clotharij liberos diuiditur, Heriberto Pariſiorum regnum nouem annis

ceſſit, qui quauis muliere corruptior, in meretricum amplexibus extinguitur. Chilperico Sueſſionum regi, Francorum regnum defertur, per quem linea regũ ordine recto deſcẽdentiũ, vſq; ad Childericum cõtinuatur. Hic patris theſauros intercepit Aureliæ. Cuſtum Guntrando, Sigiberto verò Mediomatricum regna ex diuiſa inter fratres hæreditate paterna ſorte obuenêre. Regnauit in Galliis Chilpericus anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, anno verò à creato orbe quater milleſimo quingenteſimo quarto. Dum hic Franciæ ſceptra moderatur, Iuſtinus iunior Iuſtiniani ex filia nepos Orientis imperij Auguſtus regnat, cui in imperio ſucceſſit Tiberius Cæſar, Orientis imperator. Eam regionem, quæ prouincia dicitur, Francis reſtituit. Dum Guntrandus & Sigibertus de ea certant, Longobardi eam diripiunt, vt Paulus Diaconus libro tertio fuſiùs proſequitur. Chilpericus anno regni ſui decimo quarto à Fredegunde, eiúſque adultero Landrico magiſtro equitum, noctu à venatione rediens ad Calã trucidãdus traditur, cuius cadauer ad Diui Germani ædem, quæ in Lutetiæ ſuburbiis eſt, ſepelitur. Eius filius Clotharius tunc natus erat menſes quatuor. Dum hæc in Galliis gerũtur anno regni Chilperici decimo, Armenij fidem Chriſti publicè recipiunt. Chriſti Eccleſiam Benedictus Sexageſimus Romanorum Epiſcopus regit. Tiberius Cæſar Perſis bellum infert. Perſę vincuntur. Caſtra, & regina cum omni ſupellectili capiuntur. Romani ad Caſpios vſque populantur, quod Paulus Diaconus libro decimo ſeptimo fuſiùs proſequitur. Anno Chriſti quingenteſimo octuageſimo octauo, anno verò mundi quater milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, Clotharius ſecundus puer quatuor mẽſium regnauit in Galliis quadraginta & quatuor annis. Guntrandus regis patruus rector Franciæ, tutorem pueri Landricum equitum magiſtrum inſtituit, voluítque apud matrem Fredegunde m illum educari. Anno nondum exacto, Childebertus Mediomatricum rex regni adminiſtrationem conſequi armis tentabat. fruſtrà etiam Fredegundem depoſcens, de qua ſupplicium ſumere ſummo ſtudio cupiebat. Ideo Guntrandus vt omnia compeſceret, & ad concordiam reuocaret, illum adoptat, & in teſtamenti tabulis hæredẽ ſcripſit. Dum hęc in Galliis gerũtur, Machometus in Arabia propheta vocitatur, toto decennio venenum ſuum occultè concoquit, donec aucta potentia vi & armis dogma ſuum propagauit. Romæ Chriſti Eccleſiã Gregorius regebat. Phocas præfectus Scythiæ poſtquàm Mauritium imperatorem occidit, à ſcelerato exercitu, cui præerat, imperator eligitur, & Auguſtus præter omnium opinionem conſalutatur. Conſtantinopolitanus enim populus militum prerogatiuam ſecutus, magno omnium ordinum conſenſu ratum fecit Phocæ imperium. hic Bonifacio Eccleſiam Dei Romæ regente ſtatuit, vrbem Romam caput eſſe omniũ Eccleſiarum, cùm propter Cæſarum ſedem Conſtantinopolis eo honore antea defungeretur. Ad rem redeo. Clotharius duobus filiis Dagoberto & Ariberto relictis ex duabus vxoribus, obiit, & in æde Diui Germani ſepelitur. Hæc eſt Frãcorum regum ex ordine ſeries. ſucceſſorum verò regum res amplæ magnificæq; fuêre, quæ quandoquidem à domeſtico & familiari hiſtorico Paulo Aemilio doctè & copioſè recenſentur, eas de induſtria prætereo, ad ſitum regionis ſermonem flectens. Apud Ioſephum Agrippa magnificè de Galliarum ſitu, & felicitate Gallorum domeſtica diſſerit, quos omne genus bonis apud ſe ſcatentibus totum penè orbem irrigare mirifico præconio vociferatur, & nihilo ſecius ſub mille & du-

centis militibus Romano imperio paruisse, non animi mollitia, vt qui octingenta annis pro libertate dimicassent, sed animi destinatione in obsequium eius gentis fixa, cuius & virtutem experti fuissent, & fortunam admirarentur: duraúitque ea principum in subditos authoritas, & subiectio ad hæc vsque tempora: sic enim sunt Galli homines, vt prout quidque principi collibuit, id ius fásque esse credatur, omnium haud dubiè mortalium, qui quidem Barberi non sunt, maximè principalibus edictis æquo animo obsequentes, nec ideo tamen minùs libertatem loquendi viuendique vsurpantes, principibus etiam haud inuitis. Strabo libro tertio de Turdetaniæ, id est Bæticæ metallis loquens ita scribit, Galli meliora sua esse censent, quæ in Cemmeno monte sita sunt, & quæ Pyrenæ ipsi subiacent. Cemmeni enim montes apud Strabonem libro quarto Aquitaniam à Celtis discludunt, quo loco Cæsar Gebennam montem ponit. huius pars hodie Tarara vocitatur. Rursus idem Strabo libro quarto de Narbonensi prouincia, & situ, qui Gallicus dicitur, Tarbelli, inquit, eum situm obtinent, apud quos aurifodinæ sunt omniũ præstãtissimæ: in specubus enim leuiter defossis inueniuntur auri crustæ, quæ manum implere possunt, interdum modico purgamento indigentes: reliquum autem aurum, ramenta sunt, & glebulæ modicam operam poscentes. Interior autem regio & montana melius solum habet. Tectosages Pyrenæis propinqui sunt montibus, paulum etiam Cemmenum attingunt, ex Aquilonis latere, terram colentes auro multo præditam. Apud ipsos autem, thesauros ab imperatore Romano Cepione repertos, & ablatos ait, à quibus aurum Tolosanum apud scriptores decantatissimum, in prouerbium cessit, vt author est Gellius.

Possidonius

Possidonius (inquit Strabo) verisimiliùs tradit, pecunias Tolosæ repertas ad quindecim talentum millia, quarum partem in fanis, partem in lacubus consecratis reconditam fuisse, argentum atq; aurum infectum atque rude: Regio, inquit ipse, auro alioqui abundans, & homines habens superstitioni addictos, & ad parsimoniam in victu assuetos, multis in locis Celticæ Galliæ thesauros habuit, maximè verò lacus eis sacrosanctos à prædonum direptionibus thesauros præstabant: in quos ideo auri argentíque pondera demiserant. Auri Tolosani meminit Gellius libro tertio, & Cicero libro de natura Deorum tertio. Trogus libro trigesimo secundo, Cepionem appellat eum imperatorem, qui aurũ Tolosanum abstulit, quod sacrilegium ei & exercitui excidij causam fuisse tradit: Auri, inquit Trogus, fuêre in his thesauris decem millia pondo, argenti quinquies decies centena millia. Guillelmus Budæus libro de Asse quarto, aurum illud Tolosanum centies & decies cẽtenis millibus aureorum valuisse author est: quod autem ad argentum pertinet, id nonagies centena millia aureorum effecisse author est. Guillelmus Langæus ordinis regij miles auratus libro Gallicæ historiæ tertio, rem longè aliter comminiscitur: In septima, inquit, Gallorum emigratione cum Brennus virtute Camilli Italia excedere coactus esset, Macedoniámq; plenis castris inuasisset, & ad rem quæstuariam omni ex parte animum adiecisset, incredibilíque expilandi templi Delphici desiderio æstuaret: cúmque armis & virtute incolarum prohiberetur, dedecoris illati impatiens, mortem sibi propria manu consciuit, & milites, qui bellorum ab eo gestorum participes fuerant, spoliis templorum onusti, qui Tectosages erant, Tolosam remearunt: at vbi primùm aduentarunt, non dicendis malis hæc ciuitas exarsit, &

cùm oracula diuûm, quæ eſſet cauſa tanti mali, & qua medicina mederi huic morbo poſſet, conſulerentur: exuias malis artibus partas à militibus Tectoſagis Toloſam allatas excidium vrbi interminari. Inde nulla nexa mora omnes illi theſauri proiiciuntur, vbi latuêre donec Lucius Cepio eos theſauros abſtulit, hinc ceſſiſſe in prouerbium, aurum Toloſanum ſcribit. Sed quoniam ſuprà de Cimmerio, & Cemmeno monte iactus eſt ſermo, aduertendum eſt Græcos eos montes Cemmenos vocare, quos noſtri Gebennam longè ab Alpibus ſubmotos, Cæſaris, & Plinij, ac Melæ teſtimonio. Accedit ad hæc quòd his ipſis Alpibus ſitum eſt oppidum Liguriæ, cui Cemellio nomen eſt, authore Plinio: ſed cùm & Cemeneleum id à Ptolomæo Antoninóque nominari conſtet, quaſi à Cemeno monte videri poteſt appellatum, quod & libro tertio Caſtigationis in Plinium Hermolaus Barbarus annotauit. Cùm autem Pyrenæi montis ſuprà meminimus, id pro comperto habendum, Pyrene, vnde eſt genitiuus Græcus Pyrenes, & Pyrenæus, & Pyrenæi, inueniri pro eodem apud Liuium, & alios Latinos, ſed vt Pyrenæus frequenter, ita Pyrenæi rarò ſine adiectione. Cæſar libro primo belli Gallici, Aquitania flumine Garumna ad Pyrenæos montes. Pomponius Mela libro ſecundo, Pyrenæus hinc in Britannicum procurrit oceanum. Pyrenæa iuga, & Pyrenæus ſaltus pro eodem leguntur, mons eſt qui Hiſpaniam & Galliam diſterminat. Diodorus Siculus libro ſexto, Pyrenes nomen ab igne factum videri ait, igne à paſtoribus forte iniecto: alij à flumine ignem iniectum malunt, quo crebro mons icitur, totámque eam montanam regionem, vbi plurimæ ſyluæ contiuis aliquot annis deflagraſſe, & inde montem Pyrenæum nuncupatum, quod fuſiùs Elias Vinetus in Auſonio proſequitur. Et hæc de rebus Francorum, & Celtarum adiicere venit in mentem, quia à recentioribus noſtris hiſtoriam ſcribentibus prætermiſſa videbantur, regnúmque hoc noſtrum quaſi pridie aut nudiustertius ortum ab inclinatione inchoarunt, rerum verò ab eis tam præclarè geſtarum, tot tantíſque rebus & ſæculis illuſtrium non meminerant, vnde factum eſt, vt nos & Celtarum, & Francorum regum præclara geſta diſſimulatione tranſmittere non potuerimus. Cætera verò à regibus Francorum præclarè geſta, poſtquàm Celtarum, & Galliarum ſceptris potiti ſunt, Paulus Aemilius, & Arnaldus Ferronius familiares noſtræ hiſtoriæ ſcriptores ſtylo valde docto tradiderunt, quæ omnia nos nec rem actam agere videamur, de induſtria prætermimus.

DE HISPANIAE REGNI ORIGINE, INCREMENTO, ET CONTINVATIONE.

TAMA rerum præclarè geſtarum ab his, qui Europam inhabitant, ſerò ad Græcos peruenit: de Romanis enim, qui in tantam potentiam iam inde olim creſcere ſenſim cœperunt, nec Herodotus, nec Thucydides quoquo modo meminerunt, nec omnino alius eorum æqualis ſcriptor, ſed ſerò eorum nomen in Græcia auditum. Hi-

ſpanorum quoque res vſque adeo ignotæ iis fuerunt, vt exactiſſimi & accuratiſſimi ſcriptores, & enixiſſimè vnus eorum Ephorus, Hiſpanos, qui Iberi ab eo dicuntur, vnam eſſe ciuitatem exiſtimauerint, cùm tam latè fines eorum pateant: in vniuerſum autem ritus eorum, qui nec fuerunt, nec fuiſſe vnquam dicti ſunt, ſcribere tanquam ita illis vterentur, non dubitarunt, quod Guillelmus Budæus libro de Aſſe quarto exactiſſimè demonſtrat. Hæc Hiſpaniæ regio terminatur ab Occidente, Oceano mari, & inſula Gades: ab Auſtro verò terminatur Mediterraneo mari, & freto Herculeo, & Balearico pelago: à Septentrione verò & Oriente, Pyrenæo monte, qui mons protenditur ab Oceano, & promontorio Eaſo iuxta ciuitatem Eaſo (quæ hodie Baiona dicitur) vſq; ad montem Canum, qui & Canigo mons nuncupatur, & influit in Mediterraneum ad eum portum, vbi portus Veneris ſitus eſt, vel vt Pomponius Mela vult, ad oppidum Ceruariæ, quod modico interuallo diſtat ab ipſo Veneris templo, qui montes ab Oceano mari vſque ad Mediterraneum continent ſpacia ſexcentorum milliariorum, vt Iuſtinus poſt Trogum Pompeium vltimo libro ſui Epitomatis annotauit: & Pyrenæo Galliæ adhæret, cæteris verò partibus vndique mari Oceano & Mediterraneo cingitur, & ſic tantùm Pyrenæo monte adhæret Galliæ, reliquis partibus nuda in orbem mari cingitur. Diuiditur hæc Hiſpaniæ regio, vt Ptolomæus, Pomponius Mela, Strabo, & Plinius annotarunt, in tres partes: Tarraconenſem ſcilicet, Beticam, & Luſitaniam. Betica prouincia cõtinet quicquid amnis Betis claudit, à montibus altis nouæ Carthaginis vſque ad Hiſpalim incluſiuè, vocatúrq; Betica ab ipſo amne Beti prouinciam interſecante. Luſitania verò Hiſpaniarum pars, quicquid ad-

iacet inter duo flumina Betim & Tagum, interfluente medio Ana flumine, à quo Ana prouincia nomen ſortita eſt, vt Plinius libro tertio fuſiùs proſequitur, nominíſque Luſitanię rationem adiecit. Ad Tarraconenſem verò prouinciam pertinebat omnis citerior Hiſpania, & quicquid vltra Tagum eſt, inducens Compoſtellam, Galatiam, & Aſturias per medium Toletanum agrum, vſque in Oceanum Atlanticum, & vſque in oram fluminis Dorij. Id tamen non omittendum eſt, Hiſpaniam à Romanis in duas diuiſam fuiſſe præfecturas, & prouincias: citeriorem ſcilicet & vlteriorem. Citerior à noua Carthagine vſque in Cantabriam: vlterior verò à Celtiberis vſque ad Oceanum Gadíſque inſulam protenditur, tanquam citra & vltra, ſed citra quaſi circa terram, vel vltra quia vltima, vel quia poſt hanc non innotuiſſet alia terra, vt Strabo, & Plinius libro naturalis hiſtoriæ tertio annotarunt. Poſtea Auguſtus ſuperatis Vaceis & Cantabris, totam Hiſpaniam in vnam redegit prouinciam, vt Iuſtinus libro vltimo ſui Epitomatis edocuit. Hæc Hiſpaniæ regio à quinto filio Iaphet, qui Tubal dictus eſt, originem traxit, vt Hieronymus, & Iſidorus tradiderunt: & primo Cætubales ſunt dicti, quaſi cœtus Tubal, quorum ad nos pauca Authentica peruenerunt: cúmque Vaſcones, Nauarri, & Cætubales in populos dilatati ad plana Hiſpaniæ deſcenderunt, & iuxta fluuiũ, qui nunc Heſperus dicitur, villas, pagos & oppida conſtruxerunt: & qui priùs Cætubales, ab Ibero fluuio (corrupto vocabulo) Celtiberi vocati ſunt: vnde & eadẽ puincia Celtiberia appellata. ij quoq; Igletæ dicti ſunt, vt Strabo libro de Situ orbis tertio annotauit. Poſtea Heſperia dicta eſt, ab Heſpero ſtella, quæ poſt ſolis occaſum primùm in Hiſpania apparet. Dicitur quoq; Italia

Hesperia, ab Hespero rege fratre Atlantis regis, qui regnauit in Italia: & Virgilius de Italia loquens, eam magnam Hesperiam dicit libro septimo Aeneidos, Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signat. Sed Hispania vera dicitur Hesperia, vt scriptores Hispaniæ historiæ fusiùs prosequuntur. Nouissimo loco Hispania ab Hispano rege nomen desumpsit. Hi Græcis, Pœnis, Romanis, Gothis seruierunt. De omnibus speciatim agendum. Anno à creato orbe millesimo septingentesimo nonagesimo nono, & anno ætatis Noæ septingentesimo quadragesimo secundo, Tubal filius Iapheti condidit Celtiberos, in ea regione, quę nunc Hispania est, quo tẽpore Comerus colonias in ea terra, quæ postea Italia dicta est, cõstituit, vt libro 5. Berosus edocuit: & illo quoque tempore Oceanus, qui decimo capite Geneseos Mizraim dicitur, Aegyptũ circa Nilum possedit, vbi regnauit: quod & Berosus tradidit. & Chus filius Cham Aethiopiam obtinuit, hinc Aethiopia terra Chus in scriptura dicitur. Hic fuit pater Nemrod. Secũdus Hispaniarũ rex fuit Iberus, filius Tubalis, qui regnauit annis triginta septẽ, anno à creato orbe millesimo noningẽtesimo quinquagesimo quinto. Fũctius ab hoc Ibero rege, Iberos Hispanos dictos author est. Tertius Celtiberorũ Iubelda rex annumeratur, anno à creato orbe millesimo noningentesimo nonagesimo secundo, qui regnauit annos sex & sexaginta. Exordium huius regni ad vigesimum quartum annum regni Semiramidis reiicitur. fuit hic filius Iberi, & habitauit iuxta montẽ, qui ab ipso Iubelda dictus est, nunc ab Hispanis dicitur Gibraltar. Hoc quoq; tẽpore apud Thuyscones regnauit Ingenon, & publica literarum studia ad comprimendam & mitigandam hominum audaciam instituit, vt Berosus annotauit. Meminit & huius Cornelius Tacitus de moribus

Germanorũ: & eodem tempore apud Celtas regnat Sarron, qui eadem ratione qua Iubelda, publica literarum studia, vt Berosus tradidit, instituit. Apis quoque eodem tempore Sicyoniorum quartus rex est. Pharao Aegypti rex (plerique Osiridem fuisse existimarunt) Abræ vxorem rapuit, & à Domino cum vniuersa familia afflictus, eam intactam reddidit, vt Geneseos duodecimo capite annotatur. Circiter hæc tempora Abraham, Loth è manibus quatuor regum liberauit, & à Melchisedech benedictionem accepit. Quartus Celtiberorum rex fuit Brigus, quo tempore apud Celtas regnat Dryus, vir plenus peritiæ, vt Berosus annotauit. Ab hoc Celtarum, Germanorúmq; Sacerdotes Druides dicti, quorũ meminerunt Cæsar libro 7. Plinius libro 16. cap. 44. & quæ his potestas fuerit, docet Cornelius Tacitus libello de moribus German. In Libya regnabat Hyarbas, vir armis potens, & ferox moribus: hinc Numidæ se Hyarbas vocitant. Sicyoniorum rex Egidius erat. Quintus Celtiberorum rex Tagus, qui & Orma dictus est, regnauit annos triginta: ab hoc regia suę habitationis Taga dicta est. Eo tẽpore Phaëthon in Italiã venit, & Italia tribus locis multis diebus circa Istros, Cimmerios, & Vesuuios arsit, dictaq; sunt loca illa Palesana, id est regio cõbusta, vt Berosus annotauit. Belus sextus Celtiberorũ rex fuit, qui regnauit annis triginta, anno à creato orbe bis millesimo centesimo trigesimo nono, quo tẽpore in Assyria regnabat Armametres septimus Assyriorum rex. Hîc incipit Eusebius decimam sextam Aegyptiorum Dynasteiam, qua pastores regnarunt annis centum & tribus, Osiris in Thracia peremit Gigantẽ Lycurgum. Hic Osiris ab Aegyptiis dictus est Apis, & Serapis, de cuius sacris Herodotus libro secundo & tertio fusiùs. hoc quoque tempore Phoroneus secundus

Argiuorum rex creatur, & Sicyoniorum rex eſt Leucippus. Anno poſtea ab orbe creato bis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, Deabus apud Celtiberos tyrannidem aſſumit, ibíque primus aurifodinas inuenit, & diuitiarum vſum aperuit. Quo tempore Atlas Maurus frater Promethei Aſtrologiæ artem profeſſus eſt, & tunc (vt vult Diodorus Siculus de antiqu. fabu. geſtis) Menam omnium primum regem Aegyptiorum facit, qui populos colere Deos, ſacráque his facere, menſas inſuper & lectos ſternere docuit. plerique Menam Miz raim dictum credunt conditorem Aegypti, qui à Beroſo Oceanus dicitur, & hoc quoque tempore Iſmaël moritur, cùm iam expleuiſſet centum triginta & ſeptem annos, relinquens duodecim filios principes tribuum ſuarum, & Iacob proficiſcitur in Aram, & Macedon filius Oſiridis apud Ematios regnare cœpit. Apud Celtas regnat Celtes, qui montes Galliam ab Hiſpaniis diuidentes, Pyrenæos nominauit, ob maximam ſyluarum in iis creſcentium copiam. Nonus Celtiberorũ rex Hiſpalus recenſetur, anno à creato orbe bis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, qui regnauit annis decẽ & ſeptem, & fuit filius Herculis Libyci, & Hiſpalim vrbem in Iberia, quæ nunc Hiſpania eſt, condidit. Hoc tempore Dynaſteia Aegyptiorum decima octaua, quæ dicta eſt Politanorum, exoritur, & durauit annos trecentos quadraginta, in qua primus regnauit Amaſis. Aegyptiorum reges tunc omnes dicebantur Pharaones, non hoc proprium habentes nomen, ſed pro dignitate tunc reges vtebantur hoc nomine, ſicut apud Romanos, imperatores Auguſti dicebantur. Decimus Celtiberiæ rex Hiſpanus creatur, anno à condito orbe bis milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto, qui regnauit duos & triginta annos. hinc Hiſpania nomen

nomen habet. Circa hæc tempora Iacob natus annos centum quadraginta & ſeptem moritur in Aegypto. Hercules Oſiridis, cui nomen fuit Libyus, Gigantes tyrannos Italia pepulit, decem continuis annis bello geſto. Poſtea regnauit annos viginti, vt Beroſus annotauit. Argus quartus Argiuorum rex eo tempore eſt, & Heraclius decimus Sicyoniorum rex eſt, & Sparta conditur ab Sparto filio Phoronei. Duodecimus Celtiberorum rex Heſperus dicitur, qui regnauit anno à creato orbe bis milleſimo trecẽteſimo decimo quinto: circa quæ tempora Ioſeph centum & decem annorum vitam morte commutauit, & Memphres Aegypti rex eſt, Narbon apud Celtas regnat, à quo Gallia Narbonenſis nomen deſumpſit. Mamilus decimus tertius Aſſyriorum rex eſt. Cahath octogenarius genuit Amram patrem Moſis, vt Euſebius annotauit. Lugdus apud Celtas regnat, à quo prouincia Lugdunenſis dicta. Decimus tertius Hiſpaniarum rex Kitin annumeratur, qui pulſo fratre Heſpero in Italiam, anno ab orbe condito bis milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto, apud Celtiberos regnauit annis vndecim, quo tempore in Celtis regnauit Lugdus, à quo vt dixi, Lugdunenſis prouincia dicta. Huic ſucceſſit Sicorus, & Argiuorum Craſſus quintus rex eſt, & in Argis primus ſacerdotio functus eſt Caliptias. A Sicoro Sicanus filius decimus quintus Celtiberorum & Hiſpaniæ rex: & in Celtis Belgius Celtarum rex eſt, à quo Belgica regio nomen deſumpſit, anno à creato orbe bis milleſimo trecenteſimo octuageſimo octauo. Decimus ſextus Hiſpaniarum rex eſt Siceleus, & anno bis milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quinto, lis prima inteſtina oritur pro regno, inter Dardanum & Iaſium: Aborigenes partes Dardani adiuuabant, Siculi verò cum Siceleo

partium Iasij erant, vt Berosus fusiùs discussit. sub hac contentione fratrum Siceleus ex Hispania, in auxilium Iasij euocatur, quod Annius de regibus Hispaniæ, & Halicarnasseus fusiùs prosequuntur. Decimus septimus Hispaniæ rex Lusus annumeratur, cui successit Siculus decimus octauus rex. & postea Testa decimus nonus. vigèsimus Hispaniæ rex fuit Romus annis triginta tribus, qui fuit ex familia Veituloniæ, anno ab orbe creato bis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto. Hoc tempore Cyrene ciuitas in Libya conditur, vt Eusebius tradidit. Vigesimus primus Hispaniæ rex Palatuus dicitur, dum in Celtis Galathes regnat, & Argiuorum deficit regnum, & ad Mycenas transfertur, & Eurystheus primus Mycenarum rex creatur, anno ab orbe condito bis millesimo sexcẽtesimo quinquagesimo octauo: & postea anno ab orbe condito bis millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, Cacus adolescens pulso Palatuo apud Hispanos regnat annis triginta sex. Hic primus in Hispania ferrum & arma tractauit, postea à Palatuo in Italiam expulsus est, anno bis millesimo septingentesimo trigesimo. Hercules ab Hispaniis in Italiam venit, anno quinquagesimo quinto ante aduentum Aeneæ, Cacum interemit, leges Italis dedit, vt Dionysius libro primo, quamuis vt Functius annotauit, denarius numerus superesse in Dionysio videatur. Hoc tempore interregnum in Israël est annis decem & octo, quibus Hebræi coacti sunt Philistæis & filiis Ammon seruire. Vigesimus quartus Hispaniarum rex Gargaris Mellicela regnauit annis septuaginta quinque, vsque ad primum annum Aeneæ Syluij Latinorum regis. sic regnatum est in Hispania vsque ad bis millesimum octingentesimum quinquagesimum & secundum annum, & vsque ad annum captæ

Troiæ septuagesimũ quintum. Inde in prouincias, & particularia ciuitatũ dominia cõuersa est dominatio, donec Carthaginẽses, & post hos Romani his præualuere. Huius nouissimi Hispaniæ regis tempore, Samuèl & Saul Israëli præfuerunt, annis quadraginta: & Dercyllus trigesimus primus Assyriorum rex erat. Circa hæc quoque tempora, Sicyoniorum reges deficiunt. Argiui iam regnare desierant. Dum in Hispania inter Pœnos & Romanos res geritur, accepta à Romanis Cannensi clade, Lucius Posthumus tertiùm absens, qui tum Galliam prouinciam obtinebat, & Titus Sempronius Gracchus consules creantur, anno ab vrbe condita quingentesimo trigesimo nono. In Hispania nihilo segnius bellum erat inter Pœnos & Romanos, sed ad eam diem magis prosperum Romanis. huic bello præficiuntur Publius, & Cneus Scipiones fratres. ij inter se partiuntur copias, vt Cneus Cornelius Scipio terra, Publius Cornelius Scipio mari nauibúsq; rem gererent. dum Hæc in Italia geruntur, Asdrubal Pœnorum imperator procul ab hoste Romano, interuallo ac locis tutis tenebat se, cui quatuor millia peditum, & quingenti equites in supplementum missi ex Africa sunt. Tum refecta spe castra propius hostem mouit, classémque & ipse instrui pararíq; iubet, ad insulam maritimámque oram tutandam: paruo interiecto temporis interstitio, Hannibal à Pœnis cum exercitu iusto, & aucta classe ad retinendam terra marique, ac tuendã Hispaniam mittitur, qui vt pedestreis naualeísque copias traiecit, castris communitis, nauibúsque subductis, ad Asdrubalem peruenit, cui decreta senatus mandatáque exposuit. Asdrubal in Italiam exercitum ducit. Vbi decreta Carthaginensium, & Asdrubalis iter ad Romanos sunt perlata, omnibus omissis rebus ambo duces iunctis copiis

ire obuiàm eœptis,ad Iberum contrahunt copias,& transito amne vrbem à propinquo flumine Iberam appellatam oppugnare parant:quod vbi Asdrubal sensit, obsessis opem ferre statuit:at à Romanis omissa obsidio est, & in ipsum Asdrubalem versum bellum. Tandem vno eodémque die velut ex composito,vtrinque signum pugnæ propositum est,atque omnibus copiis in campum descensum est. Romani haud dubiè superarunt.magna vis hominum ibi occisa, & nisi Hispani vixdum conserto prælio tam effusè fugissent, perpauci ex tota Asdrubalis acie superfuissent, & Asdrubal vsque ad extremum euentum fugæ moratus,è media cæde cum paucis effugit. Castra Romani cepêre, atque inde diripuêre: quæ posteaquàm literis Scipionum Romæ vulgata sunt,non tam victoria, quàm prohibitio Asdrubalis in Italiam transitus laudabatur. Anno postea ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo,Fabio maximo,& Claudio Marcello consulibus in Hispania variæ res gestæ sunt:nam ingentes copias Hispanorum Mago,& Asdrubal fuderunt,defeciséque à Romanis vlterior Hispania, ni Publius Cornelius Scipio raptim traducto exercitu dubiis sociorum animis in tempore aduenisset. Primò ad Castrum altum (locus est insignis cæde magni Amilcaris)castra Romani habuere,deinde Castulo vrbs Hispaniæ valida ac nobilis,& adeo coniuncta societate Pœnis,vt vxor inde Hannibali esset, ad Romanos defecit. Carthaginenses Illiturgum oppugnant, quia præsidium ibi Romanum erat, videbanturque inopia eum locum maximè expugnaturi. Cneus Scipio vt sociis præsidióque ferret opem,cum legione expedita profectus inter bina castra cum magna hostium cæde vrbem est ingressus, & postero die eruptione æquè felici pugnauit.supra duodecim millia hominum cæsa duobus prœliis plus decem millia capta,cum sex & triginta militaribus signis. Ita ab Illiturgi recessum est obsidione.Bigerra inde vrbs,socia & hæc Romanorum erat, à Carthaginensibus oppugnari cœpta. Eam obsidionem sine certamine, adueniens Cneus Scipio soluit. Ad Numidiam exinde castra Punica mota, & Romani eo confestim secuti sunt. Ibi signis collatis pugnatum per quatuor fermè horas, egregiéq; vincentibus Romanis signum receptui datum est, quòd Cnei Scipionis femur tragula confixum erat, pauórque circa eum cœperat milites,ne mortiferum esset vulnus. Cæterùm haud dubium fuit,quin nisi ea mora interuenisset,castra eo die Punica capi potuerint: iam enim non milites solùm,sed elephanti etiam vsque ad vallum acti erant,supérq; ipso nouem & triginta elephanti pilis confixi. Hoc quoque prælio ad duodecim millia hominum dicuntur cæsa,propè tria millia capta,cùm signis militaribus septem & quinquaginta: ad Auringem inde vrbem Pœni recessere, & vt territis instaret secutus Romanus, ibi iterum Scipio lectica in aciem illatus conflixit, nec dubia victoria fuit:minùs tamen dimidio hostium quàm antea,quia pauciores superfuerant qui pugnarent, occisum. Sic res prosperè in Hispania fuerunt: Anno postea ab vrbe condita quingentesimo quadragesimo primo consules creantur Quintus Fabius Maximus nouissimi consulis filius, & Titus Sempronius Gracchus secundùm consul.In Hispania eo anno nihil memorabile gestum, præterquàm quòd Celtiberûm iuuentutem eadem mercede, quæ pacta cum Carthaginensibus erat, Imperatores Romani ad se perduxerunt, & nobilissimos Hispanos supra trecentos, inde in Italiam ad solicitandos populares, qui inter auxilia Hannibalis erant, miserunt. Id

modò eius anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem antequàm tum Celtiberos Romani habuerunt, vt Liuius libro quinto tertiæ decadis edocuit. In Hispania biennio fermè nihil admodum memorabile factum est, consiliísque magis quàm armis res gerebantur. Scipiones Romani imperatores egressi hybernis copias coniunxerunt. Ibi concilium aduocatum, omniúmque in vnum congruerunt sententiæ, vt Asdrubalem tendentem in Italiam retinerent. Tempus esse id iam agi vt bellum in Hispania finiretur, & satis ad id virium credebant accessisse triginta millia Celtiberorum ea hyeme ad arma excitata. Pœnorum tres exercitus erant. Asdrubal Gisgonis filius, & Mago coniunctis castris quinq; ferè dierum iter ab Romanis aberant. Propior erat Amilcaris filius Asdrubal vetus in Hispania imperator, qui ad vrbem nomine Auitorgim exercitū habebat. Eum volebant priùs opprimi duces Romani, & spes erat satis supérque ad id virium esse. Illa restabat cura, ne fuso eo, perculsi, Asdrubal & Mago in auios saltus montésque recipientes sese bello extraherent. Optimum igitur rati diuisis bifariam copiis, totius simul Hispaniæ amplecti bellum, ita inter se diuiserunt, vt Publius Cornelius duas partes exercitus Romanorum sociorúmq; aduersus Magonem, & Asdrubalē duceret: Cneus Cornelius Scipio cum tertia parte veteris exercitus Celtiberis adiunctis cum Asdrubale Barchino bellū gereret. vnà profecti ambo duces exercitúsq; ad vrbem Auitorgim, in hostium conspectu dirimente amne ponunt castra. ibi Cneus Scipio cum quibus antè dictum est copiis substitit, & Publius scipio profectus ad destinatam belli partem. Asdrubal postquàm animaduertit exiguum Romanū exercitū in castris, & spem omnem in Celtiberorum auxiliis esse, per

occulta colloquia paciscitur magna mercede cum Celtiberorum principibus, vt copias inde abducant, quod non ducibus faciliùs quàm multitudini persuasum fuit. signis itaq; repentè sublatis, Celtiberi abeunt, nihil aliud quærentibus causam, obtestantibúsq; vt remanerent, Romanis respondentes, quàm se domestico euocari bello. Scipio postquàm socij, nec precibus, nec vi retineri poterant, nec se aut parem sine illis hosti esse, aut fratri rursus coniungi posse vidit, nec vllum salutare consilium in promptu esse, retrò quātum posset cedere statuit. Per eosdem dies Publium Scipionem par terror, periculum maius, ab nouo hoste vrgebat. Massinissa cum equitatu Numidarū aduenienti Scipioni occurrit: deinde assiduè dies noctésque infestus aderat. dux cautus & prudens Scipio victus necessitatibus, temerarium capit consilium, vt nocte obuiam iret, & quocumque occurrissent loco, prælium consereret. Relicto igitur in castris modico præsidio, præpositoq; T. Fonteio legato, media nocte profectus cum obuiis hostibus manus conseruit. Agmina magis quàm acies pugnant. superior tamen & in tumultuaria pugna Romanus erat. Cæterùm & equites Numidæ repentè, quos fefellisse se dux ratus erat, ab lateribus circumfusi magnum terrorem intulêre. contracto inter Numidas certamine nouo, tertius insuper aduenit hostis. Duces Pœni assecuti ab tergo iam pugnantes, ancépsque prælium Romanos circunsteterat, incertos in quem potissimum hostem, quámue in partem eruptionem facerent. Pugnanti hortantíque imperatori, & offerenti se vbi plurimus labor erat, latus dextrum lancea traiicitur. peruagata itaque fama est imperatorem Romanum cecidisse: fuga confestim ex acie duce amisso fieri cœpta est, magna tamen pars militum cum in propinquas refugisset syluas, in castra Publij Scipionis (quibus

T. Fonteius legatus præerat) perfugit. Cneum Scipionem alij in tumulo primo hostium impetu cæsum tradunt, quod Liuius libro decadis tertiæ quinto fusiùs prosequitur: & sic anno septimo postquàm in Hispaniam venerat Cneus Scipio, vndetrigesimo die post mortem fratris occisus est. luctus ex morte eorum non Romæ maior, quàm per totam Hispaniam fuit. Accepta hac clade longo temporis interstitio, Hispaniæ populi, qui nec post cladem acceptam defecerant, redibant ad Romanos, nec vlli noui deficiebant. & Romæ Senatui, populóque Romano, non Italiæ iam maior quàm Hispaniæ cura erat, & exercitum augeri, & imperatorem mitti placebat: nec tamen quem mitterent satis constabat, quoniam illuc vbi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent, qui in locum duorum succederet, extraordinaria cura deligendus erat: cùm alij alium nominarent, postremùm eò decursum est, vt populus pro Cõsule creando in Hispaniam comitia haberet, diémque comitiis consules edixerunt. Publius Cornelius Scipio, filius illius qui in Hispania ceciderat, quatuor & viginti fermè annos natus, cum imperio esse in Hispania iussus est: fuit hic Scipio non veris tantùm virtutibus mirabilis, sed arte quoque quadam à iuuentute in ostentationem earum compositus, ex quo togam virilem sumpsit. Nullo die priùs vllam publicam priuatámve rem egit, quàm in Capitolium iret, ingreßúsq; ædem, considerans plerumque tempus terebat. Scipioni ad eas copias, quas ex vetere exercitu Hispania habebat, quæque à Puteolis cum Claudio Nerone traiectæ erant, decem millia peditum & mille equites adduntur. Marcus Iulius Syllanus Prætor, adiutor ad res gerendas datus est. Itaque cum triginta nauium classe (omnes autem quinqueremes erant) copias exposuit.

exposuit. Anno postea quingentesimo quadragesimo quarto Marcus Claudius Marcellus quartùm, & Marcus Valerius Leuinus secundùm consules creantur. Publius Cornelius Scipio nouã Carthaginem vno die expugnauit, deinde in Hispania ad Betulam Scipio cum Asdrubale Amilcaris cõflixit, & vicit. Inter alia captum puerum regalẽ eximiæ formæ ad auunculum Masinissam cum donis misit: deinde in Hispania cum Pœnis pugnauit. Decimo quarto illius belli anno, & anno postquàm in Hispaniã ierat, quinto: exclusisq; in totum possessione eius hostibus Hispaniã recepit, & à Tarracone in Africam, ad Syphacem regem Numidarum duobus nauigiis transuectus fœdus iunxit. Asdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto accubuit. sic bellum in Hispania finitum victore Romano. Postea Publio Cornelio Scipione secundùm, & Tito Sempronio Longo Consulibus, Marcus Portius Cato ex Hispania triumphauit. Tulit in eo triumpho argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centum viginti tria millia, auri pondo mille quadraginta. Longo postea tempore lapso, Cneus Pompeius cùm adhuc Quæstor esset, cum imperio consulari aduersus Sertorium in Hispaniam missus est. Sertorius aliquot vrbes expugnauerat, plurimásque ciuitates in potestatem suam redegerat, cum quo Pompeius dubio euentu pugnauit, ita vt singula ex vtraque parte cornua vicerint. Caius Cæsar cùm quatuor triumphos egisset, ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, ex Africa, quintum triumphum ex Hispania egit: sic res in Hispania diuerso marte geruntur. Mortuo Iulio Cæsare Hispaniæ res ad Augustum deducuntur. Hinc temporum ratio ab Augusto duci cœpit. Hispani enim nomen illud in omnibus suis scripturis tanquam gratissimum continua mentione celebratum esse vo-

luerunt, quemadmodum vrbes non paucas Hispani ab eodē nominauerūt, vti Cesar Augustam, Pacē Augustā, & Augustobrigam, & si quæ sunt aliæ. hinc factū vt Hispani annum ab Augusto primum adnotarint, & Hispanorum consuetudo fuit annos ab Augusto repetendi, sicut omnes Romani imperij prouinciæ in more habuerunt tempora à quibusdam imperatoribus ineuntibus principatum annotare, donec laudabili more inter Christianos receptum est, vti Christi Seruatoris nostri natalis dies, is esset vnde ratio annorum temporúmque duceretur, abolita omni alia notandi tempora consuetudine: sed tamen Hispani suum æra tam obstinatè retinuere, vt mos ille supputandi durauerit vsque ad Ioannem regem Hispanorum huiusce nominis primum, qui Ioannes rex legem tulit anno Christi nati millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, qua lege cautum, vti anni deinceps atque tēpora à Christi natali die ducta ratione, non ab æra Cæsaris numerarētur. Quid autem significet illud æra, multi tum veteres, tum recētiores multa non sat accuratè tradiderunt: atq; in primis Isidorus, qui librum conciliorum digessit, quique ferè nusquam illis in conciliis alia ratione tempus adnotauit, ait æra, vt nomen, sic initium accepisse ab ære, hoc est à tributo, quod Augustus Cæsar tunc mortalibus cunctis, qui Romano imperio parebant, imperauit, cùm edixit, vt vniuersus orbis (vt Euangelio Lucæ notatur) describeretur. Hermolaus autem Barbarus, vir doctissimus, in eo libro, cui titulum fecit, Castigationes Plinianæ, dum hanc dictionem nititur explicare, asserit æra apud veteres idem significare ac numerum, inde fieri vt cùm dicimus æra centum, idem notetur ac si diceremus numero centum: opinionem verò suam confirmat authoritate Lucilij, & Nonij Marcelli, veterum scriptorū

fuerunt & aliæ de hac annorum ratione scriptorum sententiæ: quas, tum quia fictitiæ omnes ac commentitiæ esse vidētur, nouissimè Ioannes Sepulueda, vir Hispanus eruditissimus, in libro, quem scripsit de correctione anni & mensium Romanorum, hanc adfert huiusce vocabuli in conciliis frequentissimi rationem & originem: ait ergo id planè omnium consensu constare, hanc temporis rationem, quam æra Hispani dicunt, ab Augusto Cæsare deduci, qui breuitatis gratia (vti olim fiebat) sicuti in omnibus antiquis notis, tabulisq; æneis ac lapidibus inscriptis notare clarè ac perspicere est, principia duntaxat trium verborum scripserunt, sed punctis distincta in hunc modum A. ER. A. ita vt A primum pro anno, & ER. pro erat, & item A alterum pro Augusto posita censerentur, significarēntque hanc sententiam, nempe (Annus erat Augusti) vnde factum sit posterorum socordia vel temeritate, istud æra: vt omissis punctis eædem literæ primis duabus in diphthongum Æ coalitis, veluti in vnum verbum confusè conscriberentur, fierētque illud æra, de quo tam sæpe fit in conciliis mentio, & quando in concilio tertio Toletano dicitur æra 600. & 27. id scilicet vult, annus erat sexcentesimus & vigesimus septimus, ex quo Augustus deuicto collega Antonio rerum potitus est. Sic in Hispania sub Romanis ducibus res geruntur, vsque ad annum ab vrbe condita sexagesimum quartum & centesimum supra millesimum, qui & salutis Christianæ duodecimus & quadringētesimus fuit. Ingresso in vrbem Alarico Visigothorum rege, Galla Placidia Theodosij superioris imperatoris filia, & Honorij & Arcadij tunc imperatorum soror, in captorum sortem abducta, victoris Barbari castra secuta est, quam Athanaulphus ex Balthorum gente Alarici co-

gnatus primo captæ vrbis die desponsarat & nondum viro copulatam apud Forumcornelij sibi matrimonio iunxit, & mortuo Alarico subrogatus est Athanaulphus in regem. Is barbarus rex suadente Placidia prudentissima muliere, post factas apud Forumcornelij nuptias, omnem emensus Italiam, cùm apud Barchinonem Citerioris Hispaniæ consedisset, conquieuit, sicq; circumagitur irruptionis Visigothorum in vrbẽ annus primus, & Honorius à Visigothorum agitatione respirans (nam apud Barchinonẽ & Citerioris Hispaniæ loca quieti sedebant) tyrannos tollere statuit, & barbaros inuadere intra fines Romani imperij debacchantes, & in Visigothos priùs ea ratione destinauit expeditionem, quòd ea gens proximior Hispaniæ Citerioris loca teneret, vnde in ipsam faciliùs ex Italia exercitus mitti posset, accedebátque quòd ea gente, vnici regis Athanaulphi ductu, multo cæteris barbaris potentiore deleta, sperabat facillimum fore Alanos, Sueuos, Vandalos, & Burgundiones remotiora colentes imperij loca inter se dissidentes conficere. Athanaulphus vires reparare conatur, sed sui Visigothi indgnè ferebãt eum Gallæ Placidiæ vxoris blanditiis credidisse, & triennio anteacto bellis temperasse, in quibus facile potuerat Honorium imperatorem tyrannorum motibus agitatum imperio pellere, ac quascunque maluissent prouincias occupare. hinc primò vocati non paruerunt dicto, & demum regem ipsum dolo circumuentum obtruncarunt. subrogatus autem illi fuit Sigericus in Romanum, vt Visigothi credebant, bellum ardentius consensurum. sed cùm is etiam ad pacem, quæ identidem offerebatur, pronior esset visus, dolo suorum pariter occiditur. huic successit Vallia, qui ad pacem & ipse pronus erat, & tamen Visigothorum rabiem expleturus, magnam eorũ ma-

num nauigio armísque instructissimam transmittere in Africam est molitus: sed hi omnes in Gaditano freto naufragio perierunt. Spreto igitur Visigothorum consilio, pacem optimã cum Honorio imperatore datis lectissimis obsidibus constituit, & Placidia, quam post Athanaulphi mortem honorificè apud se honestéque habuerat, fratri reddita suam Reipublicæ operam est pollicitus. Aduersum cæteras gentes, quæ in Hispaniis consedissent, ea pace firmata, Honorius Constantio Cæsari declarato Gallam Placidiam Sororẽ matrimonio iunxit, ex qua Valentinianum suscepit, qui postea vix dum pueritiã supergressus, ipsi Honorio in imperio successit. Sic Visigothi Hispania potiti sunt. postea dum Mauritius imperij sceptra moderatur, & Pelagius Ecclesiæ Christi ministerium accepit, rex Visigothæ gentis Ricaredus sexaginta duorum Episcoporum synodum apud Toletum coëgit: qua in synodo Ricaredus Ariana hæresi abdicata, Catholicã Christi fidem tunc primùm in Visigotha gente habere curauit. Quod cùm Childebertus Francorum rex intellexisset, & Visigothæ gentis Ricaredus rex sororem matrimonio sibi iungi missa legatione vehementer efflagitaret, & iam Antharis Longobardorũ rex Francum exorauerat, vt pacẽ secum perpetuã initurus matrimonio sororem secum iungeret: desponderátque Francus: sed cùm Visigothæ gentis rex Ricaredus eandem poposcisset puellam, mutauit sententiam Childebertus, quòd Longobardum veteratum hostem, & idololatram esse, & Visigothum audisset recèns Christianissimum agnouisse. Igitur regis Francorum soror Ricaredo Visigothorum regi in coniugem data, Antharis Teudelindam Bauarorum regis filiam vxorem duxit, vt fusiùs Blondus libro de inclinatione imperij prosequitur. Postremo loco deiici-

tur latissima Hispaniæ ora in Sarracenorum ditionem, donec anno à creato orbe quater millesimo septingẽtesimo quadragesimo, Carolus Magnus Francorum rex in Hispania, Cæsar Augustam, Pampilonem, & alias Hispaniarum vrbes in Sarracenorum ditionem deiectas vi recepit, & anno posteà à creato orbe quater millesimo septingentesimo sexagesimo, & anno reparatæ nostræ salutis septingentesimo nonagesimo septimo, Alphonsus Asturiæ, & Galitiæ rex, Sarracenos Lusitaniam tenentes bello vicit, & captam exinde Olisiponem (quæ nunc Lisibona primaria Lusitaniæ ciuitas dicitur) in prædam concessit, multisque militaribus ornamentis Carolum donauit, quod Blondus fusiùs discussit. Eo tempore Aygolandus Sarracenorum in Hispania rex, cum Carolo diuturnum bellum gessit, anno ab orbe creato quater millesimo septingentesimo sexagesimo sexto, anno Christi octingentesimo quarto, quod à Vincentio fusiùs annotatur: Illo quoque tempore Sillo in Hispania regnare cœpit annis sex. habuit hic Sillo Egimandam sororem Aurelij matrimonio sibi iunctam, cum qua & regnum obtinuit. Mortuo Sillone Mauregatus Alphonsi Catholici ex pellice filius, Maurorum auxilio regnum occupauit Veramundus Alphonsi nepos. posteà regnum Alphonso Phroillæ filio tradidit, ipse religioni se addixit, anno à creato orbe quater millesimo septingentesimo octuagesimo nono, & anno Christi octingentesimo vigesimo septimo, Abderana Sarracenorum rex cum instructissima classe in agrum Barchionensem, Gerundensémque irruit, & vt Blondus annotauit, crudelitate quàm plurima vastauit. Anno posteà reparatæ nostrę salutis noningentesimo quadragesimo quarto Abdaram (ab aliis Ademaram dicitur) Sarracenorum in Hispania rex, à Raimiro rege

Christianissimo Galitiæ bello superatur, & anno Christi noningentesimo sexagesimo primo, Erechus Bigoræ comes Sarracenos magna Hispaniæ parte expulit, & Nauarræ regnũ ibi fundauit, quod Ricius fusiùs prosequitur. anno posteà Christi millesimo octuagesimo octauo, Alphonsus Sarracenos vicit, Toletum cepit, & Christi religionem in ea instaurauit. & anno salutis nostræ 1202. Illomamolinus Sarracenorum imperator classe in Hispaniam traiecit, totámque vsque ad Gallias igne ferróque absumpsit. Tandem reges Hispaniarum cum eo congressi vicerunt: ipse tamen Granatam obtinuit, & anno à Christo nato milleſimo ducẽtesimo vigesimo quarto, Ferdinandus tertius Sarracenos Maiorica insula & Valentia vrbe pepulit, eáq; loca ad Christi fidẽ reduxit, & totã posteà Hispaniam à Sarracenis liberauit, & anno à Christo nato, milleſimo trecentesimo decimo, Alphonsus vndecimus Castellæ rex aduersus Sarracenos feliciter dimicauit, subiugatis oppidis Acala & Bencax, quam nunc Regalem appellant: & anno Christi milleſimo trecentesimo quadragesimo, trecenta Sarracenorũ millia ab Hispanis in Granatæ regno cæduntur; & Philippus Nauarræ rex in obsidione Argesillæ Granatæ vrbis obiit. Dum hæc in Hispaniis geruntur, regnauit in Hispania Alphonsus Catholicus annis decem & nouem, anno à creato orbe quater millesimo septingentesimo quarto, anno verò Christi 742. quo tempore Hunni septem itineribus, totidémque exercitibus Scythiæ egressi Pannoniam repetunt, & Romanis inter se certantibus Sarraceni vrbem diripiunt. Posteà Sillo, pulso Veramundo, solus regnat. habuit hic Sillo Egimandam sororem Aurelij matrimonio sibi iunctam, cum qua anno à Christo nato 778. regnum obtinuit. posteà Mauregathus Alphonsi Ca-

tholici regis ex pellice filius, Maurorum auxilio regnum mortuo Sillone occupat, anno à Christo nato septingentesimo octuagesimo quarto, & postea Veramundus nepos Alphonsi Catholici ex filio Balmaro regnat annis duobus, quibus exactis regnum Alphonso Phroillæ filio tradidit, & se religioni addixit, & anno à Christo nato 789. Alphonsus secundus cognomento Castus, Asturum & Legionis rex annis 41. & anno à Christo nato octingentesimo trigesimo primo, Ordonius Legionis & Asturum rex creatur, & anno à Christo nato octingentesimo quadragesimo primo, dum Carolus Caluus rex Franciæ regnat, Alphonsus huius nominis tertius cognomẽto Magnus, Hispaniarum rex est, annis sex & quadraginta. Hic fratres suspectos habuit, ac si sibi necem per insidias struerent, omnésq; oculis priuauit: quo tempore Hunni Christianum nomen desumpserunt. Anno postea octingentesimo octuagesimo septimo, Garsia Hispaniæ rex est: anno Christi octingentesimo nonagesimo, Ordonius Legionis & Asturum rex est annis octo. Hic quatuor Castellæ Comites per interpositam fidem circumuentos carcere necari iussit. Quare Castellæ prouincia ab eo defecit, iudicésque creauit, quibus imperium commisit. ex his alteri Mimio Rasurano nomen fit, alteri Layno Caluo. Postea Phroilla Legionis & Asturum rex est, cui anno ab orbe condito 900. successit Alphõsus huius nominis quartus, quo tempore Carolus Simplex Francorum rex erat. Eduardus rex Anglorum erat. postea successit Raimiris, anno à Christo nato noningentesimo quinto. Hic fratrem Alphonsum, cùm Christi fidem abnegasset, cepit, & effossis oculis in vincula coniecit. Hoc tempore Normani Christi fidem agnoscunt, Rollo Normanorum dux cõstituitur, qui baptizatus Caroli Simplicis

plicis filiam vxorem accepit. Anno postea noningentesimo vigesimo quarto, Ordonius Legionis & Asturum rex creatur, & anno à Christo nato noningentesimo quadragesimo Raimiris Hispaniæ rex creatur. Anno à Christo nato noningentesimo sexagesimo Enechus Bigoræ Comes, Nauarræ regnũ fundauit, vt Ricius annotauit. Anno à Christo nato noningentesimo sexagesimo quinto, Veramundus in Hispania regnat. Hic iuuante Garsia Ferdinandi Castellæ Comite bellum aduersus Almanzerem Sarracenorum regem mouet, prælióque victor fuit: mox à Sarraceno victus Sarracenorum legionem expugnatam diruit: Lusitaniã ingressus Compostellam Basilicam euertit. Veramũdus porrò & Garsias de Canatannazor iunctis copiis magnam Almãzeri cladẽ intulêre, quod Volaterranus, & Ricius fusiùs prosequuntur. Anno postea noningentesimo octuagesimo secundo, Alphonsus huiusce nominis quintus in Hispania regnat, & anno à Christo nato millesimo decimo nono Veramundus in Hispania regnat annis sex, & anno Christi millesimo vigesimo quinto Ferdinandus Legionis & Castellæ rex est. Labente tempore anno Christi millesimo sexagesimo quinto, Sanctius Castellæ rex est, & Alphonsus huius nominis sextus Legionis rex est. At Sanctius Castellæ regno non cõtentus, Alphonsum Legionis regno pepulit, qui Toletum ad Sarracenorum regem confugit. At Sanctio à quodã domestico Vellido interẽpto, Alphõsus à Toleto reuocatus, regno restituitur, regnauitq; annis tribus & quadraginta. Et anno postea millesimo centesimo vigesimo primo, Alphonsus huius nominis septimus Hispaniæ rex est. Huic successit liberũm natu maximus Sanctius, huius nominis tertius, cognomento Desideratus. Deinde anno Christi millesimo cen-

teſimo vigeſimo ſexto Ferdinandus, Sanctij frater rex creatur, qui regnauit annos ſexdecim, & Alphonſus nonus cognomẽto Bonus regnauit annos quinquaginta, anno à Chriſto nato milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio: & poſtea anno à Chriſto nato, milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, Alphonſus nonus Hiſpaniæ rex creatur: Phrygio hunc omittit. Polydorus octauum eum libro decimo quinto annumerat. Deinceps anno Chriſti milleſimo ducẽteſimo vigeſimo primo Henricus Hiſpaniæ rex eſt. Hic cum pueris ludens caſu gulã apud Palantiam fregit. eo extincto Ferdinandus huius nominis tertius, Sarracenos Maiorica inſula, & Valentia vrbe pepulit, eáque loca ad Chriſti fidem reduxit. Hiſpaniámque omnem à Sarracenis (vt Volaterranus annotauit) liberauit. Eo tempore Theobaldus Nauarræ rex erat. Anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quadrageſimo primo, Iacobus rex Arragonum Ferdinandi auxilio, Baleares inſulas à Sarracenis recepit, vt Volaterranus fuſiùs tradidit: & anno milleſimo ducẽteſimo, Alphonſus huius nominis decimus, Legionis & Caſtellæ rex creatur. Hoc tempore Petrus Arragoniæ rex Siciliam occupat, & regni corona inſignitur. In Francia regnabat Philippus Pulcher. In regno Caſtellæ ſucceſſit Sanctius, & poſtea Ferdinandus huius nominis quartus. Anno milleſimo trecenteſimo decimo, Alphonſus huius nominis vndecimus ſceptra Caſtellę conſequitur, & aduerſus Sarracenos feliciter pugnat. Eos oppidis Acala, & Bencax (quæ nunc Regalis dicitur) pepulit. Anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo, Philippus Eburonenſium Comes, Nauarræ rex eſt, ex Ioanna filia Ludouici VIII. Francorũ regis: & anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, Petrus huiuſce nominis primus, Caſtellæ rex fit, & anno milleſimo

trecenteſimo ſexageſimo, Henricus frater Petri, regis crudelitatem non ferens, ad Arragonum regem diuertit: cuius auxilio fratrem bello ſuperauit, regnóque pepulit. Petrus cum tribus liberis ad Edoardum Vualiæ principem in Aquitaniã fugit, & copiis ab eo acceptis cum Edoardo, bello fratrem adoritur: quo proſtrato, regno reſtituitur. Sed vbi Henricus exercitum denuò coëgit, Petrum fratrem vicit, & occidit. ſic Henricus Caſtellæ rex ordinatur, quæ Ricius fuſiùs proſequitur: & anno Chriſti milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo, Ioannes huius nominis primus Caſtellæ rex eſt, quo tempore fit atrox bellum inter Ioannem Caſtellæ regem, & Portugaliæ, Alencaſtriæq; principem. Huic Ioanni ſucceſſit Ioãnes huius nominis ſecundus, anno à Chriſto nato milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſecundo. Ioanna Siciliæ regina Alphonſum Arragoniæ regem adoptauit, vt Ricius fuſiùs proſequitur, quo tempore Carolus ſeptimus Francorum rex erat: anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio Alphonſus Neapolim cepit, & regnauit annis ſexdecim. Alphonſo ſucceſſit Henricus quartus Caſtellæ rex, & Ferdinandus Alphonſi filius Neapolis rex eſt, qui obiit Romæ anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, dum Ludouicus vndecimus in Galliis regnat: & anno milleſimo quadringẽteſimo ſeptuageſimo quinto, Ferdinãdus Magnus Hiſpaniæ rex eſt, & regnum Hiſpaniæ, cum Alphõſo Portugaliæ rege diuiſit: & anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, Ioannes Tarraconæ, Hiſpaniæ citerioris, Nauarræ, & Maioricæ & Balearum rex, Ferdinando filio Caſtellæ, Siciliæ, ac Corſicæ regi, moriens regna reliquit. Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo, rex Granatæ ab Hiſpaniis bello vin-

citur, vi Sarracenis eiectis: & Ferdinandus ob crebras contra Sarracenos victorias, Catholici cognomen sortitur. Anno verò à Christo nato millesimo quingentesimo quinto, Granatæ populus ad fidē Christi agnoscendam cogitur. Carolus Archidux Austriæ, Hispaniæ regnum assequitur: & in Hispaniæ, Siciliæ que regno confirmatur, anno à Christo nato millesimo quingentesimo decimo sexto.

RERVM AC VERBORVM IN his Commentariis memorabilium Index.

A

Aaron nascitur anno ab orbe creato bis millesimo trecentesimo sexagesimo sexto. 645

Aaron moritur tertio anno regni Amirtæ 30.4

Aba Syluius Latinis imperat 37.10

Abas, Argiuis duodecimꝰ rex est 231.23

Abdon dux & Iudex Hebræorū 71.24

Abel pastor ouium, & pietatis cultor 1.16

Abel Hebraicè luctum significat 1.18

Abdias, Ozias, & Micheas, quo tempore prophetarunt. 89.10

Abesan dux & Iudex Hebræorum 33.23 71.21.

Abia, quartus Iudææ rex 37.14

Abias succesßit Roboam 88. 4. hic fuit rei militaris peritißimus, veræ religionis contemptor 88. 9. Hieroboam bello superat. 14. tertio regni sui anno egit animam. 16

Abimatadocus Babyloniæ rex 50.27

Abimelech filius Eurysthei 71.10

Abimelech filius Gedeonis, Hebræorum iudex. 33.8

Abimelech Hebræorum summus pontifex 89.3

Abimelech Thebarum ciuitatem oppugnans ictu lapidis à muliercula iacti collabitur 71.12

Abner Saulis magister equitum, regni sectionem æquo animo non patitur 79.20

Abner castris Isboseth imperat. 80.1

Abner amore Resphæ æstuat 80.10

Abner iniquè fert obiurgationes Isboseth, & ab eo ad Dauidem deficit 80.16

Abner humanißimè à Dauide excipitur 80.19

Abner à magistro Dauidis equitum opprimitur 80.22

Aboriginum montanorum Romanes-sus primus subregulus 457.29

Abraham filius Thare 63.25

Abraham Hebræi imperij author, altare condidit, & victimas domino obtulit 14.9

Abraham primus omnium prophetarū, Verbū dei gentibus enūtiauit 24.22

Abraham ex ancilla Agare genuit Ismaël 24.11.228.18

Abraham nascitur dum Europs apud Sicyonios regnat. 228.3

Abraham natus est ante Noëlis obitum plus quinquaginta annis 59.24

Abrahamum diuina conieciße per ea quæ contingunt circa Solem & Lunam 60.2

Abraham ex Aegypto reuersus, dum Ninus iunior in Assyria tam molliter regnat. 23.19

Abraham quadragesimo tertio Nini regno nascitur 22.16.25.20

Abraham primus Ægyptiis astrologiæ artem aperuit 3.10

Abrahami & Nini filij Beli eadē fuisse tempora 19.21.28.12

Abraham quinquagesimum annum agebat, quando Noë moritur 19.24

Abraham anno suæ ætatis septuagesimo quinto, diuino dignus fuit colloquio 60.6.14

Abraham annum centesimum septuagesimum quintum agens moritur

60.10.63.27
Abraham natus est sub finem imperij Nini, primi Assyriorum regis 60.12
Abraham speluncam in agro Ephron emisse, & ibi Saran sepeliisse 153.5
Abraham anno ætatis suæ centesimo septuagesimo quinto moritur, regnante Armamitte Assyriorum septimo rege 25.3.20
Abraham percussit fœdus cum rege Palæstinæ 60.25
ab Abrahamo vsque ad exitum populi Israël de Ægypto, fluxerunt anni quadringenti & triginta 60.15
ab Abrahamo ad natiuitatem Mosis, anni quadringenti & quinquaginta 66.19 67.2
Absalon patrem obsidet in Hierusalem 84.9
Absalon dignas luit pœnas, in bello fugiens à Ioab confoditur 84.15
abstemius homo suauiùs quiescit 13.23
Academica secta, copia & vbertate dicendi à Platone nobilitata est 147.17
Academicorum secta nihil constituendo, & de omnibus addubitãdo annos bonos perdidit 147.18
Accursij error, qui voluit Iustinianum fuisse Iustini naturalẽ filium 392.26
Achæi, natio Æolica, Ionas expulerunt 242.28
Achaia, quæ nũc Attica dicitur 230.26
Achaia duplex est in Græcia, altera Peloponnesus, altera Hellas dicitur 241.21
Achaz decimus quartus Iudæorum rex olympiade secunda, anno à Troia capta quadringẽtesimo decimo tertio 92.27
Acherres, Ægyptiorum rex 29.7
Achias & Sameas quo tẽpore prophetarunt 87.6.89.4
Acrisius, Argiuorum rex 31.29.235.1.5
Actiaca victoria 346.21
Adam sexto die ab orbe condito creatur 1.1
Adam Hebraicè rufum significat 1.7
Adam moritur anno suæ ætatis nongentesimo tricesimo, sepultusque est Chariatharbæ 2.17
Adhesir, Persarũ rex post Siroën 178.11
Adonibezeces rex Palæstinorum 68.21
adorare sculptilia cœperunt homines tempore Tubal 6.10
adoratio diuini numinis Enos primùm ascribitur
Adrastus, vigesimus tertius Sicyoniorũ rex 233.23
Adrianus Cæsar Hierosolymam omnino subuersam instaurauit, & à suo nomine Æliam appellauit 81.17
Adrianus, decemuir luibus iudicãdis, antequàm imperator crearetur, fuisse scribitur 282.15
Adrianus Cæsar, vir alioqui frugis bonæ, parcúsque publici ærarij, quadraginta legiones ad quater vsque millies sestertiũm, hoc est, dix millions d'or muneratus est 329.3
Adrianus Antoninum adoptauit 379.20
Adrianus pontifex & Carolus Magnus vrbem ingressi ædes sacras inuisunt 407.3.11
Adrianus pontifex vir magnanimus, qui sciebat fortuna, cùm aderat, vti, & eam, cùm aduersaretur, poterat consilio superare 407.19
ædificia humilibus ante Hildegastum Franci vtebantur 442.11
ædilitas, secundus ad consulatum gradus 291.19
Ægeam, siue Æglem vrbem Edissam Cranaus appellauit 180.11
Ægeus Pandionis filius, Athenienſium rex sextus 71.8
Ægialeus, primus Sicyoniorum rex 20.11.227 42
Ægidius Peloponesi rex 24.18
Ægidius, Sicyoniorũ rex sextus 61.16.228.21
Ægilaci populi, qui posteà Sicyonij sunt dicti 31.28
Ægilia, quæ nunc Peloponesus 24.3
Ægisthus, septimus Mycenarum rex 233.9
Ægyptus, quæ antea Aëria dicebatur, ab Ægypto nomẽ accepit 30.967.14
Ægyptus à Persis deficit, regnante Dario Notho 167.8
Ægypti prouincia altrix Italiæ dicebatur, tanta frumenti copia ex ea in vrbem deferebatur 325.20
Ægyptios omnium primos aras, & simulacra, & delubra diis statuisse 718
Ægyptiorum regum, Pharao, communis erat appellatio 23.28
Ægyptiorum dij, Isis & Osiris 13.11
Ægyptiorum reges omnes, Pharaones, non hoc proprium habentes. habebat enim vnusquisque Pharao proprium nomen 27.4
Ægyptiorum sacerdotes & philosophi circa scribendam historiam versabantur 42.17
Ægyptij Iudæos probris & maledictis lacerarunt 56.13
Ægyptij quare Iudæos oderant 56.18
Ægyptiorum impius ritus, vt fœdissima bruta tanquam Deum venerentur 56.26
Ægyptij annum primi excogitarunt, eũ distinguentes in duodecim temporũ menses 145.11
Ægyptiorum regnum sub Cambyse defecit 150.14
Ægyptiorum capita ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidi possent 150.26
Ægyptij à pueritia incipiunt radere capita, & os capitis ad solem redditur compactum 150.28
Ægyptij calui non fiunt 150.30
Ægyptij cremare cadauera non solent, quia ignem animatum esse credunt 152.15
Ægyptij mortuos saliunt, ne deuorẽtur à vermibus 152.20
Æmilius Paulus de Macedonia triumphauit 225.21
Æmiliorum familia à Numa Pompilio originem traxit 222.26
Æmilius Paulus exercitum in Macedoniam traiecit, & vigiles scutum in vigiliam ferre vetuit 223.1
Æneas Syluius Latinorum rex 35.5.19
Æneas solis Troianis imperat in Italia 249.12 postea ducta in matrimoniũ Lauinia, & Troianis & Latinis imperat tribus annis 249.21
Æneas ad Numicum amnem in pugna aduersus Mezentium Hetruscorum regem, vltimum visus est 249.27
Æoles & Dores 242.13
æra, cuius in conciliis fit frequens mentio, quid significet 490.17
ærarium Romanum intra centum & viginti annos maximè auctũ 328.3
ærea stipe sola vtebãtur Romani 265.6
Æschylus Athenis regnat temporibus Ioathan 92.3
Æschylus Athenienſium rex 117.26
Æsimedes Athenis regnauit 118.27
ætas cuilibet magistratui administrando præscripta legib. erat 320.21.29
Æthiopia, terra Chus dicitur 478.16
Æthiopes primos, deos coluisse 7.20

INDEX.

Ætius tyrannidis appetitæ insimulatus 463.9.
Ætoli contra Romanos Philippum, & Antiochum reges solicitabant ad bellum capessendum cõtemptis populi Romani viribus 313.21
Ætoli ab amicitia populi Romani desciuerunt 315.2
Ætoli regiã vanitatẽ experti abiectis armis se dediderunt Romanis 316.15
Agag Amalecitarũ rex 77.10 à Saule capitur 13
Agamemnon Mycenarũ rex 34.5.233.9
Agathocles Iudæus fuit 55.22
Agelas Corinthiorum rex 38.3
Agelaus, Corinthiorum rex secundus 37.10
Agesilaus, Lacedæmoniorum rex sextus 37.20
Aggæus quo tẽpore prophetauit. 98.20
Agiaulphus Longobardorũ rex 399.15
agraria lex anno ab vrbe cõdita 268. primùm promulgata 275. 11. huic legi fraus facta est 290.14
Agrippa Albanorum rex 251. 28
Agrippa à Claudio rex Iudææ creatur 114.19
Agrippina Germanici filia Claudij vxor, Neronis mater, priuignum insidiis, & coniugem veneno sustulit 374.8
Aioth ex tribu Iuda, dux & Iudex Hebræorum creatur 70.4
Alani Gallias aggrediuntur 387.2
Alaricus Visigothorum rex 384.30
Alaricus apud Cõsentiã moritur 386.17
Alba Longa ab Ascanio condita 250.7
Alba longa à Tullo Hostilio funditus euertitur 252.23.263.13
Alba Albanorum rex 251.24
Albani reges ab Ascanio Sylnio orti 250.24.251.9
Albanorum præsidium in montibus Aremulus posuit 38.11
Albanorum regum series 251.24.25
Albania nunc dicitur, quæ antè Macedonia 179.18
Albinus Iudææ procurator 114.30
Alboinus rex Longobardorum 395.4
Albula fluuius, nunc Tyberis 38.1. 250.15.
Alcetas Macedonum rex 182.4
Alcibiades à Pharnabazo interimitur Olympiade nonagesima quinta 168.22.
Alcimus in animo habens destruere muros sanctæ domus, paralysi dissoluitur 107.18
Alcuinus Francorum gloriæ studiosissimus, & historiarum scriptor 405.29
Alexander post Alcetam in Macedonia regnat 182.12
Alexander primogenitus successit patri Amyntæ 182.22
Alexander adhuc adolescens ciuitates Græciæ sibi conciliat 188.13
Alexãder superatis Thermopylis Amphictyones coëgit, vt eorum suffragiis Græciæ dux decerneretur 188. 19
Alexander iam à prima adolescentia documenta multa dederat futuræ virtutis 187.8
Alexander, extincto Philippo, annum agens vigesimũ Macedonici regni insulis ornatur 186.22.187.1.
Alexander, vigesimus tertius Macedonum rex creatur Olympiade cẽtesima vndecima 169.27
Alexander Macedonum rex parua manu innumerabiles exercitus fudit 314.11
Alexander Peloponesum proficiscitur, vbi totius Græciæ contra Persas imperator designatur 188.2
Alexander summi imperatoris, & strenui militis officio fungens, in dextro femore vulneratur 192.1
Alexander benignè legatos Atheniensium excipiens, magno metu eos liberauit. Corinthios blando sermone sibi submisit 188 23
Alexander cùm Thebanis se contemptui esse animaduertisset, decreuit eorum vrbem funditus euertere, vt qui defectionibus studebant, terrerentur 189.6
Alexander Athenas legatos misit, qui decẽ oratores dedi peterent 189.22
Alexander exercitum in Asiam traducens, Hellespontum proficiscitur 190.2
Alexander in exercitu contra Persas habebat 32. millia peditũ, & quinque millia equitum, nauésque centum & octoginta: non iuuenes, sed veteranos elegit, vt non tam milites quàm magistri militiæ dicerentur 150.5
Alexander spretis pacis conditionibus, Dario fit obuiam 195.10
Alexãder Darij præsidia prostrauit & vicit 190.19
Alexander Dariũ bello fudit in Gamgamellæ campis 17.10
Alexander de Besso supplicium sumit & Nabarzane 202.7.14
Alexander paricidas Darij persequitur 198 25
Alexãder Barsinem, Parysatim, & Roxanem duxit vxores 215.8
Alexander Roxanam sibi matrimonio iunxit 205.25
Alexander Darij coniugem non violauit, sed omnẽ cultum fœminis reddi curauit 192.18
Alexander ad vrbem Gazam duobus vulneribus sauciatus est 193.16
Alexander Nilo vectus Memphim appropinquat 193.22. Iouis Ammonis oraculum salutauit 193.26. ad Mareotidem paludem, Alexandriam vrbem condidit 193.28
Alexander ad Arbellam castra metatus est 194.14
Alexander in oppugnatione Tyri, legatos ad Ioab summum Iudæorum pontificem misit, qui commeatũ & tributa imperarent 100.28
Alexander capta Tyro ad Hierosolymam castra mouit 101.9
Alexander supplex pontificem salutat, & sciscitanti Parmenioni quare id fecisset, respondit, se non pontificẽ, sed Deum, cuius pontificatum ille gerebat, adorasse 101.18
Alexander diuino actus numine remp. Hebræorum publicis priuilegiis auxit 101.28
Alexandrum vnum omissis cæteris Indi adoriuntur 210.2
Alexander inter primos dimicans, sagitta ictus est in medio crure 203.4
Alexander in obsidione vrbis Cyropoleos ad vltimum periculum deiicitur: ceruix eius saxo ita icta est, vt oculis caligine offusa collaberentur 203.9
Alexander ad Tanaim amnem, vrbem de nomine suo condidit 203.14. inde in Scythas castra mouit 15.
Alexander rubro mari inclusus, quod vinceret defuit 211.17. solus atque vnicus rex Asiæ erat 211.19
Alexander Babylonem ingreditur 53.1
Alexander in Ariaspos & Euergetas castra mouet 201.9
Alexander ad Ecbatana Mediæ proficiscitur 212.10

Alexander ad Babylonem castra mouet 195.20
Alexander Præstos Indiæ gentem adoritur 211.7. Sabi peruenit 11. Pathilyam gentem adiuit 14
Alexander Issón vrbem desertã à barbaris capit. ei Darius ad eum locũ, quem Amanicas Pylas vocant, occurrit 191.26
Alexander anno sui regni octauo iam habebat in potestate Cariam, Lydiam, Cappadociam, Phrygiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Pisidem, Ciliciam, Syriam, Phœnicem, Armeniam, Persidem, Medos, Parthienem 196.19.197.2.
Alexander cum toto exercitu Nauram peruenit 205.17. in Parthiam castra mouet 205.21
Alexander in Parthia Barbaricam vestem induit: quæ res non parua molestia Macedones affecit 205.21
Alexander ex captiuis triginta millia adolescentum selegit, quos literas Græcas discere iussit 205.23
Alexander ad stabiliendum regnum, Persas & Macedones cõnubio iungebat 205.29
Alexander in Indiam intraturus, Macedonum omnium currus incendi iussit 206.4
Alexander iam suis erat terribilis, & in peccantes sine clemẽtia animaduertebat 206.7
Alexander venationi animũ adiiciẽs, Hermolaum verberibus cædi iussit, propter apri necem ab Hermolao sibi ablatam 206.10
Alexandrum occidere cogitat Sostratus cum aliis coniuratis 206.16
Alexander coniuratos excruciatos necari iussit 206.24.29
Alexander Indiæ fines ingressus, gentium reges illi occurrunt, imperata facturi, illum tertium Ioue genitum memorantes 207.11
Alexander Nysam vrbem superat, & regionem Dædalam, Acadera transit, ad Mazagas venit, ibi sagitta vulneratur, & cùm vulnus aggrauaret dolorem, dixisse fertur, se quidem Iouis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire 207.16.24
Alexander Poro mandauit, vt stipẽdiũ penderet, & ei occurreret 208.1
Alexandri & Pori colloquium 208.12
Alexander ampliore regno Porum donauit 308.25
Alexander ad regnum Sophitis venit, inde ad Phelegam regem 208.27
Alexander Gangaridas & Parrhasios adoritur 209.1. Macedones metu attonitos hortatur, vt animis ad hoc patrandum bellum adsint 209.3. Oxidracarum oppidum obsidet 20. vbi grauiter vulneratur 22. ibi remittit arma moribundo similis 24
Alexandri grauiter saucij verba ad medicum detrectantem eum curare 210.23
Alexander à suis in tabernaculum defertur 210.15. linquitur animo, & caligine oculis offusa veluti moribundus extenditur 210.27
Alexander nondum obducta cicatrice, Sabracas adiit 210.30
Alexander Homero quasi puluino indormire gaudebat, Iliadem gloriæ armis assequendæ instrumentum esse dicebat 214.14
Alexander purpureum vestimẽtum Ionathan induere iubet 108.18
Alexander literas ab Olympiade matre, & vicissim ab Antipatro acceperat, quibus mutuas inter ipsos simultates perceperat 212.4
Alexander Bucephalum equum tanta arte tractauit, vt cũ ad cursum docilem reddiderit 187.22
Alexãd. Chaldæor. legationẽ risit 52.25
Alexandro Babyloniam reuertẽti Chaldæi vates occurrerunt, monentes ne Babyloniam ingrederetur 212.12
Alexandro nuntiauerunt Chaldæi futurum esse, ni sepulchrum Beli à Perse dirutum instauraret, infelici fato omnia sibi successura 7.8
Alexander Parmenioni respondet, pecuniam, quàm gloriam mallem, si Parmenio essem 195.3
Alexander cùm inter scortorum greges cœnaret, primus ignem regiæ iniecit temulentus, cui armatus pepercerat 196.16.24
Alexandrum in conuiuio insolẽtiùs res à se gestas iactantem, Philippum patrem obterentem æquo animo non tulit Clitus 204.15
Alexandrum inter maximè vinosos Athenæus enumerat 214.17. bicongio Proteam prouocauit 214.20
Alexander epulum nouem millibus cõuiuarum fecit, & vnicuique aureã phialam donauit 215.4
Alexander elatus è conuiuio semianimis, tãto dolore cruciatus est, vt ferrum in remedia poscret 212.20
Alexandri clementia insignis 196.9
Alexandri clementia in Scythas deuictos, qui captiuos omnes sine pretio remisit 203.23
Alexander cõiuratos saxis obruit 200.20, Parmenioni exitium interminatur 200.25
Alexandrum veneno perimere decreuerat Antipater 212.9
Alexandro parantur insidiæ à Demetrio, & multis aliis 199.10
Alexãder insidiis Eurydicæ matris appetitus occubuit 185.6
Alexandrum in fœminas incidisse dicebat Clitus, ipsum deterẽs 204.20
Alexander occiso Clito mortem sibi cõscisce re voluit 205.2.5.10
Alexander non tulit Clitum multa ei exprobrantem, ideo eum hasta trãsfixit 204.24.30
Alexander animo infinita complexus, statuerat ex Syria petere Africam, inde ad columnas Herculis, Hispaniam deinde adire, & Alpes superare, & in Italiã pergere, & sic vniuerso orbe domito Macedoniam redire 211.19
Alexander moriens detractum anulo digitum Perdiccæ tradidit 213.3
Alexander interrogatus quem hæredẽ regni sui scriberet, respondit, eum velle regno potiri, qui omnium optimus esset 213.6
Alexandrum non esse veneno sublatũ quidam dicunt 213.11
Alexander mortuus est anno regni sui duodecimo 213.18. ante Christum natum annis 324
Alexander commendatur à prophetis Hieremia & Daniele, vt qui acerrimus & felicissimus imperator fuerit 213.21
Alexander vixit annos triginta duos, & menses octo 213.29
Alexandro extincto de successore deligendo fit sermo 216.24
Alexandro extincto, Græcorũ monarchia in quinque partes dispertita fuit 102.2.217.15
Alexandro vitio datur superba vestis mutatio, desideratæ humi iacẽtium adulationes, fœda supplicia, inter vinum & epulas cædes amicorum, vanitas ementitæ stirpis, qui se Ioue genitum profitebatur 216.9

Alexander Polyhistor cognominatus 48.11
Alexander Romanum regebat imperium, quo tempore Vrbanus Romæ erat pontifex 172.19
Alexander Seuerus 26. Romanorũ imperator, qui à consiliis suis doctissimos asciuit 441.14
Alexander Seuerus Artaxerxem Persarum regem bello vicit, & de eo triumphauit 173.4
Alexander Iudææ procurator 114.25
Alexander Demetrium bello superat 108.13
Alexãder Antiochi filius Demetriũ regno iniustè parto depellere cõtẽdẽs, ad Ionathã legatos mittit 107.29
Alexandriam vrbẽ Alexander condidit ad Mareotidem paludẽ 193.28
Alladius Albanorum rex 251.28
Allobrox in Celtis regnauit 458.5
Alphõsus Catholicus anno Christi 742. in Hispania regnat 495.22
Alphonsus secundus cognomento Castus, Asturũ & Legionis rex 496.6
Alphonsus tertius cognomẽto Magnus, Hispaniarum rex, fratres suos oculis priuauit 496.11
Alphonsus quartus Phroillæ succesßit 496.24
Alphonsus quintus in Hispania regnat 497.16
Alphõsus sextꝰ Legionis rex est 497.21
Alphõsus septimꝰ Hispaniæ rex 497.27
Alphonsus octauus cognomento Bonus 498.2
Alphonsus nonus Hispaniæ rex 498.5
Alphonsus huius nominis decimus Legionis & Castellæ rex 498.18
Alphonsus Portugaliæ rex, regnum Hispaniæ cũ Ferdinãdo diuisit 499.24
Alphonsus Asturiæ & Galitiæ rex Sarracenos Lusitaniam tenentes bello vicit 494.8
Alphonsus Sarracenos vicit, Toletum cepit, & Christi religionem in ea instaurauit 495.5
Alphonsus vndecimus Castellæ rex, Sarracenos feliciter vicit 495.15.498.23
Alphonsus Neapolim cepit 499.18
Alsatia nunc dicitur, quæ olim Alemania 421.27
altare Domino Noë ædificauit 14.4
Altadas, decimus Assyriorum rex, duos & triginta regnauit annos 26.24
Alyattes secundus Lydorum rex temporib. Ezechiæ 93.12.118.25
Alyattes, octauus Lydorum rex 121.6
Amasias Iudææ rex vndecimus 38.8
Amasias regnauit annos nouem & viginti 90.29
Amazonum bellũ cõtra Thebas 233.27
Ambianos Celtis comites fuisse, cùm Galatiam occuparunt 244.15
Ambigatus Celtarum rex temporibus Tarquinij Prisci 245.6
ambitio leges annales attulit 320 27
Ambracienses præsidiũ à Philippo impositum repulerant 188.7
Ambrosius Mediolanensis episcopus quo tempore floruit 175.19
Amenophis Ægyptiorũ rex 33.10.37.29
Amerodacus Sicambrorũ philosophus 429.14
Amilmathapacus Babyloniæ rex 50.26
Amon decimus septimus Iudæorũ rex 34.2. duos regnauit annos 94.5
Amos tẽporib. Oziæ prophetauit 91.10
Amphiaraus oraculis deditus 56.30
Amphion citharæ repertor 5.30
Amphion expulsõ Cadmo Thebis imperat 31.21 32.5
Amphitryon, tertius Athenarũ rex, qui primus Mineruæ vrbẽ sacrauit, & ciuitati Athenas nomẽ dedit 237.23
Amram genuit Mosem 62.7

Amulius Albanorum rex pulso Numitore fratre 252.2
Amurates tertius Turcorum rex 412.3. à seruo dominum suum vindicante occiditur 412.15
Amyntas post Alexandrũ in Macedonia regnat 182.13. is tres liberos reliquit, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum 182.20
Amyrtas, decimus septimus Assyriorum rex, regnauit annos quinque & quadraginta 29.22.67.23
Ana prouincia sic dicta ab Ana flumine 477.2
Analius Assyriorum rex quintus 61.15
Analius regnat annos quadraginta, quintus Assyriæ rex 24.17
Ananias, Sidrach dictus 99.7
Anastasius secundus, 48. Romæ pontifex 466.16
Anastasius Amidam recepit, & cum Persis inducias pepigit 177.7
Anastasius, trigesimus septimus Romanus episcopus 176.4.452.23
Anastasius Romanum rexit imperium 466.18
Anatolia, quæ antea Lydia 118.19
Anaxarchus philosophus omne diuinationis genus diris deuouebat 52.27
Anaximander Physicus 121.24
ancilia, id est cælestia arma, Numa Salios ferre iußit 262.26
Ancus Martius, quartus Romanorum rex, ceremonias à Numa institutas reuocauit 264. 1. viginti quatuor annos regnauit 13.
Andriscus Perſei sẽ regis filium asserens, contracto exercitu totam Macedoniam occupauit 225.25
Androgeus regnante Theseo occubuit 33.14
Andromeda Cephei filia 136.23
angareion Persæ equorum cursitationem appellant 136.15
Anglia, quæ olim Albio dicebatur 464.22
anima à vino pura cõspicit vaticinationem 13.22
animarum immortalitatem Thales doctißimis argumẽtis probauit 144.21
animaliũ effigies apud Ægyptios loco literarum erant 4.23
annales leges, quibus ætas cuilibet magistratui administrando præscribebatur 320.21
Annimenes rex Ægypti 33.27
Annius Ruffus Iudææ præses 214.9
annus à Thalete in trecentos & sexaginta dies partitus 144.16
annus ab Ægyptiis in duodecim mẽses distinctus 145.11
annum lunarem triginta dierum fuisse 145.16
annum magnum Cicero confici volebat, omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, qui duodecim millibus noningẽtis quinquaginta quatuor solaribus annis expletur 145. 17. Ioseph̃us sexcentis annis adimplet 20
annum tribus mensibus Arcades conficiebant, Romani decem mensibus constare voluerunt 145.22
annus à Numa ad solis cursum redigitur 145.26
annus ab Augusto compositus, qui vitio sacerdotum confusus & erroribus implicatus erat 146.29
annus dicitur, quasi anus, quòd in se redeat, hinc dictum, Atque sua per vestigia voluitur annus 147.8
annum trecentis sexaginta quinque diebus, & sex horis Cæsar terminauit 146.7
annum lunarem triginta diebus con-

